UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nicolai Sanderi Angli Doct. Theol. De Origine Ac Progressv Schismatis Anglicani Libri Tres ...

Sander, Nicholas

Coloniæ Agrippinæ, 1610

urn:nbn:de:hbz:466:1-64680

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

NICOLAI

SANDERI

ANGLI DOCT. THEOL.

De

ORIGINE AC PROGRESSV

Schismatis Anglicani,

Libri Tres:

QVIBVS HISTORIA CONTINETVR *maximè* ECCLESIASTICA, *Annorum circiter 60. lectu dignissima; Aucti priùs per* EDOVARDVM RISHTONVM, *Romæq; impressi;*

Liber Collegy Societ. JESV Paderborna

NVNC VERO ADDITA APPENDIX R. P. PETRI RIBADENEIRAE SOC. IESV, iterum in Germania locupletiùs & castigatiùs editi.

Cuiusq; Libri Argumenta, vide post præfationem.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Sumptibus Petri Henningi, sub signo Cuniculi, M. D. CX.



ILLVSTRI ET GENEROSO DOMINO D.no EGONI COMITI A FVRSTENBERG,

HEILIGENBERG & VVERDENBERG, LANTGRAVIO IN BARE, DOMINO in HAVSEN *in* KYNTZIGER DÄL, *Metropolitanæ Colonienſis, & Cathedralis Argentoratenſis Eccleſiarum Canonico, nec non D. Gereonis Coloniæ Præpoſito digniſſimo.*

ARium horum, ILLVSTRIS & GENEROSE DOMINE, Nicolai Sanderi viri & virtute, & doctrina Clariſsimi de Schiſmatis Anglicani initio & progreſſu librorum, ingens vtilitas, magnus fructus: Etenim vt crudeliſsimum dominatum atque immanem hæreticorum tyrannidem; ita & Catholicorum maximam pietatem, ſummam religionem, inuictumque animi robur velut in ſpeculo lucidiſsimo contuendum exhibent. Vnde & illorum technæ aperiuntur, deteguntur fraudes, ſæuioresque vel ipſo Buſiride

conſpiciuntur, qui quouis ſe agno mitiores prædicant; Horum verò animi exulceratiſſimo hoc ſeculo, dum vel à Gehenna vſq; contra Petri nauiculam vim cunctam Lemures ſubmittunt, erigi, confirmari & excitari poſſunt.

Quare cùm omnia pænè exemplaria diſtracta eſſent, vt iteratò in lucem eos vnà cũ APPENDICE R. P. RIBADENEIRAE quæ quaſi Continuatio horum, darem, viri quidam prudentiâ & eruditione pręſtantiſsimi impulerunt. Dum verò ſub cuius nominis patrocinio cogitarem, TVA ILLVSTRIS Gratia occurrit, in qua virtutes, quã multæ tàm magnæ, & quàm raræ tàm ferè cunctis bonis caræ emicant: in qua ſplendori Familiæ plurimum lucis & ornamenti addit hæreſeon extirpandarum, & Catholicæ religionis propagandæ ſtudium ardentiſsimum. Quæ effecerunt vt minimè dubitarim, quin horum patrocinium benignè ſuſceptura eſſet.

A TVA

A TV A igitur ILLVSTRI GRATIA qua par est animi submissione peto, vt hoc literariũ munus exiguum illud quidem, sed magnum tamẽ meæ in Eam obseruantiæ testimonium aspernari ne velit, sed quo offertur animo suscipiat, foueat, complectatur. Quod si assecutus ero, huius beneficij semper meminero. ILLVST. T. GRATIA optimè valeat & Socero meo, ac mihi deinceps, vt facit fauere pergat. Coloniæ vbiorum pridiè Calen. Septemb. M.D.CX.

ILLVST. V. G.
Obseruantissimus.

Petrus Henningus
Bibliopola

EDOVARDVS RISHTONVS LECTORI.

De occasione & causis huius editionis.

CVm nuper ex Anglicano carcere in exilium emissus, in Gallias peruenissem, intellexi sermone multorum D. Nicolai Sanderi doctissimi viri opera, propter egregiam quam apud doctos habet existimationem, à Typographis vndique conquiri ad prælum, maximè verò ea quæ nondum impressa, sed ab illo sancto viro immatura morte erepto, vel apud amicos deposita, vel in aduersarijs relicta fuissent. Ex quibus audiebam libros septem insignes de Iustificatione, iam esse Treuiris sub prælo, alios nonnullos eiusdem authoris quæri, sed præcipuè opus quoddam excellens de initio & progressu Anglicani Schismatis, cuius exemplaria aliquot (licet pauciſſima) extabant manuscripta, tùm in Italia, tùm etiam in Hispania, vbi opus absoluit, historia rerum ad sua tempora deducta.

Opera Sanderi.

Cùm autem Sanderus ex illo ingenti animarum zelo quem habebat, ex Hispanijs, in Hiberniam, ad afflictos Catholicos, qui arma pro religione sumpserant consolandos concessisset (quo etiam in opere non ita multò pòst, ex continuis laboribus, rerumque necessariarum inopia, cæterisq; difficultatibus ac angustijs animam sanctã creatori suo reddidit) reliquit hoc opus de Schismate Anglica-

Mors Sanderi in Hibernia, Anno 1581.

no in

no in tres libros diuisum, sed nondum planè perfectum ac prout voluerat perpolitum, eò quòd alijs occupationibus ac etiam scriptionibus perpetuò ferè distineretur. Redeũti verò mihi superiori anno ex Anglia, cũ Parisijs obtulisset se, amicus quidam meus perantiquus, D. Iodocus Skarnhert Colonienſis, quem & Romæ cognoueram, & sæpè cum eo de huiusmodi libris contuleram (eramus enim vterque in rebus quæ ad historias pertinent, non indiligentes) cœpit à me summoperè contendere, vt horum D. Sanderi librorum copiam ei facerem. Sciebat enim me libros legisse, & exemplar aliquod apud me extare credebat. Dicebatque me eo facto non solùm ipsi & Bibliopolæ amico suo plurimùm gratificaturum, verùm etiam vniuerso orbi Christiano non parum profuturum, qui ex huiusmodi historia de schismaticorum ac hæreticorum gestis (audierat enim quædam quæ in illa narrantur) non poterit (inquit) admonitionem non vtilissimam capere.

D. Iodocus Skarnhert.

Ego ab initio negare cœpi quod postulabat, excusare quòd operis exemplar non haberem, nec esse facilè reperire: deindè etiam nescire, an expediret rem prælo committere, viuentibus adhuc illis nonnulla ex parte, quorum res gestæ narrantur, & quorum turpitudines hac historia reuelantur. At ille cõtra contendebat, maiorem esse publicæ vtilitatis, quàm particularium hominum rationem habendam: nullam esse iam ferè relictã emendationis spẽ in illis, qui quotidie sceleribus noua scelera accumulãt: animũ autoris

Causa editionis.

fuisse iam nonnullis abhinc annis opus integrũ publicasse, nisi alijs primùm occupationibus, deinde etiam morte ipsa impeditus fuisset: versari nunc in hominum manibus nonnulla exemplaria, & certum esse illa breui ab alijs edenda fore, eaque fortasse mendosè, nisi Anglus aliquis huius rei curam suscipiat: nullum autem posse commodiùs id præstare dicebat, quàm me, qui eiusmodi rerum iam vsum aliquem habebam, & ex ijs quæ Londini in carcere ad quatuor ferè annos continuos obseruaueram, non esset mihi difficile, illa supplere de regno Elizabethæ, quæ post D. Sanderi mortem in Anglia contigerunt.

His alijsque rationibus permotus, promisi D. Iodoco me esse facturum hac in re, quicquid possem. Et statim cœpi in eam curam incumbere, vt exemplar aliquod per amicos obtinerem, quod non difficulter factum est. Deindè opus ipsum vniuersum relegi, ac loca nonnulla quæ vel scribarum vitio depraua ta, vel autoris festinatione minùs explicata fuerant, correxi. Quædam etiam quæ longioribus disputationibus implicata videbantur, vt historiæ series meliùs teneretur, amoui; plurima quæ deerant, maximà verò post D. Sandri mortem, adiunxi. Et quia magnitudo molesque operis vsque adeò magna non videbatur: vnius libri nomine vniuersum comprehendi, & sic tandem emendatum amico meo D. Iodoco vna cum hac epistola tradidi, vt Bibliopolam suum qui illud tantoperè expetebat, transmitteret, hoc solum ab eo petens, vt emendatè imprimeretur, quod

quod spero ipsum curaturum; sin minus, nostra saltem voluntas in eo non defuit, beneuolo lectori probatam fore non diffidimus. Diuinam autem bonitatem rogamus, vt quãtos cupimus, tantos percipiat Christianus orbis ex hac admirabili historia fructus, ad hæreseis ac schismatis detestationem. Vale amice lector, & Deum pro me precare.

PRAEFATIO Auctoris.

De Argumento huius operis, & fœdo Schismatis initio apud Anglos.

An. Do. 50. * Polydorus probat ex antiquissimo Gilda lib. 2. & 4.

BRitannos ad fidem Christi primus conuertisse, primamq; Ecclesiam * in illa natione Christo erexisse perhibetur Ioseph us ab Arimathia, deinde eosdem in fide confirmauit Eleutherius Pontifex Romanus, à Petro duodecimus, missis ad eos Fugatio & Damiano, qui Lucium Britāniæ Regem & permagnam populi partem baptizarunt, adeò vt Tertullianus vicinus eorū temporum, scripserit, Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo subdita esse. Cùm autem Angli & Saxones Germaniæ populi, Britannis bello victis, & in remotiorem quandam insulę regionem conclusis, regni fines longè lateque occupassent, Gregorius magnus ad eosdem Saxones misit Augustinum, Melitum, & alios S. Benedicti Monachos

Circiter Annum Do. 180.

In lib. adu. Iudæos.

An. 596.

nachos, qui & gentem eatenus idolis deditam, fecerunt Christianam, & Regem Cãtij Ethelbertum Christi baptismo imbuerunt. Ab illo die vsque ad vigesimum quintum ferè annum Regis Henrici octaui, per annos circiter mille, non alia fides in Anglia viguit, quàm Catholica Romana: adeò vt ipsum Angliæ regnum iam inde ab * Ina potentissimo Rege, vsque ad Henrici octaui tempora, per annos plusquam octingentos, tributi, ceu voluntariæ oblationis nomine, de singulis domibus, singulos argenteos Pontifici Romano, in honorem D. Petri, & peculiarem suæ deuotionis erga sedem Apostolicam testificationẽ, persoluerit, vnde etiam Denarij Petri vulgò dicebantur. Henricus autem hac sola occasione quam nũc exponam, & fidem Christi mutauit, & regnum Angliæ à multis, propter antiquissimam sedi Apostolicę prę-stitam obedientiam, primogenitã Ecclesiæ filiam non immeritò appellatam, à Põtificis Romani communione disiunxit Arthu-

An 1534.

* *Hic Eccl. Vvellensis & insignis Monasterij Glastonensis fundator fuit.*

Totius operis argumẽtum.

Arthurus natu maior Henrici frater, cùm Catharinam Catholicorum Hiſpaniæ Regum filiam in vxorem accepiſſet,nõ modò abſq; liberis defunctus eſt, verùm etiam ob infirmam teneræ ætatis valetudinem, & ſecutam mortem, vxorẽ Catharinam minimè cognouit. Illam Henricus de Pontificis venia, ob pacem inter Hiſpanos & Anglos confirmandam, cùm duxiſſet, poſt annorum viginti cohabitationem repudiauit,ſpecie tenus, quod vxor fratris ſui fuiſſet, re autem vera, vt Annam Bolenam multis neceſſitudinum vinculis coniunctiorem, eius loco ſupponeret: * Anna enim concubinarum Henrici adhuc viuentium,alterius quidem ſoror, alterius filia erat: quin etiam, ipſiusmet Henrici propria filia non ſine multis indicijs habebatur. Hanc ergo vt Hẽricus duceret, tùm Catharinam repudiauit, tùm ex Eccleſia Romana exiuit: nec interim aut ad vllam aliam Eccleſiam antiquiorẽ, aut etiam ad Lutheranorum vel Zuin-

Regis concubina Anna mater hic dicitur, etiã ſi altero viro nupta fuerit.

Zuinglianorum Ecclesiam recẽter natam se contulit, sed nouam erexit, cuius summum in terris caput seipsum nominauit, Annam verò Bolenam & ante nuptias cùm plurimis fornicatam, & postinitas Regis nuptias, cum fratre suo concũbentem, & semper hæresi Lutheranæ addictam, & demum à Thoma Boleno qui pater Annæ dicebatur, inter cæteros iudices considente, adulterij & incestis damnatam, Henricus securi percutiendam curauit. Super hanc ergo regis hypocrisim qua se Catharinam ob Dei timorem repudiare simulauit: super hunc incestum, quo Annam duxit, incestum (inquam) Regis Henrici, quo, si non propriam filiã, ac saltem concubinæ suæ filiam duxit, incestum etiam Annæ Bolenæ, quo, à fratre suo se cognoscendam permisit: super hunc Ecclesiasticum regis primatum, quẽ primus mortalium Henricus octauus sibi arrogauit, omnis illa religio quam Anglia sub Principibus Henrico, Edouardo,

Basis & fundamentum Religionis Anglicanæ.

uardo, & Elizabetha tenet ac profitetur, ædificata consurgit. Et tamen quòd Henricus post diuortium interpositum, quãdo iam supremum Ecclesiæ caput scribebatur, in fidei negotio statuit, hoc ipsum liberi eius Edouardus & Elizabetha supplantarunt, & omninò destruxerũt, alio prorsus Euangelio in eius quod Henricus condiderat locum suppositio, & surrogato. Hæc mira & stupenda quæ post Anglicanum schisma inchoatum, Deus in illo regno, vt filiorum corda ad Patrũ fidem reduceret, operatus est, intelligi perfectè nõ possunt, nisi perlecta schismatis huius historia, quã mira rerum nouitate conspicuam & illustrem, secundum ea quæ vel ex publicis monumentis excerpsimus, vel ex grauissimorum hominum tàm scriptis, quàm verbis hausimus, vel saltem ipsi cognouimus & obseruauimus, bona fide iam exponemus.

CVIVS-

CVIVSQVE LIBRI ARGVMENTA.

Liber primus.

De causis & origine Schismatis per Henricum octauum.

Liber secundus

De progressu eiusdem Schismatis, & hæresis Zuinglianæ inchoatione per Edouardũ sextum Henrici filium; itemque de restitutione Catholicæ religionis ac regni reconciliatione per Mariam Henrici filiam primogenitam.

Liber tertius.

De religione Catholica iterum abrogata & hæresi Caluiniana introducta per Elizabetham ex Anna Bolena natam.

Additus est duplex index, vnus Martyrum, qui sub Henrico & Elizabetha pro fide Catholica passi sunt; alter rerum memorabilium, vnà cum Diario rerum in Turri Londinensi, per annos quatuor contra Catholicos gestarum.

Accedit demum Appendix R. P. PETRI RIBADENEIRAE SOC. IESV Theol.

APPRO-

APPROBATIO.

EGo infrà scriptus Doctor Theologus, nec non Apostolicæ Sedis inquisitor, Hosce tres libros NICOLAI SANDERI de Schismate Anglicano, vnà cum APPENDICE R. P. PETRI RIBADENEIRAE SOC. IESV ex Hisp. in Lat. conuersa; per Doctum quendam Theologum examinari & perlegi curaui, in quibus multa præclara, scituque dignissima inuenta, & nihil quod Catholicæ religioni, aut pijs moribus aduersetur, ideò illos prælo mancipandos iudico. Actum apud Prædicatores Coloniæ 1610. pridiè Calen. Septemb.

F. Gisbertus Spechtius
Apostolicus Inquisitor.

DE

DE SCHISMATE ANGLICANO PER HENRICVM INCHOATO.

LIBER PRIMVS.

DVM rebus Imperij Maximilianus Augustus, Hispanicis, Ferdinandus & Elizabeta Catholici Reges, Anglicanis, Henricus septimus præesset, præclarè cum orbe Christiano actum videbatur. Nihil enim Maximiliano Imperatore, seu bello seu pace illustrius: nihil Catholicis Principibus in vtroque genere fœlicius: nihil Henrico septimo aut fortius aut prudentius, qui omnibus bellis victor, omni opum genere affluebat. *Status rerũ circiter an. Dom. 1500.*

Iam superstitio Mahometana, per Ismaëlis Sophi, ex Assumcassani filia nati, nouam interprætationem, quam occupati Persici Regni maiestas commendatiorem populo reddidit, in varias sectas abibat. Iam Saraceni, post Bœticam octingentis ferè annis possessã, tota Hispania exterminabantur. Iã nouus Orbis Principibus Christianis, ex infinita Dei misericordia patefactus, Christi Euangelio parere cœperat, Lusitanis versus Meridiem. Hispanis versus Occidentem, ex Alexandri Papæ sexti auctoritate, tam sui Regni, quàm Christianæ fidei gloriam propagantibus. Quæ res dum fœlici cursu progrederentur, anno ab incarnatione Iesu Christi Millesimo & quingentesimo, inter potentissimos Henricũ *Schisma inter Mahometanos.* *Nouus orbis.* *Anno Domini. 1500.*

Septimum Angliæ, itemque Ferdinandum & Elizabetam Hispaniæ Reges, actum, annoque sequente, transactum est; vt Arthurus maior natu filius Henrici septimi, Catharinam Catholicorum Regum filiam, locupletissima dote, constituta, in vxorẽ acciperet. Nuptiæ Londini, apud Ecclesiam S. Pauli celebratæ sunt, 18. Calendas Decemb., qui dies apud Anglos, D. Erchenvaldo sacer esse cõsueuit. Principes summa nocte ad thalamum solenni ritu deducti sunt. Cæterùm Henricus septimus de medicorum consilio cauerat, vt grauis quædam matrona in eodem cum illis thalamo sociata, videret, ne carne coniungerentur, eò quòd Arthurus decimum quintum ætatis annum vix dum attingens, ex lento præterea morbo laboraret, cuius tabe post quintum mensem confectus, ex hac vita migrauit.

Nuptiæ Arthuri & Catharinæ.

Anno Domini 1501.

Mortuo iam Arthuro, cum Catholici principes filiam suam repeterent, noua nuptiarum conditio ab Henrico septimo proposita, & post maturam deliberationem, à Regibus Catholicis accepta est, vt impetrata Sũmi Pontificis legitima dispẽsatione, Catharina Hẽrico Arthuri Principis fratri duodecimum ætatis annum agenti despõderetur. Causa domi primum per vtriusque regni Theologos & Iureconsultissimos viros, an fieri honestè posset, examinata; deindè, cum de iure constaret, per vtriusq; Regis legatos relata est, primùm ad Alexandrum sextum, deindè ad Pium tertium. Sed cùm vterque prius vita, quàm hoc negotio defunctus esset, demùm Iulius Papa secundus, adhibitis in consilium doctissimis viris, ob pacis inter tan-

Anno Domini 1502.

Sponsalia Catharinæ cũ Henrico.

tã regna

ta regna confirmandæ publicum bonum, iuris humani, quòd solum obstabat, vinculũ, in hac quidem causa locum nõ habere declarauit, & nuptias contrahendi veniã potestatemq; fecit.

Nam diuinum ius, quod sacris literis consignatum extat, adeò his nuptijs non obstare Theologi asserebant, vt siue status naturæ spectetur, Iudas Patriarcha iusserit secundò genitum suum Onan ad Thamarem primogenitis fratris absq; liberis defuncti vxorem ingredi, vt semen fratri suo suscitaret: siue Mosaica lex consulatur, idipsum fratri superstiti, etiam sub infamiæ pœna, præceptum reperiatur: fieri autem non potuisse, vt Deus qui legem naturalem totius naturæ humanæ perpetuam comitem, imò ducem & regulam esse voluerit; eandem in vllo vnquam, nedùm in ipso naturæ statu, violari, non solùm permitteret, sed etiam iuberet. Hoc enim perinde videri, ac si naturã ab ipso ita conditam, vt nunquam mutaretur; tamen ipse mutaret ac dissolueret sibiq; ipse ea ratione contradiceret, ac seipsum negaret. Quod cùm à Deo alienissimum sit, nihil certius credendum, quàm quòd superstitis fratris nuptiæ cum alterius fratris absque liberis defuncti vxore contractæ, nullo modo legi æternæ aut naturali repugnent, sed tantùm imposititicæ & ecclesiasticæ, cuius ex iusta causa relaxatio penes Pontificem Romanum sit.

Nuptiæ Catharinæ cum Henrico iure diuino non prohiberi.

Gen. 38.

Deut. 25. & Ruth. 3. & 4

2. Tim. 2.

Nam turpitudinem vxoris fratris quam reuelari lex vetat, partim in hoc matrimonio re ipsa nullã fuisse, quoniã Arthurus Catharinam vxorem nunquã cognouerat; partim, si qua for-

Leuit.

tan specie tenus extitisset, tùm per mortem Arthuri iam dudũ esse sublatam: tùm præterea, etiãsi post mortem eius adhuc perseuerare posset, nõ tantam esse, quin publico pacis bono satis abundeqúe cooperiatur & compensetur. Quæ omnia cũ Theologi grauissimis tàm scripturæ sacræ, quàm sanctorum Patrum testimonijs corroborassent, nec per totam Ecclesiam vel vnus quispiam vir qui contradiceret, in vlla natione quæ sub cælo erat, repertus esset: sponsalia ob immaturam adhuc Henrici ætatẽ, inter illum & Catharinam ineũtur.

Anno 1504. Dum autem nuptiarum tempus expectaba-
Anno 1509. tur, Elizabethæ Catharinæ mater in Hispania, itemque Henricus Septimus in Anglia diem suum obierunt. At Henricus Octauus, eximia corporis forma præditus, in qua etiam Regiæ Maiestatis augusta quædam species elucebat, iam decimum octauum ætatis annum ingressus, cùm nec ipse iudicij expers haberetur, nec defuncti patris imperium ampliùs timeret, quanquam semel dixisset se à nuptijs Catharinæ abstenturum, tamen re accuratiùs perpensa, & dispensatione Pontificis in omnium optimatũ conspectu publicè recitata, nullo mortalium vel tantillum scrupuli opponente, de totius consilij sententia, Catharinam in vxorem, tertio nonas Iunij palàm accepit, ac die Ioannis Baptistæ proximè subsecuto, non minus vxori, quàm sibi, regium diadema cum ingenti omnium lætitia imponendum curauit apud celebre S. Benedicti Cœnobium, quod Londino ad solis occasum adiacens Vestmonasterium appellatur.

Nuptiæ Henrici & Catharinæ. Anno 1509.

Genuit

Genuit Henricus ex Catharina filios tres, & duas filias, ex quibus maior natu filius (cui etiam Henrico nomen fuit) nono Post natiuitatem menſe, è vita ſublatus eſt. Cumque cæteri etiam nõn diu poſtquam nati erant, vixiſsẽt, ſola Maria, anno ſeptimo Henrici octaui apud Grenuicum duodecimo Calendas Martias in lucem edita, vtrique parenti ſuperſtes manſit. *Anno 1510.* *Naſcitur Maria ann Dom. 1515.*

Fuit inter Henricum & Catharinam tùm aliqua ætatis, tùm longè maior morum diſsimilitudo. Superabat illa virum ætate, ad ſummum quinquennio: moribus verò ampliùs quàm mille annis. Catharina ſurgebat media nocte, vt nocturnis religioſorum precibus intereſſet, manè hora quinta ornabat ſe quàm citiſsimè, nihil ſibi temporis, præter hoc ſolũ in quo veſtiebatur, perire dictitans. Sub regio veſtitu, D. Franciſci habitu (ad cuius tertium ordinem ſeſe aſcripſerat) vtebatur. Omnibus ſextis ferijs & ſabbathis ieiunabat, omnib⁹ B. Mariæ vigilijs ſolo pane & aqua viuebat, quartis & ſextis ferijs peccata Sacerdoti confitebatur: Dominicis etiam ſumebat Euchariſtiam: officium Beatæ Virginis quotidie recitabat: ſex horis continuis manè in templo ſacris officijs vacabat: à prandio autem Sanctorum vitas, ancillis etiam aſtantibus, ad duas ferè horas legebat; inde templum repetens, ibi ferè manebat vſque ad horam cœnæ, quam ſumpſit longè parciſsimã. Orabat ſemper flexis genibus, abſq; puluinari, aut alia quapiam re inter ipſam & pauimẽtum interiecta. Quis iam miretur, ſi tam ſancta fœmina, maiori quodam tribulationis igne probanda fuit, vt virtutum *Catharinæ mores & inſtituta.*

eius odor in totum orbem Christianum facilius diffunderetur?

Henricus meres.

Henricus interim omni luxu diffluens, ex ipsius reginę ancillis, nunc duas, interdum tres, concubinarum loco habebat: ex quarum vna, cui nomen fuit Elizabeth Bluntæ, genuit filium, quem Richmundiæ Ducem creauit. Admirabatur quidem vxoris sanctitatem, sed deteriora consilia & instituta sequebatur. Mariã vero filiam regio splendore educatã, & in disciplinam nobilissimæ sanctissimæque fœminæ Margaretæ Edouardi regis quarti ex fratre neptis, Reginaldi Poli matris traditam, declarauit Britannorum seu Vvallorum Principem, qui populus & insulam primùm occupauit, & ei nomen Britanniæ imposuit, & lingua propria, quam nemo ferè Anglorum intelligit, adhuc vtitur. Germani autẽ exteros vocant Vvallos. Itaq; cùm Anglosaxones ex Germania in Britanniam ad fines Britãnorum tuendos euocati, tandem in ipsos Britannos arma conuertissent, eosq; subigassent; vt suum populum ab alieno distinguerẽt, Britannos, vocarunt Vvallos; hoc est, non Germanos, sed præ Germanis, exteros & alienos. Huius autem Prouinciæ administratio & præfectura, ei tãtum Regis proli conceditur, cui proximum regnandi ius ex hæreditaria lege debetur. Quod enim Cæsar apud Romanos, quodq; Delphinos apud Gallos; hoc idem est apud Anglos Vvalliæ Princeps. In Vvalliã ergo quæ ad occidentalẽ insulæ oram sub quatuor Episcoporũ diœcesibus longè lateq; distẽditur, Maria cũ illustri Senatu & splẽdida familia delegatur, vt eã regionẽ suo iure

Maria sanctè educatur & regni hæres declaratur.

mode-

moderetur ac gubernet: Mariæ nuptias vicini omnes reges ac principes magnis ſtudijs ambibãt. In primis Iacobus V. Scotiæ Rex, deinde Carolus Cæſar, totius ſuæ Belgicæ poſſeſsionẽ ſe illi confeſtim traditurũ aſſerens. Tùm autẽ, Galliæ Rex Franciſcus, filijs ſuis duobus, hinc Delphino, inde Aurelianenſi duci eandẽ in vxorẽ petijt. Quorũ teneram ætatẽ cùm Henricus non probãret, Rex Franciſcus ſeipſum obtulit Mariã ducturũ: nec Henricus abnuit, ſi tamẽ Carolus Clementẽ Papã, quẽ eo tẽpore ſui milites Romę in caſtro S. Angeli cõcluſum tenebant, liberũ ac immunẽ quã primũ nõ dimitteret: alioqui enim, & Mariã Gallo dãre, & Carolo bellũ indicere cogitabat. Ac filio quidem primogenito regis Galliarũ Maria tandem certis cõditionibus deſpondebatur: quæ ſpõſalia cũ apud Grenuicũ in Anglia, 8. idus Octob. ſolenni ritu fuiſſent dedicata, Elienſis Epiſcopus in Gallias traijciens, pręclarã de ea re orationẽ apud Franciſcum regem Galliarũ habuit. Hinc facilè apparet quã conſtans apud omnes principes Chriſtianos, fides ac ſentẽtia ſemper fuerit, de Catharinæ legitimis cũ Henrico nuptijs; cũ earum nuptiarum prolem, quæ non alia conditione, quàm ſi legitima eſt, regnandi ius in Anglia conſequi debet, tanto ſtudio in coniugem expetierint. Iam ad Henricũ reuertatur oratio.

Quinque Principes expetierunt Mariæ nuptias.

Mariæ ſponſalia cum Delphino.

Cùm ea Catharinę grauitas & moderatio, eaque Henrici leuitas & libido eſſet, vt nihil magis repugnans & contrariũ facilè reperiri poſſet; atq; ideò hominem petulantẽ & luxoriosum tam venerandæ matronæ prorſus tæderet, nec ea res latere Palatinos diu poſſet; Thomas

Henrici & Catharinæ diſsimiles mores.

Volsæi moues.

Volsæus homo præter cæteros ambitiosus & audax, cuius etiam opera erant regis, quàm Reginæ operibus similiora, omnes occasiones captabat, quibus & regi placeret, & Reginam læderet, & suum negotium proueheret. Hic homo, non humili tantùm loco, sed & vili natus, cùm in aulam irrepsisset, regique à sacello factus esset, tandem Ricardi Vintonienſis Episcopi opera, Regijs eleemosynis præficitur: mox, Tornaco apud Morinos in potestatem Henrici redacto, Tornacensis Episcopatus vectigalia ex Regis donatione capit: paulò pòst, fit & ipse Episcopus; primùm, Lincolnienſis, deinde Dulmanensis, tum autem Vintonienſis, ac simul etiam Archiepiscopus Eboracensis (nam Vintonienſem & Eboracenſem duos locupletissimos Episcopatus simul possedit) demùm fit totius regni Cancellarius, addo etiam Cardinalis, & ad vniuersum Angliæ regnum de latere Legatus. Quid quòd, tùm Franciſci Galliarum Regis, tùm Caroli Cæsaris annuis præterea pensionibus, & muneribus augeretur, vt omittam locupletissimas Abbatias, in quas vbique terrarum inuolauit, quodque omnium caput erat, ipse Rex Angliæ totus erat in Volsæi potestate, omnia pro illius arbitratu distribuens atque administrans. Et tanquam hæc omnia parũ essent, primam totius Ecclesiæ sedem occupare, ac vanitatis sacerdotalis fastigiũ conscendere, conatu summo nitebatur. Quod cùm Carolus Imperator persentisceret, hominis ingenio ad suam rem abusurus, Volsæum tanta obseruantia colere cœpit, vt crebras ad eum literas,

Volsæi Ecclesiasticæ dignitates.

Volsæus ambit summũ Pontificatum.

Caroli Cæsaris erga Volsæum obseruãtia.

nec

nec alterius quàm Cæsarea manu perscriptas, daret, subscriberetque in hæc verba: *Filius vester & cognatus Carolus.* Quin etiam spem maximam dedit, si Volsæus efficeret, vt Henricus Angliæ Rex perpetuum fœdus cum Cæsare coleret, Regemque Franciæ Bello simul petendum decerneret, se ex altera parte effecturum, vt Volsæus mortuo Leone decimo, fieret summus Pontifex. Implet Volsæus conditionem, quàm cupidè. Sed cùm Carolus tantùm ab eo quod obtulerat præstãdo abfuisset, vt potius magna cum sua laude, Adrianum sextum ei loco præficiendum curaret (licet paulò antè fama esset disseminata per vniuersam Italiam, Volsæum esse Papam factum) Volsæus adhuc dissimulandum ratus, mortem etiam Adriani expectat. Porrò cùm ne tunc quidem rationem sui à Carolo haberi animaduerteret, quinimò post Franciscum regem Galliarũ in bello Ticinensi captum, & duos filios loco patris deinceps in potestatem eius redactos Cæsar & rarò ad Volsæum, & non nisi aliena manu scriberet, nec aliud quã nudũ Caroli nomẽ subscriptionis loco apponeret: tunc Volsæus apertè furere, Carolo summis viribus aduersari, ad hostes Caroli transire, & Christianismo Regi se totum cœpit addicere.

Vide Longolium in ep. ad Polum.

Volsæi à Carolo alienatio.

Anno 1525.

Hac ergò de causa ira inflammatus, cùm & Henricum Regem alieniore animo à Catharina, & ambitionem suam sanctissimæ fœminæ grauem ac molestam esse intelligeret, ratus consilium hoc suum & sibi vtile, & Regi non ingratũ, & Reginæ odiosum, & Carolo molestissimum fore, si materterã eius à regio tha-

lamo penitus disiunxisset, Ioannem Longlandum Lincolniensem Episcopum, qui Henrico Regi erat à confessionibus, ad se vocat: ei narrat, quantæ sibi curæ sit æterna regis salus: nam nec sileri posse quòd tanti sit momenti, nec alteri priùs aperiri debere, quàm ei viro qui omnia secreta Regis optimè nouerit. Quid multis? demum ait, matrimonium Regis cum Catharina parum sibi firmũ videri; & cur id sentiat, multas obtendit rationes. Longlandus hominẽ sincerè loqui arbitratus, nec ausus tanto viro contradicere, sciens etiã hanc rẽ ingratã Regi accidere nõ posse, id tantũ respõdit, par esse, vt Rex tantæ rei, nõ ab alio priùs, quàm ab ipso Volsæo admoneatur. Hoc in se Volsæus recipit, quẽ simul ac Rex in eũ sermonem veniſſe audiuit, Caue (inquit) ne rẽ semel iudicatam, iterum in controuersiam voces.

Anno Domini 1526.

Triduò autẽ post, Longlandus à Volsæo ad regẽ ductus, id sultẽ petit, vt sua Maiestas rẽ cognosci & examinari permittat. Cũ Rex non abnueret, Volsæus intulit; spectatæ formæ ac nobilitatis fœminã in Gallia esse Margaretã Christianissimi Regis sororẽ, quæ duci Alinsonio aliquãdo nupta fuerat, hanc Regio thalamo in primis cõuenire. De hoc (ait Rex) agemus postea: nunc silentiũ ante omnia necessariũ est, ne res immaturè patefacta, honorẽ nostrũ aliquo pacto læsisse videatur. Ipse enim sciebat quàm potissimũ fœminam, repudiata semel Catharina, ducturus esset. Cùm ergo silentium singuli promisissẽt, rex in hanc de suo repudio quæstionẽ totus incumbens, cum certis Theologis ea scripturæ sacræ loca, quæ ad rẽ facere videbantur,

Progressio inchoatæ rei.

Silentium.

Collatio.

bantur, maximè, quæ in Leuitico & Deuteron. scribuntur, studiosissimè perlegit & contulit: diligenter etiam Iulij II. literas discussit, quæ ipsius cum Catharina Matrimonium confirmabant. Vbi autẽ in hoc genere quæstionis examinando, integrum ferè annum clã insumpsisset; nec aut in sacris literis, quod eũ iuuare, aut in Põtificis diplomate, quòd iustè reprehẽdi posset, quicquam reperisset: cũ præterea, si quid in Papę literis, ambiguũ antè videbatur, id per nouas literas, Ferdinandi regis opera postea impetratas, clariùs expositum, & planiùs expressum vidisset, visum est & regi, & cæteris quos in cõsilium adhibuerat, nihil ampliùs in ea re tenẽdum esse. Atq; ita sanè euenisset, nisi quòd: partim Volsęus illum quiescere nõ patiebatur, partim animus Regis Catharinæ pertęsus, Annæ Bolenæ potiundæ cupidus, & vtramq; ob causam diuortij auidus, minimo quolibet momento, in nouã semper spem atq; opinionẽ inclinabat. Accidit eo tempore vt ex Francis Legati adessent, qui Mariam Vvalliæ Principem Delphino antea promissam, Aurelianensi nũc potius Duci secundo Franciſci filio, nuptum dari peterent. In ijs erat Episcopus Tarbiẽsis. Rex igitur Hẽricus Volsęo auctor fuit, vt ipse, non quidem regis nomine; sed tanquàm partis Gallicanæ fidelissimus amicus, huic Episcopo cõtrouersiam de Regis matrimonio nuper exortam insinuaret, diceretque, si fortè illud matrimonium quo iam Henricus tenebatur, dissolui posset; spem certam esse, regem Henricum regis Galliarum sororem in coniugem absumpturum. Fecit Volsæus quod imperatum

Leuit. 18. Deut. 25.

Tempus deliberandi.

Desperatio.

Nouæ occasio.

Dolus malus.

ratum est, additq; talem esse hanc causam, quæ ab Anglo quopiam tentari primùm, & proponi non deberet: quem enim subditum posse inuidiam tantam sustinere, vt regis sui Matrimonium accuset, aut in dubium vocet? æquum esse vt ipse Tarbiẽsis, tanquam, & sui regis causam agens, & commune vtriusque regni bonum prouehere cupiens, hoc oneris in se susciperet.

Prima Anglorum patefactio.

Visa est Tarbiensi honesta oratio. Rex igitur cum suis Collegis communicata, in senatu regis Angliæ, ipso rege Henrico præsente dixit, Non minus inter Anglos quam Gallos constare, nihil vtrique regno magis expetendum, quàm pacem. Et hactenus quidem actum esse de nuptijs, inter ducem Aurelianensem, & sereniſsimam Vvalliæ Principem Mariam, ob commune hoc pacis bonum, ineundis; quas magnum vtrique genti commodum allaturas non dubitet. Sed aliam subesse viam huic negotio expediendo infinitis partibus oportuniorem, si eam sibi liceat proponere. Et cur (inquit) non liceat, cum non solùm apud Christianos, verùm etiam apud optimos, & prudentiſsimos viros agatur, qui omnia priuata publico bono postponenda iudicant? Quanto enim vtilius futurum, vt viri quàm pueri; vt summi regnorum Gubernatores, quàm inferiores aliqui Principes, denique vt ipsæ regiæ personæ, quàm regũ liberi has inter se nuptias contrahant? Ac nostra quidem ex parte, satis constat Christianiſsimi Regis sororem Duciſsam Alinsoniam, & viro maturam esse, & nihil aliud quàm talem maritum expectare, qui

Tarbiensis Episcopi oratio ad regem & senatum.

generis

generis ipsius regium splendorem potius illustret, quàm obscuret. Iam si etiam in Anglia vir quidam primarius, imò primus omnium vxore careat, cur has regias personas ad ingentem vtriusq; regni vtilitatem, nuptiarum fœdere coniungendas non curamus?

Aggressio ad causam manifestã.

Tua, tua serenitas, Henrice rex potentissime, quem honoris causa nomino, si non quod apparet sed quod verum est spectetur, à nuptiarum vinculo non meo tantũ, sed penè omniũ doctissimorum hominum iudicio libera est & soluta. Quanquam enim Chatarina tùm nobilissima, tùm sanctissima fœmina existat, tamẽ cum fratris tui vxor prius fuerit, satis admirari non possum, quo iure vxorem fratris tui, quã tibi habere iuxta Euangelium non licet, habeas & retineas? Equidem non dubito Anglos, qui tuo imperio subsunt, hoc idem Euangẽlium colere, quod nos colimus, & propterea idem etiam nobiscum sentire, licet id palam profiteri non audeant, donec tua serenitas liberam in hac causa eis fecerit dicendi potestatem. Nam exteræ nationes liberiùs de his nuptijs semper locutæ sunt, vehementer etiam dolentes, regiam adolescentiam tuam ab aliorum quibus fidebat consilijs in hanc fraudem esse inductam. Nunc si verum est, neminem posse fratris sui vxorem sibi in vxorem sumere, habet tua serenitas modum longè optimum, quo & se ab his quibus iam implicatur nuptijs, quàm primum exuat, & Christianissimi regis sorore in locũ Catharinæ assumpta, pacem inter hæc nobilissima regna firmam atque adeò perpetuam stabiliat. At de his quidem rebus tua prudentia maturiùs

Mar. 6.

Mendacitũ.

Conclusio.

maturiùs cogitabit, mihi satis sit, rem non minùs vtilem quàm honestam, Christiana libertate in medium protulisse.

Dissimulatio Regis.

Henricus hanc rem velut nouam, & hactenus inauditam admirari se, atque etiam ægrè ferre simulans, tamen cùm ad honorem atque adeò salutem ipsius æternam spectaret amplius deliberandum censui. Tarbiensis verò vt rei tam latè insperatum nuncium Christianissimo Regi primus apportaret, in Galliam aduolauit.

Populi Anglicani studia.

Populus autem Anglicanus vbi hoc audiuisset, statim & Galliarum legatos maledictis, & regis propositum omni vituperatione insectatus est. Nemo enim dubitabat quin de regis consilio hæc res excogitata, & proposita fuisset.

Clementis Papæ captiuitas. Anno 1527.

Hoc ipso tempore Burbonius Princeps (quanquam sua morte eam perfidiam luerat) vrbem Romam occupasse, diripuisse, incendisse, sacra omnia prophanasse, ipsumque Pontificem Clementem septimum obsidere, imò & captiuum tenere dicebatur. Volsæus, hac arrepta occasione, regem Henricum ad auxilium Pontifici ferendum stimulat: nec aliter posse illum facere, quàm vt defensorem fidei sese exhibeat, cùm nuper eum titulum (ob librum contra Lutheri hæreses conscriptum) sibi & posteris suis à Sede Apostolica donatum accepisset. Quid? quòd hac vna re Papam in æternum sibi deuinceret, quem ob eam rem in causa diuortij sui non modò propitium iudicem, verum etiam diligentem patronum habiturus esset, imò & Franciæ regem, ac præsertim libe-

Cur Henricus defensor fidei à Leone Papa dictus.

ros

ros eius perpetuò sibi demeriturus, quos in Cęsaris potestate constituto, hac ratione in libertatem asserere posset.

His verbis Rex adductus est, vt Cardinalem in Gallias cum trecentis aureorum millibus, & collegis duobus mitteret. Ac præter mandata generalia, quæ tribus Legatis ex æquo dabantur, solus Volsæus mandata quędam occulta seorsim accepit, de Catharinæ diuortio procurando, de Matrimonio cum Ducissa Alinsonia contrahendo', & de filijs Christianissimi regis ex Cæsaris manu eruendis. Ibat Volsæus * regia pompa lætus, & triumphans: cùm ecce, dum Caleti agit; nouas ab Henrico literas accipit, vt ne vllum de nouo Matrimonio cum Regis Galliarum sorore ineundo verbum faceret; sed tantùm de cæteris articulis. Iam enim Rex omninò statuerat; si Catharinam reijcere posset, Annam Bolenam in locum eius assumere. Indignari Volsæus, qui diuortium Catharinæ non ob aliud magis vrserat, quàm vt Regem Christianissimum per nouas illas nuptias totum sibi obstringeret atque obligaret. Non ignorabat quidem Volsæus, Henricum miserè amare Annam Bolenam, atque adeò deperire: sed illam putabat concubinæ tantùm. non etiam vxoris loco futuram; non secus ac eiusdem Annæ primùm mater, deindè & soror concubinarum loco iamdiù Regi fuerant, absque vlla spe vxoris Regiæ dignitatem consequendi.

Legatio Volsæi Galliam.

**Equitibus 1200 stipatus, vt ait Guicerd.*

Mandatorũ reuocatio ex parte.

Erat Anna Bolena, vxoris Thomæ Boleni, equitis aurati filia: vxoris dico, nam ipsius Thomæ Boleni filia esse non poterat, propterea quòd

Anna Bolena mater.

quòd illo in Francia legatum agente, & biennium ibi commorante, Anna Bolena interim domi concepta est & nata. * Cum enim Rex Henricus Thomæ Boleni vxorem adamaret, vt ea liberiùs frueretur, virum sub specie honoris, in Franciam ablegauit. Interim Anna Bolena domi concipitur & nascitur. Thomas autem Bolenus post biennium è Francia rediens cum vxorem suam peperisse filiam vidisset, vlciscendi huius adulterij cupidus, vxorem apud Archiepiscopi Cantuarienſis delegatos iudices in ius vocatam, repudiare in animo habuit. Vxor eius rei certiorem reddit Henricum regẽ. Is Marchionem Dorcestriæ ad Thomam Bolenum mittit cum ijs mandatis, vt abstineret à à lite, condonaret vxori, eamque iterum in gratiam reciperet. Bolenus quanquam à regis ira sibi timendum videret, tamen prius mandatis eius non paruit, quàm ab vxore audisset, ipsam à rege solicitatam fuisse, nec Annam Bolenam alterius quam Regis Henrici filiam esse: proinde in genua procumbens, rogabat virum, vt sibi parceret, de cætero se fidelem ei coniugẽ futuram: quod ipsum cum Marchio Dorcestriæ, alijque viri primarij, tam suo, quàm regis nomine peterent, Thomas vxori conciliatus, Annam Bolenam filiæ loco educat.

Iam prius Thomas Bolenus aliam filiam ex coniuge sua genuerat, cui nomen Mariæ imponebatur. In hanc Rex dum ad matrem ibat, oculos coniecerat, eandemque post Thomæ Boleni reditum, in aulam suam, imò & in adulterinum thalamum traduxerat. Cum autem Hẽrici Regis domus ex perditissimo genere hominum

* *Hæc narrantur à Gulielmo Rastallo iudice in vita Thomæ Mori.*

Anna Bolenæ pater.

Maria Bolena Annæ soror.

Comites Regis domestici.

minum constaret; cuiusmodi erant aleatores, adulteri, lenones, assétatores, periuri, blasphemi, rapaces, atque adeò hæretici: inter hos insignis quidam nepos extitit Franciscus Brianus, eques auratus, ex gente & stirpe Bolenorũ. Ab illo Rex quodam tempore quæsiuit, quale peccatum videretur, matrem primùm, deinde filiam cognoscere? Cui Brianus omninò (inquit) tale, ô Rex, quale gallinam primùm, deinde pullum eius gallinaceũ comedere. Quod verbum cum Rex magno risu accepisset, ad Brianum dixisse fertur: Næ, tu meritò meus es inferni Vicarius. Brianus enim iam priùs ob impietatem notissimam, vocabatur Inferni Vicarius; post hoc autem, & Regius inferni Vicarius. Rex igitur, cùm & matrem priùs, & postea filiam Mariam Bolenam pro concubina tenuisset, demum ad alteram quoque filiam Annam Bolenam, animum adijcere cœpit.

Brianus.

Vicarius inferni.

Fuit Anna Bolena proceriore corporis statura, capillo nigro, facie oblonga, colore subflauo, quasi icterico morbo laboraret, cui dens vnus in superiore gingiuo paululùm prominebat, in dextra manu sextus agnoscebatur digitus, sub mento etiam succrescebat turgidum nescio quid, cuius deformitatis tegendę causa, tam ipsa, quàm ad illius imitationem, reliquæ regiæ ancillæ, colli & pectoris superiora, quæ antè nuda gestabant, operire cœperunt; reliqua corporis proportio pulchrior videbatur, maxima venustas in labijs, in facetijs, in saltandi & fidibus ludendi peritia, denique in vestitu, quem quotidie & nouum excogitauit, & elegantissimum gessit, omnium aulicorum

Habitus corporis Annæ Bolenæ.

in ea re exemplar & speculum. Quod verò ad mentis imaginem attinebat, plena fuit superbiæ, ambitionis, inuidiæ, luxuriæ. Cùm quindecim esset annorum, ab eo qui Thomæ Bolenno à poculis, atque etiam ab altero, qui eidem à sacello fuit, sese deflorari passa, mox in Gallias mittitur, vbi regio sumptu, non longè à Briero, apud nobilem quendam virum educata, paulò pòst ad palatium regis Galliarum se contulit. Ibi tam impudicè vixit, vt vulgò à Gallis appellaretur Hacnea, seu Equa Anglicana. Cùm autem & in Regis Galliarum familiaritatem ascita esset, cœpta est vocari Mula Regia. Hæresi etiam Lutheranæ addicta erat, vt ne religio à vita discreparet. Nec tamen à solennibus Missarum Catholico ritu peractis abstinebat, quia regis consuetudo, & ambitionis institutæ ratio id ab illa extorquebat.

Habitus mentis.

Educatio.

Sleidanus lib. 9.

In Angliam verò cùm reuertisset, atque in familiam regiam cooptata esset, facilè didicit, vt quàm tæderet regem antiquæ vxoris, & quid Volsæus moliretur, & quantopere Henricus tùm ipsam deperiret, tùm alias concubinas subinde mutaret. Nam præter exempla externa, tùm matrem suam priùs, tùm deinde sororem viderat ex illa præcipua regis gratia excidisse: quid ergo, & ipsa paulò pòst sperandũ, ni si ab initio sibi ipsa cõsuleret? Quod consilij cùm cœpisset, quanto magis Rex eius consuetudinem expetijt, tantò vehementiùs preces regias illa repulit, sanctè dictitans, nemini se virginitatis florem, præterquam viro suo dedicaturam. Colloqui, colludere, simul etiam

Anna astutia.

iam cum rege saltare, nunquam à sua modestia alienum iudicauit: tantùm à concubitu abhorrere se finxit. Quibus artibus ita Regem inescabat, vt iam ei magis magisque fixum, & cõstitutum esset repudiata Catharina, tam sanctam virginem in vxorem accipere. Is rumor cùm in Galliam perlatus fuisset, passim dictabant Regem Angliæ ducturum esse mulam Regis Galliarum. *Sermones Gallorum.*

Agebat etiam tunc in Gallijs Thomas Bolenus, qui pater Annæ putabatur, eò missus à Rege vnà cum nobilissimo equite Antonio Bruno, ad certa Regis negotia expedienda. Is ergò vbi audisset Henricum perditè amare Annam Bolenam, atque adeò velle eam in regni consortem assumere, inconsulto Rege, præter Legatorum morem, citato cursu in Angliã venit, id Regi suggesturus, quod nisi tempore apperiret, postea per alios reuelatum ipsi Boleno periculum creare posset. Occurrit autem Boleno Henricus Nortesius, qui Henrico Regi erat à cubiculis. Hunc Bolenus rogat, vt inopinatum eius aduentum apud Regem excuset, simulque secretam ei audientiam impetret. Introductus ad Regem Bolenus, rem ab initio repetit, dum ipse in Francia olim degeret, natam vxori suæ Annam Bolenam; ac se quidem voluisse vxorem ea de causa repudiare, nisi & rex intercessisset, & vxor apertè fassa esset, Annam Bolenam esse filiam Regis. Tace ô stolidè (inquit Rex) centum alij ex æquo tuam vxorem compressêrunt. Cuiuscunque illorum sit filia, certè quidem erit vxor mea: Tu ad legationem tuam reuertere, nec verbum cuiquam *Thomæ Boleni de Annæ testimonium.*

de hac re feceris. Hæc subridens Rex, cùm dixisset, eo loco discessit, Thoma Boleno adhuc in genua prouoluto.

Fictio ad rẽ regendam.

Vt autem minùs homines mirarentur, quæ causa tam subiti aduentus Thomæ Boleni extitisset, disseminatus est sermo, eum ad Regem attulisse depictam Ducissæ Alinsoniæ imaginem. Postquàm verò Thomas Bolenus animaduertit Regem omninò decreuisse, Annam Bolenam matrimonio sibi copulare, tam ipse quã vxor ipsius omnem curam, laborem cogitationem, in Anna Bolena instituenda posuerunt, vt ne quo errore à tanta spe deciderent. Contra verò qui erant in toto Angliæ regno viri graues, pudici, bonæ famæ, ac Deum timentes, maiorem in modũ & à diuortio Catharinæ, & ab his nouis Annæ nuptijs abhorrebant. Præter

Senatus Regij studia.

cæteros, ij, qui ex Regio Senatu erant, sui officij putarunt esse, vt Regem tanti erroris admonerent. Et quoniam laici de iure diuino iudicium suum interponere noluerunt, visum est illis non nisi de Annæ Bolenæ vel turpi vita vel certè pessima fama agendum esse. Ac nec solis vulgi sermonibus duci viderentur, ipsi putarunt in rem totam inquirendum.

Thomas Viatus.

Eminebat inter Palatinos insignis quidam aulicus Thomas Viatus, qui veritus ne si fortè Rex aliunde impudicissima Annæ Bolenæ instituta didicisset, ipsius, qui malè sibi conscius erat, vita in discrimen veniret, iamque intelligeret Senatum Regis hoc ipsum agere, adeum vltrò venit, ac se confessus est cum Anna Bolena rem habuisse, nihil minùs cogitantem,

tem, quam Regem velle ipsam thori consortem facere.

Senatus ita instructus, vbi apud Regē præfatus esset, officij sui esse, non tantùm vitæ; sed etiam honori, & famæ Regis consulere, subiūxit; Annam Bolenam magnis infamiæ maculis atque adeò apertis criminibus implicatam teneri, minimè vt ipsius Maiestatem deceret illā in vxorem accipere: ac statim quid Viatus vltrò confessus esset, in medium protulit. Rex cùm paulisper tacuisset, tandem respondit: nihil se dubitare quin magna ipsius obseruantia, & amore adducti essent, vt ista nunciarent; se tamen certò credere, omnia illa esse à nebulonibus conficta, atque adeò iuratò affirmare audere, Annam Bolenam esse castissimam virginem. Thomas Viatus ægrè ferens suo verbo fidem non esse habitam, quibusdam ex Senatu dixit; Si hoc Regi videretur, se curaturum, vt Rex ipse ex secreto quopiam loco videret Annam in amplexus ipsius ruentem: valdè enim amabat Anna Thomam Viatum. Quam rem, cū Carolus Brandonus Suffolciæ dux, Regi, exposuisset, Viatus (inquit Rex) audacem & suspitiosum lenonem se ostendit, sibi autem non placere talia spectacula. Quid multis? Rex Annæ totam rem narrat, Viatum comitatu suo abdicat: quæ tamen res post detectum Annæ Bolenæ adulterium & incestum, Viato saluti fuit, qui aliàs vna cum cæteris mœchis neci datus fuisset.

Cæcus amor Henrici.

Iam verò Volsæus ex Gallijs redierat confectis ex sententia negotijs, præterquàm eo quòd maximè omnium concupierat, matrimonio

Volsæi in Gallijs negotiatio.

scilicet sororis Francisci cum Henrico, cuius tractationē cum summo eius dolore, prohibitam ei fuisse ab Henrico iam diximus. Capita autem eorum quæ confecerat, hæc erant. Primò, vt inter Henricum & Franciscum perpetua esset confœderatio; deindè, vt communibus viribus bellum inferrent Cæsari per Italiam, quousque Pontificem omnino liberum faceret, & Francisci filios, quos apud se habebat, honestis conditionibus dimitteret; vniuersæ verò rei gerendæ Lautrecus Dux, Francisci, Casalis verò eques auratus Henrici nomine, præesset; contribueret etiam Henricus, triginta duo millia aureorum in sumptus bellicos vniuscuiusque mensis. Quibus rebus confectis, Volsæus ingentibus muneribus à Francisco donatus, discessum parat; Priùs tamen de cōsilio Francisci, citato cursu Romam mittit Protonotarium Gamberum, qui Pontificē doceat, quanta sua causa feciſſet, eique persuadeat, vt in grati animi testificationem Volsæum constitueret suum, & Ecclesiæ generalem Vicarium, per Galliam, Angliam, & Germaniam, saltem quoad ipse Pontifex libertatem reciperet. Cui petitioni quanquam Rex Franciscus apertè suffragabatur, occultè tamen vehementer resistebat; nec res Pontifici grata esse poterat, licet ei pro tempore dissimulandum fuerit, quousque in libertatem restitueretur, quod septimo captiuitatis suæ mense iubente Cæsare factum est.

Volsæi reditus.

Volsæum iam ex Gallijs reuersum Rex monet, vt causam repudij, quantùm potest apud Pontificem prouehat, tardiùs verò agentem duriùs

duriùs aliquando excipit. Si enim repudianda esset Catharina, quòd Volsæo videbatur, cur perindè sibi non licere ciuem, ac peregrinam, in matrimonium accipere? Volsæus, cui iam ab incœpto resilire integrum non erat, quanquam ingenti dolore corriperetur, tamen rem dissimulat, operam suam promittit, tàm Regem quàm Annam Bolenam ad Eboracense palatium inuitatos epulo splendidissimo excipit.

Varia hominum studia.

Iam causa diuortij per omnium ora ferebatur: iam omnes qui non nisi ex nouis rebus crescere se posse animaduertebant, cùm ad summos honores aditum sibi per huius diuortij speciem fieri viderent, id omni ratione prouehebant. Contrà verò, quos solus amor veritatis ad fidem confitendam impulit, illi quidem Reginæ ab hominibus iam planè desertæ, æquissimam causam tuebantur. Libri passim conscribũtur, alij pro Catharinæ matrimonio, alij contra illud. Qui autem Catharinæ matrimonium oppugnabant, eorum liber Henrico oblatus, cùm apud Cardinalem Volsæum præsentibus multis Episcopis lectus esset, nihil aut pro veritate clariùs, aut in Regem duriùs dicere plerique Episcoporum ausi sunt, quàm ex ijs, quæ illic in medium proferebantur, iustè posse Regem de matrimonio suo cum Catharina iam diu inito, scrupulum aliquem concipere. Nõ erat tam hebes Rex, quin diuortij sui causam (cui non ferè alij quàm impij atque indocti fauebant; optimus autem, & doctissimus quisque maximè aduersabatur) vehementer laborare atque afflictam esse intelligeret.

Libri scripti de matrimonio.

Vocat ergò ad se Thomam Morum, cuius, & ingenium esse maximum, & doctrinam excellentem, & integritatem summam probè sciebat: eum interrogat, quid ei de Matrimonio Catharinæ videretur? Morus erat tunc quidem ex regio Senatu, nondum autem totius regni Cancellarius. Is ingenuè respondit, Regis diuortium sibi nullo modo probari. Aegrè hoc responsum tulit Henricus, sed tamen ne quid tentatũ relinqueret, tùm maxima illi munera, si Regiæ voluntati suam accõmodaret, promisit; tùm præcepit, vt cum Doctore Foxio Regij collegij apud Cantabrigiam moderatore, de ea re conferret. Hic enim Foxius in diuortio prouehendo facilè primas inter omnes tulit. At post collationem, cùm Morus adeò non mutasset animum, vt iam multò liberiùs Regẽ hortaretur, ne vxorem suam repudiaret, Rex nunquam deinceps cum illo de ea causa locutus est, cuius tamen opera in cæteris negotijs conficiendis maximè omnium vtebatur. Dicebat verò apud suos, pluris se facturum si Thomam Morum ad suas partes attrahere posset, quàm si præterea dimidiam regni partem suo instituto assentientem haberet.

Thomæ Mori iudicium.

Foxius.

Maria Bolena in sororem inuidia.

Illud his diebus perbellè accidit vt Maria Bolena maior natu soror, cùm videret Annam Bolenam sibi prælatam; seque non solùm iam à Rege, verùm etiam à sorore contemptam, ad Serenissimã Reginam accederet, eamq; iuberet bono animo esse. Quanquã enim Rex tanto suæ sororis desiderio flagraret, tamen fieri nũquam posse, vt eam vxoris loco duceret. Cuius enim fœminæ sororem (ait Maria Bolena) quis cogno-

cognouerit, eam ipsam fœminam ab eodem in vxorem accipi leges Ecclesiæ vetant? Quòd autem me (inquit) Rex cognouerit, neq; ipse negabit, & ipsa ego id corã affirmabo, quoad viuam. Iam si sororem meam non duxerit; neque tuam Serenitatem repudiabit.

Sereniſsima Regina cùm gratias egiſſet, omnia ſe, quæ facienda aut etiam denuncianda viderentur, de aduocatorum conſilio facturam dixit.

Henrici hæſitatio.

Henricus verò non tam Eccleſiaſticarum legum, quàm Caroli Cæſaris metu reprimebatur, quod probè ſciret, nec illum æquo animo laturum materteræ ſuæ repudium, & ſuos ſubditos indignè laturos, ſi relicta Burgundicæ domus antiqua ſocietate, qua cùm omnes iamdiù quæſtuoſa vtrinque commercia exercuerant, cum Gallis noua, & dubia fœdera inirentur. Vidit præterea virtutes Catharinæ omnium bonorum animos in amorem ipſius & admirationem conuertiſſe: Annam contra, pro meretrice paſsim haberi: Volſæum, cui totius regni ſui adminiſtrationem cõmiſerat, iam non ampliùs diuortij cauſam, vt antè ſolebat, vrgere: denique, omnium, quæ ageret Deo reddẽdã eſſe in vltimo die rationẽ. Quę cogitationes ita illũ nocte ac die fatigabant, vt incertus conſilij, expers ſomni, dubius amicorum, certus hoſtium, addo, & cõſcientiæ ſuæ teſtimonio condemnatus, inſuauem ſibi vitam degere videretur.

Spes Hẽrici.

Sed cùm Annæ Bolenæ amplexibus, præterquam ſi eam pro vxore haberet, frui penitùs nõ poſſet: audiret autem à nonnullis illegitimũ

esse, quod cum Catharina inierat matrimonium; sciret verò, se tam bene meritum de Papa Clemente, vt certò speraret illum omnia facturum, quæ ab eo postulasset, & per authoritatem eius tàm vicinos Principes, quàm subditos suos placatum iri: à concupiscentia sua victus, obfirmatissimo animo decreuit, Catharinam repudiare; Annam ducere; Cæsarem cui Galli, Veneti, Florentini eo tempore aduersabantur, contemnere. Et certè si non is esset Papa Romanus, quem ob Petri sedem quam tenet, ipsius Christi potentissimæ preces in fide confirmassent; liquidò apparebat, omnia facturum Clementem, quæ Rex ipse optasset.

Luc. 22.

Dum Rex ita esset affectus, etiam Volsæus non dissimili vexatus morbo huc illucque rapiebatur, modò gaudens, Imperatorem ab Hērico negligi: modò Annam Bolenam ad summam dignitatem euehi dolens: modò timens, ne Rex, ipso contempto, alios curandi sui diuortij modos quæreret: modò sperans Regis animum ab Anna Bolena tandem auocari, & ad nuptias cum Christianissimi Regis sorore contrahendas adduci posse. Vtcumq; id euenturum erat, ipse à dominandi libidine superatus, omnem sibijpsi vim attulit, vt Regis expectationi satisfaceret.

Fluctuatio Volsæi.

De vtriusque igitur sententia statuitur, tandem Stephanum Gardinerum iurisconsultissimum virum, qui prius in familia Volsæi versatus, nuper cœperat à secretis Regi esse ad Papam vna cum Francisco Briano mittendum. Hi vt gratiores Pontifici essent, in itinere cū Venetis, Henrici Regis nomine egerunt, vt Ra-

Stephani Gardineri legatio ad Papam.

uennam

uennam redderent Sedi Apostolicæ; quòd tamen Veneti facere tunc recusarunt. Inde ad vrbem Veterem (hodie Vibietum) quò primum Pontifex ex Adriani mole liberiùs se cõtulerat, accedentes, postquàm de libertate ei reddita gratulati essent, hæc duo capita proposuerunt; priùs vt sua sanctitas ad fœdus illud recens, quod inter Anglum & Gallum contra Cæsarem percutiebatur; seipsam adiungere dignaretur; posteriùs, vt matrimonium Hẽrici cum Catharina, fœmina quidem optima & nobilissima, sed tamen quondam germani fratres sui coniuge præter legem naturæ (vt aiebant) contractum, authoritate sua irritum declararet, Nam in eare obtemperatum Iulio secundo fuisse, cui contra ius diuinum dispensandi nullam fuisse potestatem. *Legationis capita.*

Qui scrupulus, quanquam domi, Episcoporum Angliæ iudicio, ab animo Regis eximi potuisset, tamen, vt ne qua suspicio Cæsari oboriretur, tanquam in solius Regis gratiam Episcopi Anglicani hoc feciſſent, maluisse Regem hanc causam ad summum totius Ecclesiæ tribunal referre. Posse verò suam Sanctitatem huic morbo facillimam adhibere medicinam, propterea quòd ea sit Catharinæ Sanctitas, tale austerioris vitæ studium, vt postquam mutuo cõsensu diuortium fuerit interpositum; illa non difficulter sit in monasteriũ aliquod sese abditura. Iudices verò huius negotij quos dari posse meliores, quã lectissimos Cardinales Cãpegiũ & Volsæũ; quorũ alter in Anglia degens, causã optimè perspectã habeat, alter sub Leone decimo *Perterrefactus Papa.* *Mendacium.* *Iudices petiti.*

cimo in Angliam cum potestate Legati missus, res Anglorum non penitùs ignoret. Addunt præterea Regem Henricum tam grato animo beneficium hoc accepturum, vt stipendia sit persoluturus quatuor millibus peditum, ad perpetuam suæ Sanctitatis custodiam, quo minus sit ei necesse, vel à Cęsare vel ab alio Principe vim timere, si fortè hac Pontificis declaratione offendantur.

Henricus muneribus tentat Pontificem.

Papa vbi gratias & Regi & ipsis egisset, & cur in Gallicum fœdus intrandum sibi illo tẽpore non putaret, rationem reddidisset: quòd ad causam diuortij attinebat, eos cum certis Cardinalibus & Theologis de ea re agere voluit; professus, si hoc quod Rex petebat, legitimè fieri posse constaret, se nõ modò idipsum libenter facturum; sed etiam seriò sibi gratulaturum, quòd occasio esset oblata tanto principi gratias referendi, qui & libro doctissimo pro septem Ecclesiæ Sacramentis conscripto, de tota Ecclesia optimè esset meritus, & præterea sedem Apostolicam nuper propugnasset, maximeque omnium, suam ipsius personam ex manibus hostium ereptam, & vindicatam perpetuò sibi deuinxisset.

Responsum Papæ.

Prima causæ delegatio.

Cardinales & Theologi rationibus atq; argumentis Legatorum perspectis: vno consensu responderunt: matrimonium Henrici cum Catharina ratum & firmum esse, nec vllo diuino iure prohiberi. Nam quicquid in Leuitico, de turpitudine vxoris fratris non reuelanda legatur, id necessariò ita interpretandum, vt, ne repugnet ei legi quæ postea in Deuteronomio præcipit superstiti fratri, vt fratris absque liberis

De legatorũ Cardinaliũ sententia.

Leuit. 18.

Deuter. 25.

liberis defuncti vxorem ducat. Aut enim has leges pulchrè consentire & posteriorem nihil aliud quàm prioris exceptionem quãdam esse, aut si contrariæ essent, non priorem posteriori, sed posteriorẽ quæ in Deuteronomio extat, derogasse priori quæ in Leuitico traditur. Quòd verò verbum Ioannis Baptistæ laudassent, quo dixit ad Herodem: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*, Ioannem tunc egisse de tali Herodis fratre, qui & viueret, & Iturææ ac Traconitidis Tetrarcham ageret, & filiam ex se genuisset: cùm Arthurus Henrici frater nec iam viueret, nec prolem ex se reliquisset. In causa igitur tam perspicua iudices dandos nõ esse, maximè in Anglia, vbi omnia in potestate Regis futura sint, & præsertim tales qui ob multa beneficia de Regis Henrici manibus accepta, maiorem in modum ei sint obstricti.

Marc.6.

Luc.2.

Cùm hoc responsum Doctori Stephano significatum esset, ad Pontificem reuersus dixit, primùm, alijs Theologis in vrbe aliud videri; deindè, si matrimonium Henrici iure diuino interdictum non fuisset, tamen Regem ostensurum ipsius Iulij dispensationem minimè fuisse canonicam aut legitimam. Illud se maximè omnium mirari, quòd iudices qui priuatis non negarentur, tanto & tàm bene merito Regi dandos non esse dicatur; benignius responsum se à sua Sanctitate expectare. Faciam (inquit Pontifex) Regis causa quicquid iure mihi facere licebit. Cæterùm agitur iam non de causa humani iuris, verùm de matrimonio fidelium? quod cùm sit Sacramentum à Christo in-

Replicatio Doctorum.

Papæ interlocutio.

Matth.19.

sto institutum, nihil in eo nobis innouare licet: & agitur de matrimonio dissoluendo, quod à Deo coniunctum homo non separat: & agitur de tali matrimonio dissoluendo, quod authoritate decessoris mei contractum, viginti annorum cohabitatione munitum, etiam prolis fructu sit corroboratum. quid? nonne agitur etiam de honore tàm Catharinæ Principis, quàm Caroli Cæsaris? Et quis præstabit, ne hoc diuortium magni alicuius belli causam præbeat? Mei autem officij est videre, ne quid turbarũ, quibus obstare queam, in Ecclesia Dei oriatur. Pontifex vbi hæc dixisset, iterũ Regis causã alijs Cardinalibus, & Theologis cognoscendã cõmisit. Ibi quanquàm nonnulli dicerent æquiùs hanc litem Romæ, vbi omnibus ex æquo ius dicebatur, quàm in Anglia, vbi Regis arbitratu omnia fierent, decidendam esse: tamẽ alij, negotia Ecclesiastica polititis rationibus interpolantes, multis verbis questi sunt de hæresibus nuper in Germania obortis, deq; cæterorum Principum, in propugnanda fide, nimia tepiditate: quare cum Henrico fidei Catholicæ acerrimo defensore clementiùs agendum, præsertim cùm dicatur, ipsam Reginam in monasterium ingredi paratam esse. Et sanè illud videri durissimum, vt ne iudices quidem ij dentur, quos tantus Rex petit; cum potiùs, dum lis apud eos agitatur, sperandũ sit, Regis animum, si qua in re nunc sit deprauatior, ad officium paulatim reuocatum iri. Saltem quid obstare, quò minus periculũ fiat? Semper enim Pontifici integrũ fore, vt causã ad se reuocet.

Secunda causa delegationis.

Politicæ rationes.

Hæc autem posterior sententia valuit apud Clemen-

Clementem, partim gratiæ Henrici nimiũ dãtem; partim nihil omninò suspicatum, quòd falsa essent illa omnia quæ de Catharinæ vel assensu, vel monastica vita obtenderentur. Dati sunt ergò iudices, Laurentius Campegius, & Thomas Volsæus; hic presbyter, ille Episcopus, Cardinalis.

Pontifex Henrico Iudices concedit.

Regina verò licet de his qui ad vrbem mittebantur Legatis, certior facta non esset, tamẽ simulac tale quid suspectum habere cœpit, tũ à Pontifice per literas petijt, ne qua legatio in Angliam de hoc diuortio cognitura mitteretur (nam hoc nihil esse aliud quam Regem in sua causa iudicem facere) tùm Imperatorem tàm de Volsæi suggestione, quàm de Regis instituto certiorem fecit, summis precibus contendens, ne materterã suam desereret, cui omnes istæ inimicitiæ ob solius Cæsaris odium sustinendæ sint.

Regina iustissima petitio.

Quæstus est apud Pontificem Cæsaris Legatus, tàm de nuncijs à Rege Angliæ in Vrbem inscia Regina (cuius tamen causa hæc præcipuè erat clanculum missis, quàm de iudicibus à Pontifice datis antequàm adhuc quid Serenissima Regina pro se allatura esset, audiuisset. Quæ scandala hinc oritura, cùm Cæsar materteræ suæ causam contra iniurias Henrici propugnauerit? Quem statum rerum in ipso Angliæ regno expectandum, quando pessimi quique Regiam libidinem fouentes, omnibus honorum gradibus præficientur, soli autem boni & fideles viri, ob solius Dei timorem causam Reginæ propugnantes, omni honoris gradu deturbati fuerint?

Cæsaris legatio oratio.

Ponti-

Animus Pontificis perplexus, & mandata ad Campegium.

Pontifex cùm intellexisset suggestionem Regis falsam fuisse, quatuor nuncios celerrimo cursu, diuersis itineribus ad Campegium misit, per literas ei mandans; primùm vt in itinere quàm tardissimè progrediatur; deinde cũ in Angliam venerit, omnem operam ad Regem cum Regina conciliandum interponat; in quo si non profecerit, Serenissimæ Reginæ religionis ingressum persuadere conetur; quòd si neque hoc obtineri poterit, saltem ne vllam pro diuortio sententiam absque novo & expresso ipsius Pontificis mandato ferat. *Hoc* (inquit) *summum & maximum sit tibi mandatum.* Alijs verò literis Viterbi datis, planè significat, si de sua tantùm persona ageretur, se omnia pericula in Regis Henrici gratiam subiturum: sed nunc illius voluntati absque iniustitia, & publico scandalo satisfieri non posse.

An. 1525. Mar. 19.

Campegij in Angliam appulsio. Anno 1528.

Campegius nonis Octobris Londinum ingressus, & à Volsæo ad Regem deductus, omnia studia & officia Pontificis Cardinalium, Cleri, ac Populi Romani nomine, Henrico Regi tanquàm liberatori vrbis detulit. Cui, Regis nomine cùm Foxius respondisset, Rex & duo Cardinales remotis arbitris, de suis rebus multum diuque collocuti sunt. Aduentus Campegij fuit vniuersis regni ordinibus longè ingratissimus, quòd passim dicerent eum accessisse, vt Regem à sanctissima vxore sua disiungeret. Præcipuè autem Regina in luctu & lachrymis nocte dieque egit. Quam cùm per occultos nũcios consolari Campegius niteretur, eandemque, vt religionem aliquam spontè susciperet, vitæ saltem tuendæ causa hortatus esset, illa intrepi-

Regina maror.

intrepidè respondit, sibi constitutum esse, matrimonium suum quod Ecclesia Romana legitimum semel iudicasset, constantissimè tueri; nec illum recipere iudicem, qui per aperta mendacia potiùs à Rege exortus, quàm à Pontifice missus fuisset.

His verbis intellectis, Campegius ad Pontificem scribit, tùm quid animi Reginæ sit, tùm quantopere instet Rex vt causa absoluatur; itemque, collegam suum Volsæum, qui prior sit in ordine iudicum scriptus, totum ad matrimonium separādum esse intentum: quare sanctitatem tuam debere primo quoq; tempore, quid ei faciendum censeat, præscribere. Dissimulante autem Pontifice, nec aliud quàm dilationes quærente, ad sex ferè menses; hoc est à nonis Octobris, vsque ad quintum calendas Iunij, à causę cognitione cessatum est. Rex autem videns populum indignari, quòd potiundæ meretriculæ causa, vxorem tam illustrem repudiare conaretur: sexto idus Nouembris Principes ac plebem conuocans, iuratò affirmat, se non alicuius fœminæ amore captum, sed solo conscientiæ scrupulo adductum, vt hanc litem intenderet. Nam quid sua coniuge sanctius, quid nobilius esse? nec sibi aliud in ea displicere, quàm quòd fratris sui vxor priùs fuisset. Qui eum iurantem audiebant, impudentiam viri satis admirari non poterant. Tot enim stupra & adulteria quæ passim committebat, facilè clamabant eum non tam religiosè pium esse, vt in re vxoria scrupulis conscientię suæ multum torqueretur.

Campegij litera ad Papam.

An. 1528.

Henrici simulatio.

Campegius Regi suasit, vt hanc causam non

inimica litigatione decidi, sed mutua gratia componi pateretur. Cùm Regi consilium placuisset, de illius voluntate accedunt Cardinales ad Reginam, acturi cum illa, vt aliquem religionis habitum susciperet. Sed vix iam præfati erant se à Pontifice missos, vt cognoscerent vtrum ipsius cum Rege matrimonium esset validum nec ne; cùm illa orationem ipsorum interpellans. Rem (inquit) actam agitis; & actam, non solùm in senatu duorum Regũ prudentissimorum, sed in Romano consistorio, itemque à Papa Iulio transactam, viginti annorum cohabitatione firmatam, fructu prolis stabilitam, orbis Christiani gratulatione, & iudicio corroboratam. Sed hanc ærumnam meam tibi vni (Volsæe) acceptam fero, quam tu odio tanto prosequeris, vel quòd ego ambitionem tuam, & libidinem æquo animo ferre nunqnam potuerim, vel quòd Cæsar nepos meus tibi Papatum deferendum non curauerit. Cùm verò illam, & nimio dolore commotam, & mox in lachrymas resolutam conspicerent, ab vlteriore colloquio hũc sibi temperandum putarunt, cætera per nuncios confecturi.

Legati accedunt ad Reginam.

Anna ablegatur.

Henricum, festa natalitia ludis, epulis, & spectaculis, ad quæ Cardinales inuitabantur, splendidè transigentem, & Annam Bolenam toto populo aspectante, in maximis delitijs habentem, Volsæus admonuit, vt saltem honoris sui memor, interim dum lis ageretur, illam pateretur apud patrem suum educari. Vix tandem concessit Rex, vt saltem per solemnes Quadragesimæ dies à conspectu suo abesset. Quibus transactis, Rex Thomam Bole-

Anna reuocatur.

num

num quem iam Baronem & dominum Rupefortis creauerat, iubet Annam filiam secretò ad aulam suam reducere : simulque Rex ipse litteras amoris plenas ad eam scribens, humanissimè ad se inuitat. Cæterùm illa negat se ad illum, qui eam semel tam indignè ablegarit, redituram, nec vllo modo mater potuit filiæ persuadere, vt ad Regem se conferret. Sed cum Thomas Bolenus Principis indignationẽ mortis nuncium esse dictitans, monuisset eam, vt nisi & seipsam, & domum Bolenorum vniuersam perdere in animo haberet, quàm primùm accederet : Veniam igitur (inquit Anna) sed vbi semel hominem intra vngues meos concluſero, eum vt meritus est tractabo. Tunc Rex vt iratam placaret, multò magnificentiùs quàm vnquàm antè, nulla sui nominis aut honoris habita ratione, excipit. *Vox meretricia.*

In causa verò diuortij sui, cùm animaduerteret omnes Theologos & iuris Pontificij professores in eo cõuenisse, quòd absq; Iulij Pontificis venia; qui leges Ecclesiasticas relaxabat, matrimonium Henrici cum Catharina nullo modo ratum fuisset : omnes neruos in Iulij dispensatione infirmanda intendit.

Stephano igitur Gardinerò, & Frãcisco Briano qui Romæ agebant, mandatum est ante omnia, ne vlli pecuniæ parcerent, sed ingentia munera ijs Cardinalibus, & Theologis quorum opera illis vsui esse posset, vltrò offerrent. Rex verò per Legatos à Pontifice petijt, primùm, vt Iulij Papæ dispensationem pronunciaret adulterinam, & ipso iure nullam ; deinde vt potestatem faceret, quò Maria Henrici *Diplomata Iulij Papæ oppugnatur.*

Noua mandatorum capita.

& Catharinæ filia cum Duce Richmundiæ eiusdem Henrici filio notho, successionis Regiæ stabiliendæ causa, matrimonio coniũgeretur. Quo quidem secundo postulato, manifestum fecit, se nullo conscientiæ scrupulo Catharinę matrimonium impugnasse, qui iam fratris cũ sorore coniugiũ satis esse legitimũ, accedente Põtificis dispensatione existimaret, hoc autem Regem petijsse, ex ipsius Pontificis ad Campegium literis cernitur. Tertium verò non Legatorum ore, sed sua manu conscriptum & consignatum Rex adiunxit, vt quanquàm ipse Henricus Mariam Bolenam cognouisset, ex eoque legibus Ecclesiæ prohiberetur, Annam Bolenam eiusdem Mariæ sororem vterinam in coniugem assumere: tamen sua Sanctitas, quæ leges Ecclesiasticas moderatur & relaxat, gratiam ei huius rei authoritate Apostolica faceret. Quod ita conscriptum & petitum fuisse, non Caietanus modò insinuat, verùm etiam Cardinalis Polus constanter affirmat; additque, Henricum ita demum hoc vltimum impetrasse, si ante constitisset, Iulium Pontificem non habuisse ius, priore illa in causa (hoc est in nuptijs fratris) dispensandi.

Polus. lib. 3. de vnione Eccles.

De primo autem postulato, ea ratio inibatur, vt Legati Regis peterent Iulij decretũ, in quo matrimonium Catharinæ cum Henrico ratum habuerat, circumduci & abrogari. Quæ res, vt ritè atque ordine tractari posset, Clemens dixit, se acturum cum Imperatore, vt authenticum illud Iulij decretum quod apud Cęsarem extabat, aut in vrbem Romam, aut certè in Angliam ad Legatos suos trãsmitteretur

Insta-

Instabant Legati Regis, vt nisi Carolus intra duos menses proximos secuturos decretum Iulij exhiberet, sua Sanctitas illud pronunciaret irritum ac nullum. De qua petitione cùm Cardinalis de Monte, & Quatuor Coronatorum, Episcopus Simoneta, & Theologi quidam ex mandato Pontificis cognouissent: visa est omnibus iniquissima, tàm ob temporis præscripti breuitatem, quàm ob inusitatum edicti modum. *Petitio Legatorum Henrici.*

Itaque Pontifex interlocutus est, se hac de re ad Cæsarem scripturum, à quo non putabat se plus minis & summo iure, quàm solo æquitatis nomine obtenturum. Contrà verò Legati dicebant, nihil sibi curæ esse vt Breue Apostolicum exhiberetur, nisi ad constitutum diem id fieret.

Cùm autem hæc res magnam Pontifici molestiam afferret, per literas cum Legato suo Campegio expostulat, quòd eiusmodi mandata Romam perferri passus sit, quæ in Anglia præcidi oportuisset, quodque spem vllam de rebus eiusmodi quæ cõcedi nunquam possent, à Pontifice impetrandis fecerit. In earum literarum extremo questus est (qui Papæ fuerat à secretis) Ioannes Baptista, Sanga, Legatos Regis, præ orationis vehementia, magnum malũ Sedi Apostolicæ minatos, nisi Rex voti sui cõpos fieret: quasi verò (ait) sua Sanctitas ab officio recedere debuit, etiamsi totum orbem lucrata esset, aut quasi minarum istiusmodi executio, non primùm illis ipsis qui minantur, plurimum detrimenti sit allatura: si Rex videlicet, ob explendam libidinem suam, vt domi, *Interlocutio Papæ.* *21. April. An. 1528.* *Minæ Legatorum.*

suæ vxori, sic foris, Sedi Apostolicæ; hoc est, radici & matrici Ecclesiæ Christianę, libellum repudij daturus esset. Atque hinc quidem certissimò constat, Legatos eò vsque Regis animũ exploratum habuisse, vt potiùs fidem vna cum vxore abijcere vellet, quàm Annæ amplexibus priuari.

Quare Henricus præpropere vrget & causæ cognitionem.

Quapropter cùm Henricus ex Legatorum suorum literis intellexisset, Pontificem nihil eorum quæ peteret, absque conditionibus adiunctis concessisse: inaudisset autem inter Papam, & Cæsarem recentem pacem Barcinoni factam esse, qua omnia quæ Burbonij milites eripuerant, Ecclesiæ restituerẽtur: timeret etiã ne inter eundem Cæsarem, & Galliæ Regem reliquosque Christianos Principes generalis quædam pax (qua de re Cameraci tunc disceptabatur, quęque paulò post confecta est) componerentur; qua fieret vt & Papa illi minùs deberet, & Imperator maiorem potentiam acquireret, & Galliarum Rex filijs receptis, Henrici ope minùs indigeret, atque ita vndique desertus, nec veterem vxorem repudiare, nec Annam ducere, saluis rebus suis posset: re priùs cum Volsæo & aduocatis communicata, Campegium renitentem, seque, ob decretum Iulij nondum coram exhibitum, iustissimè excusantem, quin & à Pontifice absque nouis mandatis, de causa illa vlterius cognoscere prohibitum: tamen minis, blanditijs, muneribus, importunitate eò adegit, vt cùm de vita etiam sua, nisi Regis voluntati satisfaceret, in dubium veniret; tandem, vnà cum Volsæo, *An. 1529.* Londini, quinto Calendas Iunias, in cœnaculo fra-

lo fratrem ordinis D. Dominici, tribunal conscenderet.

Mandatis igitur Clementis Papæ ante omnia recitatis, nominatim euocant; primùm Regem Henricum, cuius vice duos procuratores aderant; deinde Reginam, quæ ipsa in medium prodiens cùm protestata esset, se in illos tanquàm iudices suos non assentire, ad Papam prouocauit. Sed cùm appellationem Legati non admitterent, nisi Regina scripto quodam Apostolico doceret, mandata ipsorum esse reuocata: proximo die quo in iudicio confessum est, Regina iterum affuit, ac tùm quidem, proposita solenni exceptione, rationes, cur ad Pontificem prouocaret, his expressit. Primùm, quòd locus iudicij parum æquus videretur. Nam se in Hispanijs natam, ibi esse peregrinam: Henricum qui huius litis auctor sit, eundem esse totius Angliæ Regem. Deinde, personas iudicum non solù Regi deuinctas, verùm & subiectas esse, Volsæũ ob Vintoniẽsem & Eboracensem Episcopatus, ac multas Abbatias: Campegium, ob Sarisburensis Ecclesiæ ex dono Regis adeptum Episcopatum. Postremò sanctissimè iurat, se non nisi timore iustissimo adduci, vt horum iudicio hoc in loco & hac in causa stare recuset.

Legati iudicialiter de causa cognoscunt.

Appellatio Reginæ ad Pontificem & cur facta.

1.

2.

3.

Quanquam verò iudices in Regis gratiam nollẽt appellationem Catharinæ recipere, tamen cùm sententiam repudij non ferrent, nihil quòd Regi gratum esset, facere videbantur. Itaque Henricus ipse in iudicio seipsum sistens palàm, dixit; non odio Reginæ, sed scrupulo conscientiæ, & doctissimorum hominum

Henrici in iudicio oratio mendax.

iudicijs se impulsum, vt, quanquàm domi haberet Cardinalem Eboracensem de latere Legatum, cui soli potestas ad litem hanc decidēdam, delegari potuisset, tamen declinandæ inuidiæ causa, hos iudices à Pontifice Romano, summo Ecclesiæ capite, impetraret; quorum sententiæ quæcunq; illa futura esset, se acquieturum contestabatur.

Reginæ supplicatio ad Regem.

Postquam Rex perorauerat, Regina vrgebat, vt appellatio quam interposuisset, iudicibus probaretur. Illis negantibus, cùm ad læuam subsediſſet, de loco suo surgens, Regem qui ad dexteram sub conopæo considebat, adiuit, genibusque flexis ab illo supplex precata est, vt quoniam in suo regno ageret, ipsa verò peregrina esset liberam ei potestatem faceret; Romæ apud communem Christianorum patrem, atque etiam iudicem ipsi Regi probatum, litē istam persequendi. Assurgens Rex, & benignissimis oculis eam intuitus, hāc se illi potestatem facere dixit: populo interim qui vultum vtriusque coniugis, & gestum spectabat, minimè sibi à lachrymis temperantem. Discedit ergò Regina ex loco iudicij. Cui, cùm statim esset nunciatum, ipsam à Rege & iudicibus reuocari; Parebo (inquit) marito meo, non item iudicibus. Sed cùm à procuratoribus suis admoneretur, si verba interpositæ appellationis sua in iudicium reuersione oppugnaret, eam rem detrimentum causæ ipsius allaturam: hac proposita Regis nuncio excusatione, ad Bainardi arcem, vndè illuc venerat, reuersa, toti consilio suo dixit: hodiè primùm, ne causæ meæ nocerem, domino meo Regi nō parui, sed

sed cùm proximè eum videro, flexis genibus, hanc culpam deprecabor. O coniugem meliori marito dignam: nisi quòd, hoc persecutionis genere, Deum visum erat, immarcesibilē illi gloriæ coronam præparare.

Humilitas Reginæ.

Henricus verò qui tantum ne invrbanus videretur, ad temporis momentum precibus Reginæ assenserat, è vestigiò Legatos ad sentētiam ferendam, Iulijque Papæ decretum abrogandum, omnibus modis premebat. Exemplū igitur Pontificiæ dispensationis, cùm in iudicio exhibitū esset, Regis procuratores ex multis capitibus contendebant, id satis firmum ad statuendas Henrici & Catharinæ nuptias non fuisse.

Pontificis Iulij diploma exhibetur & impetitur.

Primùm quòd in eo de Iulij decreto de nuptijs quidem non item de sponsalibus contrahendis, mentio haberetur: cùm tamē & Principes sponsalia primùm contraxerint, & in causa quæ à iure canonico aliena fuerit, extensio nulla sit admittenda. 1.

Deinde quòd impubes Henrici ætas commemorata in decreto non fuisset; cùm is non nisi duodecim annorum tunc esset. 2.

Tùm autem, quòd Henricus iam factus pubes, protestatus esset, se nolle Catharinam ducere. 3.

Prætereà quòd cum hæ nuptiæ ob pacis bonum inter Ferdinandum atque Elizabetham Hispaniæ, & Henricum septimum Angliæ, Reges, retinendum permitterentur: eaque dispēsationis Pontificiæ finalis causa fuerit; tamen nec impubes Henricus octauus de bono pacis 4.

cogitasset, nec Elizabetha & Henricus septimus tunc vixissent, cùm nuptiæ celebrabantur.

5. Quid, quòd Catharinæ & impuberis Henrici nomine, preces Pontifici offerebantur, cùm tamen istorum Principum nulla intercessisset mandata, quorum vi parentes eorum, hoc pro illis iure agerent. Falso verò narrationem totum id quod petatur, vitiare.

6. Postremò, cùm istæ nuptiæ duplici obstaculo impedirentur; vno affinitatis, quod ex carnali copula Catharinæ & Arthuri oriebatur, altero iustitiæ publicæ honestatis, quod ex solo earum nuptiarum contractu, etiamsi nulla copula subsecuta esset, promanauit: in Iulij autem decreto solum affinitatis impedimentum relaxaretur, de impedimento autem iustitiæ publicæ honestatis ablato, nulla fieret mentio: hinc aiebãt effici, vt hoc posterius impedimẽtum non oblatum, has Henrici & Catharinæ nuptias faceret illegitimas, & ipso iure nullas. Hæc illi.

Responsum procuratorũ Reginæ pro diplomate Iulij.

Quanquàm autem Regina nihil sibi negotij volebat cũ illis iudicibus esse: tamen procuratores ipsius, vt ne iure aut æquitate destitui putarentur, omnibus aduersariorum argumentis quàm primùm responderunt.

Ad 1. partẽ primæ obiectionis.

Dicebant igitur, sublato semel per Iulij Papæ authoritatem, Ecclesiasticæ legis impedimento, effectum quoque omnem ex illo profectum, eadem opera sublatum fuisse; vt iâ ipsis Principibus ex æquo licuerit, tàm sponsalia, quàm matrimonium, velut iure communi cõtrahere. Vbi enim quicquam ob grauem aliquam causam permittitur, omnia sine quibus

bus ad illlud peruenìri non potest, simul permissa intelliguntur, nam alioqui nihil ageretur: impuberem verò Henricum non potuisse adhuc aliud quã sponsalia inire. Quid quòd post matrimoniũ Pótificis venia ritè cõtractũ, stultè dubitari asserebant, vtrum licuerit Principibus sponsalia contrahere, nec ne. Cùm enim sponsalia, quæ matrimonium subsecuturũ spondent, nec ad matrimonij constitutionem necessariò requirantur, & tamen semel adhibita, eidem non aduersentur, sed maximè omnium subseruiat; partim concesso matrimonio, etiam sponsalia intelliguntur concessa, & ideò valebant; partim etiamsi non valuissent, nocere tamen subsecuto postea solemni matrimonio nunquàm possent, cum & hoc sine illis per se constet, & * quòd superuacaneè adijcitur, nunquam id, quod suo iure subsistit, vitiare debeat. Neque hanc causam à iure Canonico alienam fuisse, quin potiùs adeò plausibilem, vt si Canonis auctor de illa cogitasset, omnem operam daturus fuisset, vt tanto bono publico nuptiæ inter fratrem superstitem, & defuncti vxorem inirentur: & tamen, in qualibet odiosa causa, permisso matrimonio, sponsalia cum nihil aliud sint, quàm inchoatum quoddã matrimonium, non intelligerentur prohibita.

Sponsalia quid efficiant.

** L. vnica Cod. de rei vxor act.*

Ad 3. partẽ primæ obiectionis.

Ad rem verò non attinuisse, vt impuberis Henrici ætas describeretur, propterea quòd ea sola cuiusque rei aut personæ qualitas necessariò exprimenda esset, quæ iuri obsisteret, & cuius mentionem fieri manifesta iuris ratio postularet. Ea fuit in hac causa, non impuberis ætas, quam ad effectum à natura pendentem, supple-

Ad secundæ obiectionẽ.

supplere Pontifex non poterat : sed affinitatis conditio, quæ nuptijs obstabat, & in diplomate expressa fuit.

Quis impuber habendus.

Adde his, quòd in causa matrimonij, in quo nihil aliud ad pubertatem necessarium est, quàm vt coire cum fœmina quis possit, certum non est illum esse impuberem, qui sit duodecim annorum * Hieronymus enim ait, Salomonem & Achaz, ætatis vndecimo ac duodecimo anno, filios genuisse. Imò etiam inter priuatos prætermissa duodecim annorum ætas, decretum Papæ non vitiasset, quia tam exigua & leuis qualitas expressa, nunquàm Pontificem à maiori aliquo bono prouehendo retardasset : quantò minùs putandum, quòd inter potentissimos Principes, Papa, qui pacis publicæ conseruator existit, tam ingens bonum pacis plurium regnorum, ob hoc solũ impediturus esse, quòd Henricus non nisi duodecim annorum haberetur? Principibus enim, quos Deus ipse communibus hominum legibus quodãmodo videtur soluisse, maiora quædam meritò è Pontificibus indulgeri solent.

* *Ad Vitalem ep. 132.*

1. *Reg. 8.*

Ad tertiam obiectionẽ.

Protestationem verò iam puberis Henrici, de qua Catharinam certiorem nunquam reddidit, nihil omninò Catharinæ obfuisse; cùm enim nuptiæ solemnes postea subsecutæ, priorem protestationem quamlibet solemnem, irritam reddidissent, perquàm riduculè nunc post nuptias contractas obtendi, quòd Henricus semel dixisset, se nolle Catharinam ducere. Dixit, ac duxit tamen. Potiùs facto publico, quàm verbo priuato credendum esse; præsertim, cùm factum hoc, & posterius fuerit, &

in Sa-

in Sacramentum Christi transierit, & tot annorum cohabitatione, & nobilissimo prolis pignore, stabilitum fuerit & confirmatum.

Nam quòd putarent impuberā adhuc Henricū de bono pacis minimè cogitasse, cur eum qui ob duodecim annorum ætatem, pubertati proximus, & doli capax erat, quinimò qui grauium etiam criminum reus esse poterat, solius virtutis, & sancti desiderij capacem negarent? Potuit commisso etiam homicidio mereri æternam mortem; & non potuit optare bonum publicum, aut ea quæ ad æternam vitam spectant? Hanc absurdam & irreligiosam opinionem boni mores condemnant, sanctæ leges reijciunt, pij iudices non admittunt; etiamsi quis illam se testibus atque instrumentis probaturum affirmaret. Præterea, si filius bonum pacis non optauit, at pater, in cuius potestate erat, id pro illo, & ad illius vtilitatem fecit, sicut & pro illo credidit, cùm adhuc infanti Sacramētum fidei conferendum curaret.

Ad 4. obiectionis primam partē.

Nec in his nuptijs permittendis, Pontifex priuatas Elizabethæ Hispaniarum Reginæ, atque Henrici septimi personas, sed publica officia, & Regiam conditionem spectauit; quæ vnà cùm illis non est mortua, sed ad hæredes eorum Henricum octauum & Catharinam, vnà cum regnandi iure in Anglia pertransiuit. Nā bonum pacis non certarum personarum, sed populi totius bonum est. Populus autem & ciuitas nō moritur. Plus dicimus: Satis est, quòd Henricus & Elizabetha impetrati priuilegij tempore vixerant, cùm illa quæ ex gratia conceduntur, statim atque sunt concessa, vim suam &

Ad secundā partem 4. obiectionis.

am & perfectionem ex sola concedentis voluntate consequantur. Vt interim nec illud omittamus, Catholicum Regem Ferdinandum, cõtracti matrimonij huius tempore, adhuc superstitem fuisse.

Ad 5. obiectionis primam partẽ.

Quòd verò filij parentibus non mandauerint, vt hanc illis coniugij veniam impetrarẽt, nihil refert. Quanquàm enim Pontifex eum qui preces alterius nomine affert, nisi de mandato docuerit, repellere si vult, potest: tamen si non repulerit, verùm id quod petitur in causa plausibili & gratiosa concesserit, valet quod agitur, nec amplius quęretur, à quo sunt preces porrectæ, sed tantùm; an rescriptum sit impetratum, quòd multò magis in parentibus locũ habet, cum pro filijs aliquid impetrant. Ipsa enim naturæ lex docet, parentes filijs thesaurizare debere, maximeque omnium, in Regibus hoc eodem iure ac amore vtimur, qui multis suis liberis priuilegia per suos Legatos impetrare solent.

Ad 2. quintæ obiectionis partem.

Nec fuisse falsam narrationem quæ his verbis concepta est: *Oblatæ nobis nuper pro parte vestra petitionis series continebat*, &c. Pro parte enim Henrici & Catharinæ preces verè offerebantur, sicut narratio ipsa refert, cùm ad eorum vtilitatem id totum quod petebatur, constet relatum esse. Nec vnquam videri posse parentes, quibus ipse Deus filios commendauit, filiorum mandato in ijs, quæ ad rem eorum spectant, caruisse; cum ipsa filiorum ratio & natura perpetuo quodam gemitu & clamore parentibus mandet, vt ipsis omni qua possunt ratione consulant. *Qui enim suorum & maximè*

1. Tim. 5.

dome-

domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.

Veniamus iam ad illud vltimum caput, in quo vim maximam aduersarij sitam esse arbitrantur. In precibus Pontifici oblatis, hæc verba continebantur: *Dudum inter Dominam Catharinam & Principem Arthurum Henrici fratrem, matrimonium per verba de præsenti fuisse contractum.* Nonnè his verbis expressè proponitur iustitiæ publicæ honestatis impedimentum, quòd ex solo nuptiarum contractu oriebatur. In ijsdem verò precibus mox sequitur: *Illud matrimonium carnali copula forsitan fuisse consummatum.* Nonnè hinc etiam affinitatis impedimentum elicitur, si fortè carnalis copula interceſsisset? Propterea enim adiectum est illud *forsitan*, vt in omnem euentum matrimonio consuleretur, etiamsi carnalis copula, quæ reuera non interceſsit, casu quopiam interceſsisset. Cùm ergò Papa ex re narrata intellexerit, duas ad summum res obstitisse, quò minùs Catharina Henrico nuberet; vnam, quòd ea fœmina priùs Arthuro Henrici fratri nupta fuisset; alteram, quòd ab eodem Arthuro forsitan fuisset cognita: idemque Pontifex tota re intellecta, non modò affinitatis in toto genere, sed huius ipsius affinitatis impedimentum, (quod inter Henricum & Catharinam ex nuptijs Catharinæ cum Arthuro prius contractis, & copula forsitan subsecuta consummatis interuenerat) auctoritate sua sustulerit; nonnè eo ipso, iustitiæ etiam publicæ honestatis impedimentum, quod copulam carna-

Ad 6. obiectionem de Iulij dispensatione.

carnalem præcedit, multò magis sustulit? Nam si Henrico Regi permittitur, vt fratris vxorem; etiamsi carnali copula fuisset cognita, tamen ducat: nõnè multò magis eam ducere permittitur, si nupta solùm, & non etiam cognita fuit? Hactenus Reginæ procuratores.

Aduersariorum argumenta pro carnali copia.

Postquàm verò carnalis copulæ mentio facta semel esset, Regis procuratores nonnullas leues coniecturas in medium proferebant, quibus docere conabantur carnalem copulam inter Arthurum & Catharinam verè & absque *forsitan* interceſsisse: verbi gratia: quòd nuper ex ephebis ambo excesisset: quòd ab epulis & delitijs ad thorum coniugalem summi nocte deducti essẽt: quòd mutuò inter se amarent: quòd legitimis nuptijs coniuncti essent denique quòd Arthurus manè postridiè potum flagitaret, idque (vt aiebat) quoniam dicere se illa nocte in calida Hispaniarum regione perigrinatum fuisse.

1.
2.
3.
4.
5.

Contra carnalem copulam.

Ad Reginæ aduocati has leuissimas coniecturas multis & firmissimis argumentis confutabant? primùm, quòd Henricus septimus curauerat, vt matrona grauissima in eodem cubiculo sponsis thalamo adesset, quæ ab Arthuri morbum, & infirmam valetudinem, eos carne cõiungi prohiberet; deinde quod serenissima Regina, quæ omnium optimè rem nouerat, apud Notarium quendam publicum, cui nomen erat Ioanni Tolcarno, præsentibus multis Episcopis ac alijs testibus, iuratò asseruisset, se post obitum Arthuri Principis, mansisse virginem; Tùm etiam, quòd cum Catharina palam in iudicio, præsenti Henrico Regi dixisset, ipsum

1.
2.
3.

ipsum scire, quòd is eam virginẽ cognouisset, Rex nunquàm id negasset; atque ideò dum in re tanti preiudicij tacuisset, ei quod opponebatur assentiri præsumendus esset. Et hæc quidem illi dicebant. Sed nos etiam aliud insigne testimonium adiungamus ex eo libro Reginaldi Poli, quem Regi Henrico adhuc viuẽti scripsit, & inscripsit, in quo ait (Cæsaremque in eius rei testem tunc viuentem citat) ipsum Hẽricum nihil tunc minùs quàm de repudio cogitantem, Carolo quinto Imperatori vltrò fassum esse, quòd Catharinam adhuc virginem cognouisset.

4ª Confessio Henrici.

Polus lib. 3. pro vnio.

Pursus cùm Regis aduocati, literas Adriani Cardinalis, qui Pontificis quæstor in Anglia quondam fuerat, recitassent, in quibus dixerat se ex Papa Iulio audisse, cùm diceret, sibi non videri quòd in matrimonio Henrici & Catharinæ dispensationem posset imponere: Ex altera parte procuratores Reginæ in medium protulerunt ipsius Iulij literas ad Henricum septimum de hoc sermone, eiusdem Henrici rogatu conscriptas, in quibus hæc verba erãt: *De dispensatione matrimoniali nunquam negauimus, nec suspicionem præbuimus, quo minùs eã facere vellemus, vt aliqui minùs verè dixerunt; sed respondimus, nos expectare in illa concedenda tempus magis accommodatum, vt consultiùs & maturiùs fieret, cum huius sanctæ Sedis & vtriusque partis honore.* Hæc Iulius.

Ad aliam obiectionem de Iulij Papæ sermone.

Erant autem sereniſsimæ Reginæ aduocati totius Angliæ viri optimi & doctiſsimi. Primũ Gulielmus Varamus Cantuarienſis Archiepiſcopus. Deindè quinque Reuerendiſsimi Epiſcopi,

Aduocati Reginæ qui & quales.

scopi, Guthbertus Tonstallus tunc Londinēsis, postea verò Dunelmensis; Nicolaus Vestus Eliensis, Ioannes Clercus Bathonēsis, Ioannes Fischerus Roffensis, Hēricus Standitius Asaphensis. Quibus Episcopis adiungebantur alij Theologi quatuor, Abeius, Fetherstonus, Pouellus & Ridlæus.

Ioannes Roffensis ad legatos oratio.

His ergo rebus, quæ ad iuris Ecclesiastici cōtrouersias pertinebant, ita constitutis, Ioannes Fischerus Roffensis Episcopus, non Anglicani tant reūgni, sed & orbis Christiani lumen, exemplar sāctitatis, populis sal, Ecclesiæ Doctor, in medium prodijt & liberum pro defensione matrimonij Regis & Catharinæ doctissimē scriptum, Legatis exhibuit, grauissima oratione illos admonens, ne in scirpo nodum quærerent; neue aut scripturarum manifestam veritatem, aut leges Ecclesiasticas iam satis in ha causa perspectas, euerti permitterent: quinimò iterùm atque iterū cogitarent, quanta mali ex hoc diuortio secutura viderentur; videlicet Henrici Regis & Caroli Cæsaris odia; Principum qui eorum partibus adhęrerent, factiones, bella non tantùm externa; sed & ciuilia; quòdque omnium est grauissimum, dissensiones in causa fidei, schismata, hæreses & sectæ infinitæ. Ego (inquit) pro eo ac in ista re laboris & industriæ plurimū collocaui, affirmare ausim (idque non solùm hoc in libro testimonijs & scripturarum & sanctorum Patrum clarè docui, sed etiam* mei sanguinis profusione testificari paratus sum) nullam esse in terris potestatem, quæ hoc matrimonium à Deo ipso coniunctum, dissoluere possit aut disiungere.

* *Locutus est Roffensis & fecit.*

Hoc

Hoc vbi Ioannes Roffensis, fama doctrinæ illustris, sanctitate vitæ conspicuus, Episcopali dignitate honorandus, ipsaque canitie venerabilis palàm dixisset, quatuor vtriusque legis Doctores, librum etiam à se cõscriptum obtulerunt, in quo matrimonium Hẽrici & Catharinæ, secundum leges Ecclesiasticas, ritè contractum esse planum faciebant. Mox item tres alij libri, singuli à singulis Episcopis compositi, coràm exhibiti sunt: quorum auctores fuerunt, Clercus Bathonensis Episcopus, Guthbertus Tonstallus Londinensis, (qui tunc legatione pro Rege vna cum Thoma Maro Cameraci fungebatur) & Vestus Eliensis.

Libri legatis exhibiti

Hos Episcopos secuti sunt quatuor Theologi Abelus, Pouellus, Fetherstonus & Rydlæus, qui affirmabant se DEI & veritatis amore adductos, nihil aliud pro matrimonio Catharinæ scripsisse, quàm quòd secundum scientiam ipsis datam, sciebant Euangelio & scripturis sacris consentaneum esse; id quòd liquidò appareret, si libros ipsorum (sicuti eos non dubitabant facturos) legere dignarentur. Ridlæus autem vir Catholicus & pius, atque ab omni assentatione alieniſsimus, palàm questus est de Legatorũ iniquitate, quòd iusiurandum calumniæ, solis Reginæ procuratoribus & aduocatis detulissent; nihil eos aut dicturos aut scripturos, aut in hoc genere facturos, quod non & diuinis, & Ecclesiasticis legibus consentaneum esset. Quòd si (inquit) Regis procuratores & aduocati eadem iusiurandi religione constricti fuissent, iam causa esset acta, nec vel aduersarij veritatem à nobis stare

Quatuor Theologi, quorum priores tres ea causa postea mortui sunt.

Quærela de iniquitate legatorum.

negassent. Imò se quamlibet pœnam subiturũ, nisi qui Regias partes tuebantur, ad Reginam statim transirent, si hoc illis iusiurandum imponeretur. Tacuerunt omnes qui erant ex parte Regis, ac verbum Rydlæi silentio suo confirmarunt.

Volsæi indignatio.

Volseus libertatem dicendi, qua vsus est Ridlæus, indignissimè tulit. Tàm is verò quã Cardinalis Campegius quemadmodum in causa progrederentur, non videbant, adeò cuncta iã erant clara & contestata pro Catharinæ matrimonio. Rex tamen more suo vrgebat, vt ad sententiam secundùm se ferendam festinarẽt.

Campegij excusatio.

Campegius verò cùm nullam excusationem suam Regi probatam esse animaduerteret, nec tamen contra tam claras probationes, contra certissimam Pontificis voluntatem, contra iustissimam Reginæ appellationem auderet secundùm Regem pronunciare: tandem audacter liberque dixit, multis se annis in rebus agendis versatum, multis annis vnum ex duodecim iudicibus, qui causas in Rota Romana cognoscunt, extitisse, nec vnquàm in causa etiam mediocri (nedum tanta & tam graui) tantam festinationem adhibitam vidisse: quin moris esse, vt cùm ad locum sententiæ deuentum fuerit, triginta toti dies ad testimoniorum auctoritates & momenta examinanda vacui concedantur: nunc autem vix totidem præterijsse, à quo primùm die, causa Regis palàm publicèque inchoata sit. Et qualis causa? quanti ponderis & momenti? quanti offensionis & scandali? nisi fortè sacramenti legitimi subita diruptio, matrimonij per viginti annos corrobo-

rati

rati repentina dissolutio, prolis generosę atq; adeò Regiæ miserãda illegitimatio, *potẽtissimi Monarchæ irritata maiestas, Christiani populi diuulsa concordia, auctoritatis Pontificię contempta dispensatio, parui cuipiam ponderis aut leuis momenti esse videatur. Sibi quidem cõstitutum esse in re tam graui, lento potius & securo, quàm præpopero & præcipiti gradu incedere.

*Carolum 5. intellexit.

Hæc vbi Campegius dixisset, subitò mutatos omnium vultus vidisses: alij eius libera oratione delectabantur; alij contra qui ex rebus nouis crescere optabant, vehementer dolebant; alij cùm tacitè apud se lætarentur, tamẽ oretenus dolorem simulabant, ex quibus erat Volsæus Cardinalis, qui licèt idem quòd Cãpegius sentire putaretur, nihil tamen perinde vrgebat ad sententiæ ferendæ accelerationem.

Varij hominum affectus

Rex cùm videret Campegium à re iudicanda tam alienum, vt nouas dilationes quotidiè interponeret, iudiciumque præter omnium spem penè ad finem mensis Iulij extraxisset, ac tùm quidem Romani moris esse diceret, vt à iudicijs exercendis vsque ad mensem Octobris abstineretur, Brandonum & Hauardum Duces. hunc Norfolciæ, illum Suffolciæ, ad Legatos misit; qui magno Principum virorum comitatu deducti, cùm 3. Cal. Aug. ad iudices pro tribunali sedentes veniissent, tàm Regis quàm suo nomine ab eis magnoperè contendebant, ne conscientiam Regis diutiùs implicatam tenerent, sed tandem aliquandò rem totam decidèrent ac definirent. Hic autem Volsæus, licèt

Rex mittit ad vrgendos legatos.

priore loco sedisset, conticuit; magno enim timore concutiebatur.

Campegij excusatio.

Campegius verò per eam fidem, quæ Deo atque Ecclesiæ Romanæ obstrictus erat, contestabatur, moris esse Romanæ curiæ, cuius ipse membrum esset, vt à fine mensis Iulij vsque ad quartum Nonas Octobris nullum exerceretur iudicium. Sin contra factum fuisset, quicquid in eo genere tentaretur, nullius roboris omninò futurum. Quòd si Rex illum diem pro sua patientia expectaret, nihil se dubitare, quin omnia ex eius voto succedura essent. Instare iterum Duces, vt eo ipso die, aut ad summum postridiè sententia ferretur. Iterum Campegius cùm respondisset nullo modo id facere licere,

Brandoni Ducis iracundia.

Carolus Brandonus Suffulciæ Dux, mẽsam quæ proponebatur magno ictu concutiẽs, per sacram (inquit) Missam, nemo vnquam Legatorum aut Cardinalium quicquam boni ad Angliam apportauit. Quod ille quidem vel œstro quopiam percitus, vel fœdissimo adulandi Regi studio ductus, dixit; quam seuerè autem Deus horum Ducum superbiam ac adulationem, per eundem Regem & filios suos, maximeque per prolem eam, quæ ex eo quod ipsi tantoperè expetebant nouo coniugio orta est vltus sit: ea mala testantur, quæ ipsis ipsorumque familijs postea acciderunt. Duces autem ex iudicio discedẽtes, vt ipsi omnibus iracundiæ flammis vrebantur, sic & Regem à libidine sua iamdiu ambustum, nouis etiam furoris & insaniæ facibus incenderunt.

Papa causam ad se vocat.

Pontifex interim, iustissimã Reginæ appellationem superius commemoratam, ratam habens

bens

bens, palàm Volsæo & Campegio interdixit, ne amplius huic negotio se immiscerent: causam verò totam Paulo Capisuccho sacri palatij Apostolici causarum auditori & Decano cognoscendam, ipsíque Pontifici demum referendam & explicandam commisit: quem iussit tã Regi, quàm Reginæ diem certum præscribere, quo causam apud ipsum per legitimos procuratores suos dicerent. Quæ Pontificis constitutio non Romæ tãtùm, sed etiam Brugis & Tornaci, ac in alijs vicinis Flandriæ Ecclesijs promulgata, imò & in Angliam ad sereniſsimam Reginam transmissa est, vt per eius operam Regi & Legatis patefieret.

Thomas Morus pro Regina ad Regem legatur.

Regina illustrem Senatorem & tam ingenio ac doctrina, quàm pietate celebrem, Thomam Morum, ad Regem legauit, qui diceret, Papam Legatorum mandata sustulisse, ipsumque Regem & Reginam ad causam in Rota ipsius per procuratores suos dicendam euocasse: id se Maiestati suæ significare, vt sciret, vtrum hanc rem ipsi per Viatorem aut eiusmodi publicum præconem nunciari vellet, nec ne.

Regis Hypocrysis.

Rex quanquam ingenti dolore afficiebatur, tamen cùm nihil aliud adhuc satis deliberatũ haberet, cætera dissimulans, Thomæ Moro respondit: iam dudum constare sibi de his rebus, nolle autem vt suæ personæ fiat denunciatio, non recusare tamen quo minus Legatis de more obnuncietur. Locum verò iudicij, tanquam vtrique parti communem, vehemẽter sibi placere, daturumque se operam, vt causa Romæ decidatur. Hæc quidem Rex dicebat, sperabat ve-

bat verò, se per nouos nuncios apud Papam breui effecturum, vt Legatorum mandata renouarentur, atque ea de causa, minùs iniquo animo id quod agebatur tunc tulit. Hinc factum est, vt plures ex Reginæ procuratoribus, ex Regijs verò vnus, vnà cum duobus notarijs ad Legatos, qui duodecimo à Londino lapide simul rusticabantur, sese conferrent, & hãc rẽ totam Legatis exponerent: quo tempore is quem Rex miserat palàm testatus est, hanc Regis voluntatem esse, vt in Anglia iam deinceps nihil in hac causa fieret, Romæ autem omnia expedirentur.

Campegius reuocatur.

Paruerunt Legati Pontificis decreto, iamque in spem venerant, Regem quoque saniora capturum consilia, cùm ecce Campegius per literas Pontificis ad Vrbem omni cum festinatione reuocatur. Tunc primùm Rex omni spe rei ex animi sententia conficiendæ excidens, suprà quàm dici potest, excanduit; omnemque culpam in Volsæum huius diuortij primum auctorem meritò conferens, se malè illi velle, non obscuris indicijs declarauit. Quod cùm multi ex principibus viris (qui Volsæo Cardinali omnia pro eo ac ipse voluit administranti iamdiù inuidebant) intellexissent, collatis cõsilijs, multa criminũ capita in illũ collegerũt, eaq; suis chyrographis obsignata Regi tradiderũt. Rex eã rem sibi iucundã esse testatus, tãtisper tamẽ dissimulauit, donec Campegius è regno discessisset, quod ad septimũ Idus Septembris accidit. Cuius etiam discedentis sarcinas excuti iussit, non alia magis de causa, quã vt exploraret si quid fortè literarum Volsæi depre-

Volsæi fortunæ inclinatio. Anno 1528.

deprehendere potuisset, nullas autem deprehendit.

At Volsæus, qui nihil eorum quæ contra ipsum intentabantur sciebat, ad Regem iam prope S. Albanum in villa quadam agentem accedens, multa cùm illo ac Senatu eius, de iudicio quod Romæ suscipiendum erat, contulit. Stephanus autem Gardinerus, qui Regi erat à secretis, & Romæ diuortij causam paulò ante egerat, cum iam rei exitum suspectum habere inciperet, seque videret in suspicionem vocari, tanquam Regi huius diuortij auctor fuisset, Volsæum præsens, palàm rogauit, vt veritatis contestandæ causa dignaretur coram Rege ac Senatu ipsius planum facere, qui fuissent huius diuortij primi authores. Nunquam (inquit Volsæus) negabo me solum fuisse. Cuius rei adeò me non pœnitet, vt si ea iam ante inchoata non esset nunc primùm inchoandam iudicarem. Quod quidem posterius Volsæi verbum, auribus Regijs datum esse, nemo ignorabat. Licet enim prima diuortij causa verè fuisset, tamen cùm videret Regem ad Annam Bolenam animum adijcere, pœnituit hominem sui consilij, à quo nunc resilire integrum ei non fuit, qui gloriam hominum magis quàm Dei dilexerat: Rex autem eo tempore siluit.

Gardineri metus.

Volsæi confessio & adulatio.

At cùm Volsæus post Campegij discessum ad Regium comitatum reuersus, ad colloquium illius non admitteretur, tunc demum sensit infensum sibi esse Regem. Nec ita multò post, iussu Regis à Thoma Duce Norfolciæ ap-

Volsæus spoliatur.

prehensus, cogitur se abdicare; primùm Cancellarię magistratu, quem statim Rex insigni viro Thomæ Moro contulit, sperans fore vt hoc honore & beneficio ad partes suas pertrahi posset; deindè Vintonienſi Episcopatu, quem posteà Stephanus Gardinerus supra nominatus ex dono Regis accepit: tùm autem magnificentissimo à se Londini ex ædificato palatio Eboracensi, quod Rex ipse inuasit, instructum vt erat omni genere diuitiarum ac pretiosæ suppellectilis: denique penè omnibus bonis exutus, quæ immensa erant primùm relegatur in villam Asherienſem; mox in Eboracenſem Ecclesiam cui præerat, dimittitur.

Rex obstinatè progreditur.

Quis iam non putasset Regem ab improbo illo incœpto suo desinere voluisse? Nunc autem obstupescite cœli super hoc. Ob quod peccatum Henricus Volsæum tàm seuerè punit, in eodem ipse pertinacissimè progreditur. Propter quod inexcusabilis es o Rex, in quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas. Scimus enim quoniam iudicium DEI est secundum veritatem in eos qui talia agunt.

Rex ergò partim certos viros ad Papam Clementem mittit, qui causam diuortij sui Romæ sustineant (inter quos erat Thomas Cranmerus, qui posteà factus est Cantuariẽsis antistes) partim, per totum Galliæ regnum Theologos & Iuriconsultos conquirit, qui matrimonium ipsius cũ Catharina constare nõ posse, obsignatis tabulis affirment: vt si fortè Summus Pontifex (quòd iã planè apparebat) sententiã cõtra Henricum ferret, tamen fucata quædam Academicę autho-

authoritatis ſpecies, ad tenebras hominum oculis offundendas non deeſſet. Quod enim pauciſsimi quidam,& ij non doctiſsimi homũciones, Regijs pecunijs magna ex parte corrupti, in varijs Academijs cenſere viſi eſſent, id Rex erat ſub ipſarum vniuerſitatum nomine diuulgaturus, tanquàm tot doctiſsimorum virorum tanta collegia, ab ipſius partibus intrepidè ſtetiſſent. *Vniuerſitates tentãtur ab Henrico.*

Commiſſa eſt huius rei cura in Gallia; primùm Reginaldo Polo Anglo qui tunc Pariſijs ſtudiorum cauſa degebat, & Henrici Regis magna munificentia fruebatur: in quo viro nobiliſsimi generis ſplendor, cum probitate morum & doctrinæ præſtantia certabat. Sed cùm ille minùs promptum ſe exhiberet, imò nullã in re tam turpi operam interponeret, adiunctus fuit ei quidam ſocius ex Regis ſenatu, ad hominem extimulandum. Sed cùm nec hac ratione adduci Polus potuit, vt diligentiam adhiberet, ſed potiùs per literas apud Regem ſe excuſaret: delatum eſt negotium Gulielmo Langæo Gallo, cui cùm charior eſſet pecunia Regia, quàm propria fama, quos potuit leguleios & Theologaſtros in ſuas partes magno precio adduxit. *Poli integritas.*

Hæc ipſe de ſe Polus teſtatur lib. 3. de vnione.

Aderat tunc Pariſijs Petrus Ferdinandus Braſilienſis Epiſcopus, qui ad tractatum Aluari Gomeſij de coniugio Regis Angliæ cum relicta fratris ſui, præfationem aſcribens ait, ſe oculatum fuiſſe teſtem eius largitionis, quæ Henrici nomine tunc Pariſijs facta eſt. *Nonnulli ex Theologis* (inquit) *adulterantes verbum Dei*

Largitio Henrici.

**Angeli, aliàs Angelotti.*

Dei, & ambientes fauorem hominum, corrupti muneribus & largitione Angelorum (quæ moneta est Anglis familiaris) inciderunt in laqueũ Diaboli, & fauerunt partibus Regis contra sui animi sententiam; neque vereor tam apertè hæc proferre, quando testis huius rei sum oculatus.* Hæc ille.

**Ep dedi. com. Dion. Cart. 4. sent.*

Tentatur pecunijs Academia Colonienſis.

Id quoq; simili largitione frustra pertentatũ fuisse in Academia Coloniẽsi commemorat *Petrus Leidẽsis, qui propterea, sicut illius vniuersitatis Theologos summoperè de spretis Regijs pecunijs laudat, sic aliorum quorundã gymnasiorum turpissimam adulationem non tacet. Ita enim scribit; *Et nullus vnquam casus potuit vestram labefactare innocentiam; auctoritatem deprimere, constantiam superare. Sic nuper cùm Rex quidam magnus & potens, multis auri pondo speraſſet à vobis quam petebat sententiam emere, spreto auro repulsus, sensit inexpugnabilem animorum vestrorum constantiam. Pudet referre quid interim ab alijs aliquot per fraudem & pretium vniuersitatibus impetrauerit, quanquam frustra, vobis non accedentibus, neq; in eandem vadentibus sententiam: tanta est vestra auctoritas, talis vester est candor: tale iudicium vestrum.* Hæc ille.

Tentantur vniuersitates Germaniæ.

In scopa cont. arã. Moriſon.

In alijs item Germaniæ vniuersitatibus quid tentatum fuerit, ex his Ioannis Coclæi verbis colligi potest, quæ ad Richardum Morisonum Anglum, partes Regis defendentem scripsit: *Offerebatur*, inquit, *mihi his annis superioribus, ampla remunerationis & auri spes, si contra matrimonium Regis cum Catharina, vel ipse scribere, vel*

re, vel vniuersitatum aliquot Germaniæ sententias, quales aliquot Galliæ & Italiæ Academiæ dedissent, procurare voluissem. Sed cùm esset ea spes contra conscientiam meam, dixi, sicut dixerat in prima suitentatione Balaam; si dederitis mihi plenam domum argenti & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, vt vel plus vel minus loquar aut scribam quàm in lege Domini habetur. Sic Coclæus.

Corruptores malè pereũt.

Idem etiam auctor memoriæ prodidit, Huttonum quendam Regis Consiliarium Hamburgenses & Lubeccenses sollicitasse ad diuortij probationem, eundemq; paulò post diro mortis genere Bruxellis perijsse; adiungens deinde hæc ipsa verba ait: *Arbitror præterea paucos iam supereſſe ex omnibus illis Doctoribus, qui prætexto Academiarum aliquot nomine, venali ministerio diuortium suaserunt.* Quidam etiã Crocus simili apud alias gentes largitione Regis nomine vsus dicitur; adeò vt pestis hæc non modò Parisiensem, Aurelianensem, Andegauensem, Tolosanam, Bituricensem; verùm etiã Patauiensem, & Bononiensem Academias peruaderet. Reginaldus Polus qui hæc omnia & optimè cognouit, & grauissimè deplorat, scribit se satis admirari amentiam Regis nunquàm potuisse, quòd tantam pecuniæ vim effunderet, vt infamiæ notam sibijpsi inureret, hoc est, vt per annos viginti nuptias incestuosas coluisse existimaretur. Omitto cæteros, qui de his rebus questi sunt: etiam Sleidanus qui Annam Bolenam quòd hæresi Lutheranæ fuisset, maximè laudat, tamen scribit Henricum illud diuorti-

Crocus corruptor.

Academici quidam corrupti.

De vnione lib 3 Sleidanus hist. lib. 9.

uortium approbari curasse non sine largitionis opinione.

Modus agẽdi Henrici in suo regno.

Quid? quòd ne in suo quidem regno Henricus potuit liberas & gratuitas Theologorum subscriptiones impetrare: quòd & liberè ausus est Polus qui rebus interfuerat, ad ipsum Henricum in hæc verba scribere: *Non erat dubium quin hæc tua causa in Disputantium scholas illata, fautores habitura esset, cùm Regem omni sua authoritate ac opibus propugnantem haberet. Inuenit illa quidem aliquos sed ex ijs quos fames magis quam fama moueret; nec tamen vel istos tã promptos quàm vos speraueratis, vt quæ initio cum ijs quæ ipsius patrocinium susceperant, in ipso tuo regno, ex omnibus scholis explosa sit, ipsis etiam defensoribus vario genere contumeliæ affectis. Nec certè vllo publico vllius Gymnasij Anglicani consensu, vbi consisteret, inuenisset; nisi eæ, quæ plus quàm preces valere solent apud multorum animos, minarum refertæ Regiæ literæ, aciem iam inclinatam sustinuissent. Quòd si his copijs tibi domi pugnare necesse erat: nihil attinet me nunc dicere quibusnam foris vterere.* Hæc Polus.

Pol. lib. 3. de vnion.

Cãtabrigia.

Oxonia Regi refragrata est.

Et quidem vt de Cantabrigia altera Angliæ vniuersitate nihil dicam, in qua plures aliquãtò his medijs adducti (licet nõ ex doctissimis) Regi fauebant, satis constat Oxonienſis Academiæ publicum sigillum, communi doctissimorum hominũ suffragio sæpius negatum, vix tandem partim vi ereptũ, partim clam subreptum fuisse. Homines enim ad summum octo clàm conuenerunt, effractisque sacri loci foribus, in quo moris erat causas communes decer-

decerni, & istrumenta publica obsignari, literis in quibus Regis diuortium propugnabatur, publicum Academiæ sigillum affixerunt: idq; dicebant se in totius academiæ gratiam feciſſe; ne Rex, si nemo eius animo satisfeciſſet, florẽtiſsimam ſtudiorum omnis generis vniuersitatem iratus euertiſſet. Dum hæc aguntur, & indies magis creſceret Regis furor, admonitus eſt à ſuis, vt si eorum qui in Anglia à ſua sentẽtia abhorrerent, voluntates ſibi adiungi vellet, illud in primis curaret, vt ad ſuas partes, Reginaldum Polum (qui illis ipſis diebus Lutetia redierat, ſummæque eruditionis opinione florebat) pertraheret: fieri enim poſſe, vt huius clariſsimi iuuenis authoritate & exiſtimatione, magna pars nobilitatis adducta, in eam quæ Regi placeret ſententiam tranſiret.

Conſilium Regis de lucrando Polo

Probato Rex conſilio, per eos qui Polo propinquitate, ac neceſsitudine maximè cõiuncti erant, rem aggreditur, ſimulque ſi ſuam ſententiam probet, optionem dat, vt vtram malit ex duabus Eccleſijs deligat, Eboracenſi & Vintonienſi; ex quarum vniuſcuiuſque fructibus, plus quam triginta millia aureorum eo tempore colligebantur. Pertentarunt Poli animũ his medijs, fratres alijque quibus Rex ad eam rem vtebatur. Contrà ille quam maximè poterat, nitebatur. Sed vehementer contendentibus ſuis atque vrgentibus, vt aliquam tandem rationem iniret, qua & Regi ipſi, à quo tantoperè diligeretur, ſatisfacere poſſet, & eius iram quæ toti familiæ futura eſſet perniciosa, auerteret cùm multa prius excuſaſſet; id

Poli tentatio

vnum

vnum tandem coactus, respondit se cogitaturum, qua possit ratione Maiestati suæ satisfacere.

Hoc accepto responso, nunciatur Regi Polum ad suam sententiam iam esse petractum, certoque diè affuturum vt coram ipso Rege de diuortio differat, quo ille nuncio mirabiliter lætatus, Polum benignissimo vultu aspiciebat auideque diem constitutum expectabat, quod illi se venturũ promiserat. Polus interim precibus se Deo commendabat, omnesque cogitationes suas in vnum conferebat, vt aliquam rationem aut viam excogitaret, qua nec Regi manifestè aduersari, nec conscientiam suam lædere cogeretur. Eam inuenisse cùm sibi tandem videretur, humana prudẽtia nixus magis quàm veritate, Regem adit; à quo perhumaniter acceptus, ac iam familiarissimè in cubiculum interius deductus, cùm ea pararet dicere quæ cogitarat, (mirabile planè dictu) repentè sic hęsit lingua, vt aliquamdiu nullum verbum effari posset; tandem verò cùm loquendi facultas redijsset, eiusmodi fuit eius oratio, vt secùs omnia diceret ac meditatus venerat; omni enim assentatione remota, vt bonum virum ac pium decebat suam liberè sententiam; summa tamen adhibita modestia, Regi aperuit. Qua re tam inopinata, Rex mirabiliter se fuisse commotum, non solùm ex ore vultuque commutato, manuque frequenter ad pugionem appositi declarauit (vt Polus posteà narrare solebat) verùm etiam ex verbis iracundis quibus ipsum dimisit, maximeque ex ijs, quibus Rex suis deinde affirmabat, se cogitasse Polum inter loquendum

Prudentia humana.

Mirum.

Regis impatientia.

quendum occidere; idque perfeciſſet, niſi orationis eius ſimplicitate ac ſubmiſsione fuiſſet prohibitus. Polus autem cùm vix triginta tunc annos ætatis haberet, amicorum interceſsione non ita multò poſt obtinuit, vt bona cum Regis venia, penſione etiam retenta, iterum ſe Patauium conferret.

Quid ſcripſerint pro Catharina.

Pro matrimonio interim Henrici & Catharinæ ſcripſerunt apud Anglos plurimi per vniuerſum Regnum. De quibus autem ego audiui, Ioannes Roffenſis, & Ioannes Holmannus Briſtolienſis, Epiſcopi; Abelus presbyter, & ij ſeptem iuriſconſulti quorum antea mentio facta eſt: apud Hiſpanos verò, Franciſcus Royas, Alphonſus Veruesius, Alphonſus de Caſtro, & Sepulueda: apud Luſitanos, Aluarus Gomeſius; apud Germanos, Ioãnes Coclæus diuerſis operibus. Eraſmus autẽ Roterodamus vt in cæteris rebus, ſic in hac cauſa dubiũ ſe ac vafrum præbuit. Initio enim ne Regis gratiam amitteret, in nullam partem quicquam affirmare voluit; poſtea verò cùm Regem ab Eccleſia deſciuiſſe, & iam nec ipſum vt antè, magnifacere cerneret cùmque amici eius in Anglia (vt ipſis verbis vtar) *Nec literis nec muneribus amplius eum dignarentur*: Tunc lecto Coclæi libro quem pro matrimonio ſcripſerat, his verbis ad eum reſcripſit. *Amice ſinceriſsime; librum tuum de repudio legi, nec ſine fructu: de quo ſi ſcribam quid ſentiam, vereor ne videar actum agere: Vtcunq; ſubleuas Regem in conſiliarios partem culpæ reijciens, ſi fuiſſem ea inſtructus panoplia, auſus fuiſſem Regi diſſuadere repudium, nam id temporis mihi Rex tantum tribuit, vt plus nemini. Contu-*

Eraſmi ter giuerſatio.

li cum Ludouico Bero Theologo Parisiensi, sed nihil attulit. Hactenus Erasmus.

Apud Belgas scripserunt Ludouicus à Schora; Apud Celtas, pauci quidem, sed tamen iudicium suum interposuerunt de ea causa Eguinarius Baro, Francisci Duarenus & Conuanus; apud Italos, Cardinales Caietanus, Ludouicus Nugarola Comes Veronensis; & alijs in locis alij multi Doctissimi viri. Fertur etiam per manus multorum epistola quædã Philippi Melanchthonis, in qua Regi suadet vt retenta vxore legitima Catharina, Annam Bolenam concubinæ tantùm loco habeat. Rex verò ipse & illustres aliquot Angli ad Pontificem litetas dant, in quibus petunt, vt cùm regni plurimum interfit masculum regni hæredem extare, saltem hac de causa litem mature absoluendam curaret quo integrum Regi fieret aliã vxorem accipere. Pontifex respondit, se officio satisfacturum; sed in manu sua non esse, vt masculum ex quacunque fœmina generandi promitteret.

Melanchthonis consilium.

Vt autem Rex rei suæ melius consuleret, terrorem aliquem Pontifici Romano injciendũ putauit. Itaque mense Septembri proximo palam edixit, ne quis suorum subditorum, seu Anglus seu Hybernus esset, quicquam in Romana Curia citra Regis voluntatem deinceps peteret aut procuraret. Idem cũ audiret Volsæum Cardinalem etiam Eboraci splendidè agere, epulis vacare, solemniq́ue pompa vti, ac mitram suam gemmis ornatam, quam Rex illi abstulerat, ad suam in ea Ecclesia inaugurationem repetere; Rex hoc Volsæi superbiæ impu-

Prima initia manifesti schismatis An. 1530.

imputans, nec ferendum iudicans, iubet homi-
nem, in ipso die inaugurationi designato, præ-
sente nobilium ingenti multitudine, ab Hen-
rico Nothombriæ Comite; primum apprehē-
di; deinde Londinum captiuum duci. At is in
itinere ipso ac Leceſtriæ oppido 4. Calendas
Decembris è vita migrauit. Sermones diſsipa-
ti ſunt eum ſua ſponte venenum ſumpſiſſe. Il-
lud verò conſtat cùm tanquam reus læſæ maie-
ſtatis regiæ apprehenderetur, eum dixiſſe: v-
tinam nihilo magis læſæ maieſtatis diuinæ re-
us eſſem: nunc autem dum nulli rei magis in-
cubui, quàm vt Regi penitus inſeruirem & in
Deum peccaui, & Regis gratiam non obtinui.
Ac Volſæus quidem dignam ſuæ præteritæ aſ-
ſentationis & ſuperbiæ mercedem in hoc mū-
do accepit, idque (vt ſperamus) ne in æternū
puniretur.

Miſera Volſæi mors.

Vox pœnitentis.

Cùm verò Henricus multis Dei præclaris
donis antea præditus, gratias Deo non ageret,
ſed in cogitationibus ſuis euaneſceret, Annam
Bolenam æternæ ſaluti ſuæ, atque adeò ipſi
Deo anteponerent: ne qui æternam mercedem
contempſiſſet, hac ſaltem corruptibili priua-
retur, Deus ei permiſit, vt ſuæ libidini quam
pro Deo iam colebat, ſatisfaceret. Itaque Gu-
lielmum Varamum excellentem virum, qui
fuerat Archiepiſcopus Cantuarienſis, & ſum-
mo ſtudio Reginæ partes adiuuerat, è vita il-
lis ipſis diebus euocauit. Tunc Rex tanti hono-
ris locum ſibi perire nolens, omnino decreuit
nemini eum, præterquam tali viro dare, qui
ſuæ libidini ſummis viribus obſequeretur.
Hoc Thomas Bolenus, qui putabatur Annæ

Henricus à Deo derelinquitur.

Bolenæ Pater, subodoratus, ratusq; pulcherri-
mā sibi nunc dari occasionem, suā, suæque filiæ
causam prouehendi, Regem adit, sicque affa-
tur: iam dudū (o Rex) domi meæ habeo presby-
terum illum doctum, grauem, & modestum,
cuius fides abundè tuæ Maiest. probata est, in
ea quam apud Pontificem gessit, legatione. Hic
mihi à sacello iam diu fuit, eundemque noui
erga diuortium hoc tàm sincerè affectum esse,
vt si tua Maiestas eū creauerit Archiepiscopū,
in me recepturus sim, facturum illū quicquid
à subdito quopiam expeti aut etiam desiderari
queat.

Thomæ Boleni ad Regem oratio.

Placuit condicio, maximè, quòd Anna Bolena
in eandem sententiam Regi supplicasset. Cran-
merus ergo designatur ea conditione Archie-
piscopus, vt etiamsi Romanus Pontifex secun-
dum Regis & Catharinæ matrimonium senté-
tiam ferret, ille tamen ex aduerso pronuncia-
ret, Catharinam necessariò esse repudiandam.
Cùm autē Rex communioni Sedis Apostolicæ
nondum planè renunciasset, ex eoque Cran-
merus necessariò deberet à Pontifice Romano
suæ dignitatis confirmationem petere: omnē
porrò aditum ad solennem vnctionem capié-
dam sibi videret interceptum, nisi ex canonis
decretis Romanæ Cathedræ communionem se
perpetuò secuturum, iuratus affirmaret: eam
verò mentem Regis perspiceret, vt potius Pon-
tificis Romani cōmunionem prorsus reiectu-
rus esset, quàm Annæ Bolenæ coniugio caritu-
rus: ita se gessit homo vafer, vt duobus Domi-
nis etiam contraria præcipientibus, per sum-
mam simulationem inseruire conaretur.

Cranmerus fit Archiepiscopus Cantuar.

Vafricies Cranmeri.

Et quia

Et quia Regem sui simillimum ex animo amabat; Pontificem verò duntaxat timebat, in Regis gratiam, voluntarium & præmeditatum periurium homo impius elegit, vt eò grauius postea Pontificem nihil tale cogitantem vulneraret. Tabellionem itaque accersit, ei denuciat, se iurato quidem promissurum Pontifici Romano canonicam & consuetam obedientiã; sed priusquam id agat, velle ac iubere, vt Tabellio per publica instrumenta contestetur; id inuitum se facere, nec quicquam minus in animo suo esse, quàm vt in Regis detrimentum Pontifici Romano fidem seruet. Hac præfatione edita, sigllisque ac testibus (ne fortè perfidia eius apud Regem in dubium veniret) munita, solenne iusiurandum Pontifici Romano, more maiorũ exhibet, simulque Archiepiscopatus possessionem inuadit. Quibus rebus ita se probauit Regi. vt planè dignum patella operculum fuisse dicas: fuit enim, non solum deprauatus hæresi, vt posteà apparuit, (quam etiam ob causam, Maria deinde regnante, flãmis traditum vidimus) verum etiam libidini supra modum deditus, adeò vt ex Germania rediens, fœminam quãdam ex hospitio in Angliam tulerit, eandemque per multos annos, cùm Archiepiscopus esset, circumferri secum in cista curauerit ad explẽdam libidinem, donec mortuo tandem Henrico, palàm in vxorẽ sub Eduardo Rege eã duxerit. Hic ergo dignus ab Henrico delectus est præsul, qui suæ libidini patrocinaretur: sic enim in omnibus rebus ad Regis nutum se componebat, vt essent qui ab Henrico multis pòst annis audierint, cum

Præmeditatum periurium.

Cranmeri mores & libido.

Assentatio Cranmeri.

diceret, vnum esse Granmerum Cantuariensem præsulem, qui nulla vnquam in re ipsius voluntati defuisset.

Solimanni Turcæ exeitus.

Hoc ipso tempore, Carolus Cæsar periculosissimo bello in Germania occupabatur: Solimannus enim Turca intellectis Christianorum Principum discordijs, & maximè Germanorum propter religionem, appropinquabat Germaniæ cum exercitu quingentorum millium militum, quorum trecenta millia equites erant: iamque plus quàm triginta millia Christianorum per Vngariam, Mæsiam & Austriá in captiuitatem redegerat; & sanè periclitari videbatur vniuersa Europa, nisi Carolus maturè se opposuisset, adiutus egregiè Clementis Papæ pecunijs, quas ad Castra vsque misit per nepotem suum Hypolitum Medicem Cardinalem legatum. Qua temporis occasione vsurus Henricus, Caletum petit, ducta secum clanculum Anna Bolena; scienque Regem Galliæ exulceratissimo esse in Cæsarē animo, propter recentis pacis Cameracensis conditiones, quibus filios suos non nisi ingenti soluta pecunia receperat: colloquium cum eo magno apparatu init, loco certo inter Caletum & Boloniam maritimam cōstituto, ibique omnibus artibus Franciscum incendit, vt Carolum iam occupatum, bello adoriatur: qua in re illum difficilem non inuenit; hoc solum impedimēti erat, quod eam rem Pontifex illo tempore non nisi iniquissimè accepturus videbatur. Hortabatur autem eum Henricus, vt aliquo terrore. Pontificem ad ipsorum partes pertrahere conaretur, quod ille se facturum promisit sta-

Henrici in Cæsarem ac Papam malevolentia.

fit, statimq; duobus Cardinalibus Gallis, Turnonensi & Tarbiensi: decreta est ad Papam legatio, cum mandatis asperrimis vtriusque Regis nomine, nisi voluntati eorum assentiretur. Franciscus tamen clam eos admonuerat, vt humanius omninò suo nomine agerent, & suauitate potius quã minis Pontificem mouere conarentur: nominatim verò matrimonium proponerent Catharinæ Medices, Laurentij iunioris filiæ, cum Henrico Ducc Aurelianensi secundo Francisci filio, quod postea secutum est. Interim Henricus Franciscum omnibus modis vrgebat, vt in contemptum Pontificis Gallicano Clero, decimas sua authoritate imponeret, vt aliquid saltem in offensionem Pontificis feciſſe diceretur. Ipse autẽ Henricus statuerat eo ipso in loco, & in illo cõuentu, summa cum celebritate Annam Bolenam in vxorem ducere, nisi inopinatus nuncius de Solimanni regressu, & Cæsaris in Italiam aduentu, illas cogitationes repressisset, & Franciscum minus promptum ad Henrici consilia sequenda reddidisset.

Franciscus Henricus.

Reuersus ergo in Angliam Henricus, & ira feruens, voluit tãquam robustus venator, primogenitos regni cœlorum filios, hoc est Christi ministros, omnemque Domini præcipuam sortem suo imperio subiugare. Re itaque cum priuatis quibusdam Consiliarijs, quos voluntati suæ assensuros sciebat, communicata: per nouam calumniam cuiusdam præuaricatæ legis, quàm Anglicè *De præmunire* appellant, inaudita quadam tyrannide litem vniuerso Clero intendendam curauit; qua ob Lega-

Crudelitas Henrici inaudita in totum Cleru.

torum nimirum Pontificis Romani, qui paulò antè in Anglia fuerant, externam (vt tunc ceptum est dici) potestatem, contra placitum Regis agnitam & propugnatam, clericorum totius regni bona in commissum cecidisse, fiscoq; Regis obnoxia esse pronunciabantur. Cuius iniquissimi oneris terrore, Clerus omnis depressus, atque ad terram vsque deiectus (nam omnibus omninò bonis ac fortunis, quin & libertate omni priuandus, & perpetuis carceribus iam tunc addicendus erat) cùm quid vltrà faceret aut speraret non haberent, à nobilitate laica desertus, & ab Archiepiscopis suis Metropolitanis, à quibus propugnari debuit, proditus, (nam & Cranmerus Cantuariensis, & Leius, cui Henricus paulò antè Eboracensem primatum contulerit, cum Rege in hoc ipsum conspirauerant) reliquus Clerus resistendum nõ esse ratus, victas manus dedit, herbam porrexit, conculcari se tanquam infatuatum sali permisit.

Submissio Cleri & mulcta.

Indicto igitur concessu quodam pro necessitate præsentis temporis, penè omnes omnium ordinum Clerici vna voce Regi suplicarunt, vt aureorum quadringenta millia, quæ ad criminis commissi expiationem suę Maiestati offerebant, benignè accipere, reliquamque eius pœnam remittere & condonare dignaretur: idque pro summa illa potestate, quam in regno suo, eum, tàm in Clerum quàm in reliquum populum habere, iam primùm fatebantur. Ex qua dicendi formula artificio Regiorum Consiliariorum expressa, primam occasionem sũpsam aiunt, vt Rex supremum caput Ecclesiæ Angli-

Adulatio pernitiosa.

Anglicanæ posteà diceretur. Iam etiam passim iactabatur in ore pessimi cuiusque nihil Romano Pontifici cum regno Angliæ negotij esse nisi Regi videretur aliquid ei potestatis in eo regno concedere, nam alioquin omnem animam debere potestati Regię subditam esse, nec solùm in ciuilibus, verùm etiam quoq; in spiritualibus causis. Et hæc quidem omnia excogitata suscepta & disseminata sunt, ne Rex absque authoritate legitima, vxorem repudiasse putaretur.

Vnde supremi capitis titulus.

Quæ cùm viri nonnulli graues viderent, animoque iam prospicerent, quò essent hæc omnia tandem proruptura, paulatim nitebantur, aulæ se & negotijs publicis subtrahere. In primis Thomas Morus vir omni genere virtutum præcellens, tempestates impendentes non solùm mente præuidit, verùm etiam suis particulatim prædixit, eodem planè modo quo posteà acciderunt. Is ergo cùm iam summi regni Cancellarius ad tres ferè annos fuisset, Regem adijt: suæque senectutis ac laborum, quibus in confutandis hæreticis destinebatur, excusatione vsus, supplex rogauit, vt cum Regis bona venia abdicare se magistratu liceret: Cui Rex assensit, licet non ignoraret quam ob causam illud Morus petijsset. Sed vti voluit Rex alio viro in summo illo magistratu, qui esset futurus ad desideria sua paratior. Constituit ergo Cancellarium Thomam Audlæum, hominē mediocris fortunæ & valde tenuem. Sed vt haberet vnde dignitatem splendidè tueretur, dedit illi Rex monasterium integrum vnà cū Ecclesia, ædificijs, & reddit ibus omnibus Londi-

Viri boni ab Henrico se subtrahunt.

Morus magistratu se abdicat. An. 1532.

Audlæus cancellarius

ni constitutum, cui nomen Ecclesia Christi: Religiosos autem omnes illius loci, qui Canonici erant Regulares, in alia monasteria eiusdem ordinis distribuit; Atque hoc primum iudicium extitit mali affectus Henrici erga religiosos.

Pontifex iterum Henrico prohibet nouas nuptias per Breue Apostolicum.

Cum autem hæc & alia ad aures Pontificis Clementis perlata essent, simulque didicisset ex Cardinalibus Gallis (quo supra vtriusque Regis nomine Legatos ad ipsum missos diximus) quam impotenter in Annam Bolenam affectus esset Henricus, & quòd nihil esset dubij, quin eam breui etiam publicè duceret: Pontifex pro paterna sua sollicitudine ingentem primò dolorem animo concepit; deindè statuit literis iterùm Henricum tentare, iam enim antea non semel eum priuatim admonuerat, & per omnia sacra obtestatus fuerat, ne præcipitem se ferri in hac causa sineret, expresè etiam prohibens ne quicquam in prioris matrimonij præiudicium, pendente adhuc lite faceret. Nunc autem alijs literis, ijsque magis publicis, Regi præcipere pro sua authoritate sub anathematis pœna statuit, ne vlteriùs progredi interminata lite, tentaret; id quod fecit in forma Breuis, quò res esset testatior. At Henricus, cuius animus impudicis Annæ amoribus iam immersus fuit, tantùm aberat, vt hoc vel patris consilio, vel iudicis præcepto, à proposito desisteret; vt ardentiùs multò quàm antea in libidinem suam prorueret.

Cumque iam nihil aliud ad nuptias cũ Anna Bolena contrahendas deesset, præter publicam sententiam diuortij, hanc Rex cùm à Pontifice

tifice Romano sperare non posset, à Cranmero suo, breui pronunciandam certò sciens, Annam Bolenã ipsis calendis Septembribus, Pembruchi Marchionissam constituit, ne parum nobilem personam duxisse videretur, Ad decimum verò & octauum calendas Decembris proximè sequentis, Rex longioris moræ impatiens (quanquàm omnia necdum ritè disposita essent) omninò constituit, cum Anna Bolena occultas nuptias contrahere: nuptias quidem quòd aliàs illa sui corporis potestatem Regi facere nollet: occultas verò, quòd nondum à Catharina per aliquam vllius omnino iudicis sententiam separatus esset.

Annæ creatur Marchioniſſa. An. 1532.

Rolandus ergo quidam tunc Presbyter (quẽ posteà Rex propter hoc obsequium in Episcopum Lichefeldiensem cooptauit) accersitur, ac rem diuinam facere iubetur. Ei Rex narrat, sententiam Romæ iam tandem secundùm se pronunciatam esse, factamque sibi esse potestatem nouam vxorem ducendi. Rolandus Reges non solere mentiri arbitratus, primùm siluit; mox religione tactus, spero (inquit) Maiestatem tuam habere diploma Pontificium. Annuente Rege, vertit se ad altare: cùm ecce, adhuc dubius & timens, ne quid illicitum committeret, omninò (inquit) sacri canones postulant, nostraque valdè interest, vt literæ Pontificis palàm legantur & promulgentur. Tùm Rex habere quidem se literas affirmat, sed reclusas esse in secretiore loco, nec ab alio præterquàm à se afferri posse; parum autem decere, vt eo tempore (nec enim adhuc illuxerat) solus prodiret. Acquiescit Rolandus, atque ita com-

Rolandus presbyter occultè Annam Henrico tradit.

Henrici impudens Mẽdacium.

completis cæremonijs, Henrico secundam v. xorem tradit; prima non solùm adhuc viuente, sed etiam per nullam omnino auctoritatem, in vllo hactenus iudicio Ecclesiastico, vel specie tenus interpositam, repudiata.

Anna multò propinquior Regi quàm Catharina.

Impedimentum verò, cuius prætextu Henricus Catharinam repudiabat, tum in illam non omninò; tum in Annam Bolenam certissimo cadere, idem ipse Henricus exploratè sciebat. Nam eo statu rerum posito, qui tunc erat, certum est, non nisi duplex impedimentum interuenire potuisse, cur Henricus Catharinam ab initio non posset ducere. Alterum esse poterat affinitatis, si Arthurus Henrici frater, Catharinam cognouisset: alterum fuit, iustitiæ publicæ honestatis impedimentum. Illud non interueniisse Rex Henricus probè sciebat: nam Carolo Cæsari fassus est, se Catharinam adhuc virginem cognouisse, idque ipsum & Catharina sanctè semper iurabat, & res ipsa verum fuisse contestata est, cùm & Henricus septimus grauem matronam in eodem lecto apposuerit, ne Arthurus Catharinam cognosceret; & tanta fuerit in recente adhuc Arthuri pubertate infirmitas & inualetudo, vt etiamsi maximè conatus esset Catharinam cognoscere, tamen vna caro facti non fuissent. Vbi autem carnalis copula non interuenit, affinitas nulla contrahitur.

Impedimentum affinitatis inter Henricum & Catharinam non fuit.

Si affinitas fuisset, per Claues tamen sublata fuit.

Et quanquàm contracta fuisset, tamen per authoritatem clauium regni cælorum, id impedimentum ob maius publicæ pacis bonum ritè atque ordine sublatum extitit. Neq; enim illa in Leuitico de non ducenda fratris vxore,

vt doctio-

vt doctioribus quibuſque placet, moralis eſt perceptio ex ipſo naturæ iure deſumpta; ſed iudicialis tantùm, vt pleraque alia in illo libro, illis temporibus conſentanea. Et quomodocunque ſit, ita ne tunc quidem illud fuiſſe indiſpenſabile manifeſtum eſt, vt in ea ipſa lege Moſaica, non modo permiſſum, ſed etiam præceptum fuerit. Impedimentum igitur affinitatis nec vllum inter Henricum & Catharinam fuit; & quanquàm aliquod extitiſſet, per claues Petri rectè ſublatum erat.

Iam verò iuſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, quod ſolum reſtat, cùm (vt inter omnes conſtitit) non diuini aut naturalis, ſed tantùm Eccleſiaſtici iuris fuerit, ne Henricus quidem aut Aduocati eius negabant, poteſtatẽ clauium Petri ſatis virium ad illud auferendũ habuiſſe. Cùm igitur nec affinitas vlla fuerit, & impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis, per Iulij Pontificis diploma idoneè ablatum conſtaret, nihil iam obſtabat, quo minus Catharinam Rex Henricus & ducere poſſet, & retinere deberet. Nam ſi quis ipſum Dei præceptum obſtare dicat, quod fratris vxorem duci prohibet; quanquàm expedita ſit reſponſio, idem ius diuinum nominatim illam exceptionem addidiſſe, *Præterquam ſi frater abſque liberis defunctus eſſet*, (vt in noſtra cauſa contigit) tamen illud etiam prætermitti nõ debet, quòd verba diuini iuris in eodem ipſo loco, talem rationem & præmittunt, & vbique adiungũt, quæ totam Henrici cauſam labefactat. Sic enim legimus: *Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedet, vt reuelet turpitudinem eius.* Et poſt

Impedimẽtum publicæ honeſtatis.

Matth. 16.

Obiectioni occurritur.

Deut. 25.

Leuit. 19.

post pauca: *Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis, quia turpitudo fratris tui est.* Vxor enim fratris non ob aliud prohibetur duci, quàm quod per copulam carnalem affinis alteri fratri iam priùs facta sit. Quæ enim fit vna caro cum fratre meo, ex ea re tam propinqua sanguinis mihi fit, quàm frater meus, qui mihi proximus sanguinis est, in primo nuptiarum gradu.

Vnde affinitas contrahitur & ratio eius. Leuit. 18.

Quanquam igitur concederemus & Deum propriè in eo loco non tantum de illicito coitu, sed etiam de nuptijs agere, (quod multis secus videtur) & per vxorem fratris, non solùm viuentis fratris (vt * quibusdam ex sanctis Patribus visum est,) verùm etiam defuncti fratris vxorem intelligi; & præterea legem illam non cæremonialem esse, sed iuris etiam naturalis conclusiones quasdam explicare: tamen cùm ratio legis non semel expressa fuerit, semperq; sanguinis proximitatem vrgeat, quæ vel per cognationem, vel per carnalem copulam (vnde paritur affinitas) acquiritur; nulla verò aut cognatio, aut affinitas inter Henricum & Catharinam contracta fuerit, quia frater Henrici eam non cognouit; vtique efficitur, vt diuinum ius nullo modo prohibuerit Catharinam Henrico nubere.

* *Augustin. in Leuit.*

Affinitas Henrici cũ Anna multiplex.

At contrà certissimum est inter Henricum & Annam Bolenam, verum affinitatis impedimentum interueniisse; idque ipsum Regem non ignorasse; eò quòd Clementi septimo per literas suas confessus sit, se Mariam Bolenam, Annæ sororem vterinam cognouisse. Ex qua car-

Cognouit Annæ sororem.

carnali copula, Henricus toti familiæ Bolenorum factus est affinis seu proximus sanguinis. Nam vt Paulus ait, *Qui adhæret meretrici, vnum corpus cum ea efficitur.* Cùm igitur Maria Bolena fuerit proxima sanguinis Annæ in primo gradu nempe vterina eius soror; Henricus qui fuit vnum corpus cum Maria, factus est etam proximus sanguinis in primo gradu, fratribus & sororibus Mariæ, & ex consequente, Annæ. *1. Cor. 6.*

Turpitudo Henrici reuelata.

Quid ergò est? quòd is qui tantas tùrbas excitauit, vt à Catharina tanquam ab affine sua, cum verè affinis non esset, disiungeretur, nunc non timet ad affinem suam accedere? & qui negabat Pontificis claues posse facere vt Catharinam retineret; nunc, sine vllarum clauium authoritate, imò contra illorum authoritatem, Annam affinem suam in primo gradu ducit? frustra o Rex contra stimulum calcitrasti: Deus hypocrysin tuam detexit, & adulterinum cor tuum toti mundo reuelauit.

Alia affinitas Henricũ cum Anna, quia eius matrem cognouit.

Quid verò, quòd idem Rex Henricus etiam matrem Annę Bolenę priùs cognouerat, vt antè explicauimus? Ex qua sanè copula tale affinitatis genus inter Henricum & Annam interce sit, qualis est consanguinitas inter parentes & liberos. At pater filiam suam ducere in æternum prohibetur, quia inter ascendentes & descendentes nullæ vnquàm nuptię permittuntur; propterea quòd in nuptijs est summa æqualitas & paritas (vndè Eua ex latere Adami sumpta est) cùm interim liberi parentes honorare debeant, seque illis tantò inferiores agnosce-

Genes. 2. Exod. 20.

agnoscére, vt nunquam sint referendo, & idei
nec illis quidem vlla ratione exæquari possú
Itaque vt Henricus Annam Bolenam, eius mu
lieris quam semel cognouerat filiam duceret
res longè difficilioris dispensationis fuit, pro
pterea quòd hoc affinitatis genus ipsam nupti
arum essentiam propiùs attingere videtur
quàm vt in eo dispensari omninò deceat; maxi
mè si concubitus matris sit multis manifestu
Quare cùm Henricus contra naturæ quodam
Hypocrisis Henrici. modo legem, post matrem Annæ Bolenæ cog
nitam, ausus sit filiam in vxorem assumere
quàm impudenter obtendit se non ausum es
Catharinam retinere, ne in DEVM pecc
ret? quàm impudenter etiam prætexuit, i
credidisse, quòd Pontifex authoritatem no
habuerit Catharinæ nuptias permittendi?

Tertia & maxima sanguinis coniunctio inter Henricum & Annam. Sed adhuc pergamus. Constat ex ijs quæ d
ximus, non obscuris indicijs ipsi Henrico re
uelatum fuisse, quòd Anna Bolena esset ipsius
met Henrici filia, & tamen eam duxit; is vide
licet, qui timuit sui fratris absque liberis de
functi vxorem, à fratre suo minimè cognitam
retinere: incredibilis quidē audacia, inaudita
hypocrisis, nō ferenda libido. Sed tamen vniu
hominis propria fuit hęc audacia, hypocrisis
propria & libido propria. Nec tātoperè mira
dū est, si aut homo peccet, aut cū in profundi
venerit, contemnat. Illud est mirandum, illud
stupendum, si hominum infinita millia, non
suam, sed alienam libidinem & hypocrisin, ni
tantùm æquo animo ferant: sed etiam suspici
ant, laudent, colant; & ita colant, vt supra hoc
fundamentum, fidem, spem, salutemque suam
exædificent. Omne

Omnes enim Anglicani poteſtates, Lutherani, Zuingliani, Caluiniſtæ, Puritani, & Libertini, cæteræq; oēs hæreticæ peſtes, quibus patria noſtra miſerè perijt, has turpiſsimas ac inceſtu ſoas Henrici & Annæ Bolenæ nuptias adorant, velut fontē Euangelij ſui, matrē Eccleſiæ ſuæ, originē ſuę fidei. Iā pridē Caluiniſta quidā Anglicanus, Londini duos libros edidit, eoſque tū Elizabethæ Reginæ, aſtante Pſeudoepiſcopo Cantuarienſi Matthæo, exhibuit; tùm etiam apud Ioannem Dayum typis mandauit: in quorum poſteriore de Henrici & Annæ matrimonio agens, hæc habet verba. *O verè beatæ, & non ſine ſummo numine conſiliatæ nuptiæ, cæleſtiſq; partus ac progenies, quibus patria à ſeruitute & caligine pluſquam Aegyptiaca erepta atque liberata; & ad verum Chriſti cultum reſtituta eſt.* Hæc ille.

Turpe fundamentum noui Euangelij in Anglia.

Anno 1573.

Cap. 11. Turpis & abſurda adulatio.

Nemo iam miretur aut Caianos olim fuiſſe, qui Homicidam Cain adorarent, velut ex potenti virtute procreatum; aut Ophitas, qui (vt Tertullianus ait) magnificarent ſerpentem, qui primos parentes in paradiſo decepit, velut authorem ſcientię boni & mali: nam quid tandē olim factum credi non poteſt, cùm hodiè videamus tot millia hæreticorum, nuptias Patris cum filia propria adorare? Iſti liberationē ſuā ex ſeruitute plusquàm Aegyptiaca, his nuptijs acceptam ferunt: iſti verum Chriſti cultum per has nuptias reſtitutum gloriantur. Verum quidem eſt, per has nuptias aditum vobis patefactum eſſe ad omnem hæreſim, omnemq; nequitiam. Sed ô immenſam Dei bonitatem qui, quòd hæreſes veſtras non alio partu, quā

Inſania hæreticorum.

per tàm nefandas nuptias in lucem exire permisit, eo ipso declarauit, illas turpissimarum tenebrarum filias esse, nec aliter quàm per opera tenebrosa procreari potuisse. Oportuit filiam cum patre, sororem cum fratre commiscere, (nam & hoc Annam Bolenam perpetrasse paulò post constabit) vt pulcher ille pantus fieret, à quo vestræ religionis fundamenta constituerentur, & Ecclesia vestra non iam ex sanctissimo Christi latere, vt Catholica, sed ex impuris meretricis lumbis profecta, stabiliretur.

Protestantiũ Ecclesia ex turpissimis initijs.

Sed iam pergamus in eo, quod instituimus. Cùm Anna iam Hẽricus vt vxore legitima palàm ferè vteretur, sereniſsima Catharina non tantùm à thalamo regio, vt antea diù, verùm etiam à cohabitatione Regisq; palatio exclusa, in villam quandam cui nomen erat Cimbalton, in prouincia Bedfordiensi, locum minus salubrem tribus tantùm ancillis, paruaque familia comitata secesſit; ibique orationibus ieiunijs, alijsque sanctis operibus dies noctesq; se exercuit; Deum etiam obsecrans pro salute adulterorum, quos in aula reliquerat. Quod cùm populus animaduertisset, nec vlli mortalium iam amplius esset dubium, quin Annæ Reginæ locum breui esset habitura; incredibile ferè dictu est (nisi quòd hæc sit mundi perpetua consuetudo) quantus statim omnium ordinum concursus, ad Annæ gratiam ineundi fieret; alij quidem, vt per eam à periculis imminentibus se tuerentur, in quibus erant Sacerdotes & Abbates nonnulli, qui ideò Annæ inseruire, & ei à sacello esse cupiebant, vt

Regina Catharinæ ex aula discessio.

Concursus hominum ad Annæ gratiam.

bona

bona Ecclesiastica, ac monasteriorum, quibus iam tum valde timerè incipiebant, per ipsius authoritatem & patrocinium conseruarent: sed ex votis non succesit, neque ad hoc idoneum erat Annæ patrocinium, quamuis illa omnibus omnia promitteret: alij autem, ijque multò maxima pars, ideò confluebant, vt ex rebus nouis ac perturbatis crescerent; in his erant primi, qui Lutheranam hæresim (cui etiam Anna clanculum fauebat) sectabantur. Itaque statim Henrici aula eiusmodi hominibus completa est, qui sacra omnia ridere, Sacerdotibus illudere, religiosorum vitam in contemptum adducere, Ecclesiasticorum diuitias ac potentiam carpere, ridiculas de monachis fabulas fingere, & supra omnia Pontifici Romano detrahere, inuidiamque facere solebant: & qui in his se petulantissimos & audacissimos præbebant, ij primas apud Annam, & per eam etiam apud Regem obtinebant.

Thomæ Cromueli initia ac incrementa.

Inter cæteros quos Anna his initijs Regi cõmendauit, fuit Thomas Cromuelus homo vafer, crudelis, ambitiosus & auarus, hæresi etiam deditus, eaque de causa vniuerso nomini Ecclesiastico infestus: hunc Henricus vt hominem Annæ gratum, & suis consilijs ministrum aptissimum, sociare statuit Cranmero Archiepiscopo & Audlæo Cancellario, vt per illum quasi triumuiratum, ex sua sententia singula gererentur. Primò igitur illum scrinijs regijs profecit; deinde sibi à secretis constituit; postea equitem auratum & Baronem; deinceps Essexiæ comitem creauit, magnum etiam

Regni Camerarium & sigilli secreti custodem; ac postremò non solùm primum suorum consiliariorum in rebus ciuilibus, verùm etiam Vicarium suum generalem in causis Ecclesiasticis & spiritualibus effecit; adeò vt vniuersa Resp. nõ minus ferè iã in Cromueli, quàm antea in Volsæi potestate constituta videretur.

Hæreticorũ studia ad Regem alienandum à Clero.

Hanc opportunitatem nacti hæretici, nihil quicquam sibi prætermittendum existimarunt, quo iam per tam illustrium fautorũ patrocinia causam suam promouere possent. Totius autem negocij momentum in eo maximè positum esse iudicabunt, vt Regem ipsum, qui iam à Pontifice Romano alienum, & hæresi ab Anna aspersum sciebant, in clerum suum Anglicanum, cui ex actis superioribus infensum iam intelligebant, magis magisque incenderent atque inflammarent. Cuius rei causa, spargebant indies in vulgus, ac per aulas principũ disseminabant, libellos plurimos famosos fraudis, impietatis, & nequitiæ plenissimos; quibus inuidiam & odium Ecclesiasticis conflarent; & in ijs, vnus Henrico ipsi exhibitus

Libelli famosi.

fuit, cuius erat inscriptio; *Libellus supplex mendicorum.* In quo post amplificatam, Rhetoricisque figuris inuidiosè exaggeratam verorum pauperum ac mẽdicorum, cùm insignem multitudinem, tùm extremam indigentiam, vniuersam totius mali causam in mendicos quosdam robustos ac ociosos conijciebat, quos appellabat Pontifices, Prælatos, Archidiaconos, Decanos (Canonicos, Parochos, *Præbendarios*, Abbates, Monachos, Moniales, ac Fratres mendicantes; quorum artificio in mendicando &

do, & Purgatoriarum pœnarum prætenſione (quas tamen certè nullas eſſe dicebat,) plusquàm mediam partem bonorum totius Angliæ abſorberi, & alios omnes mendicos debiliores, ad extremam miſeriam redactos eſſe affirmabat.

Fraudulẽta & ſeditioſa hæreticorũ petitio.

Proinde mendicorum omnium nomine, ſuam maieſtatem ſuppliciter rogabat, tanquam ſupremum Dei in terris miniſtrum, pauperũq; patrem, vt veros Chriſti pauperes à Pontificibus derelictos, à Pontificijs oppreſſos, pro ſua iuſtitia ac miſericordia ſubleuaret; quod illa ratione optimè ac facillimè fieri poſſe dicebat ſi ex iuſtitiæ diſtributiuæ præſcripto, vnicuiq; generi hominum, quod iuſtum eſſet, aſsignaretur, quo fieret, vt cùm Clerus Anglicanus, ducenteſimam partem aliarum perſonarum totius regni non æquaret, mediam autem partem diuitiarum omnium poſsideret; centeſimam tantùm partem eorum quæ habebat, permittendam ei eſſe, & nonaginta nouem auferendas, fiſcoque regio applicandas, quibus reliquos pauperes ſuo Rex arbitrio ſuſtentaret. Ex parte deinde omnipotentis Dei, ſupplicabat ſuæ maieſtati hic pauperum Procurator, vt hanc etiam centeſimam partem, quam aliqua iuſtitiæ ratione ad Eccleſiaſticos pertinere dixerat, tàm diu Rex apud ſe retineret, quouſq; Clerici Monachique præceptum illud Dei in Geneſi poſitum exequantur, quo iubentur, *In ſudore vultus comedere panem*; quod ſi facere detrectent, tunc non ſolùm hac etiam parte priuandos eſſe, verùm etiam pœnis grauiſsimis caſtigandos. Hæc ille.

Et quanquam sanè nemini ferè esset dubiũ, quin hæc & eiusmodi, vel approbante vel cõniuente Rege ipso disseminarentur, Cromuelo autem cæteriśque nonnullis Consiliarijs nõ obscurè fauentibus; visum est tamen viris bonis operæpræcium, his initijs aliquo modo obsistere, ne hæretici audaciores facti palàm debacchari ac dominari inciperent. Cùm autem nemo ex Clero sententiam suam commodè interponere posset, ne causam propriam videretur agere; Thomas Morus Laicus, rem in se suscepit librumque doctissimum ac prudentissimum scripsit, quem vt ad hæreticorũ libelli inscriptionem alluderet, *Libellum supplicem animarum in Purgatorio*, appellabat.

Mori respõsum ad libellum supplicẽ mendacorũ

In hoc, detectis primùm hæreticorum fraudibus ac mendacijs, quibus viam erroribus suis aperire solent, (quo etiam loco, vniuersa illa mala quæ postea ab his initijs secuta sunt, prædicabat) confutatis etiam infinitis maledictis falsissimisque calumnijs, quibus impij isti obtrectatores sortem domini, id est, Clerum iniquissimè onerabant, demonstrat primo loco possessiones aliośque Cleri redditus, multis partib⁹ minores ac pauciores esse, quàm isti ad inuidiam excitandam affirmant. Deinde non solùm piè verùm etiã necessariò hos redditus Clero à maioribus nostris assignatos fuisse, ad cultum Deo perpetuò persoluendum. Præterea Rempublicam sine his constare non posse, nec solùm Clericos, sed Laicos etiam infinitos qui vel Clericis inseruiant, vel ab ijs dependent, his redditibus sustineri; Pauperum omne genus, ab Ecclesi-

Mendacia hæreticorũ

1

2

3

asticis

asticis maximam Eleemosinarum partem accipere; hospitia, Collegia, Monasteria, xenodochia cæteraque pietatis opera ac paupertatis refugia, ab his præcipuè erecta fuisse, opibusque ditata. Denique Cleri opes verè esse Thesaurum pauperum, non solùm in hoc Mũdo, verùm etiam in futuro, latissimè grauissimeque contra hæreticos probat Morus; nec vllus postea de hoc ei Argumento respondit.

Anna tamen ac Cromuelus, cæterique Cleri hostes, quiescere Henricum non patiebantur, sed inito Consilio Regi suggerebat, non mediocriter ad eius negotia expedire, vt in illis ipsis Comitijs quæ tunc habebantur, iuramentum exigeretur ab Ecclesiasticis omnibus, quo eandem suæ maiestati, quamantea Romano Pontifici consueuerant, obedientiam, promitterent: hinc enim fore dicebant, vt Cranmerus solutior iam factus ab obedientia Pontificis & maiori vinculo Regiæ Maiestati adstrictus, liberiùs sententiam secundum Regem pronunciaret. Placuit Henrico vehementer consilium, sed quia res noua atque inaudita erat, vir aliquis magnæ apud Clerum authoritatis, qui eam primò proponeret, deligẽdus videbatur. Nullus ad eam rem tam idoneus visus est, quàm Ioannes Fisherus, Roffensis Episcopus, qui vnus omnium facillimè propter summam authoritatem, negotium posse conficere credebatur, si in se illud susciperet; Sin autem abnueret, grauissimam Regis iram sustinere necesse esset, quod Anna summopere cupiebat: Valde enim oderat Roffensem

Noua iusiurandi forma exigitur à Clero.

Anna Bolena, ex eo tempore quo ille Catharinæ causam tam acriter apud legatos Pontificis defenderat, quemadmodum supra commemorauimus.

Anna Bolena Episcopũ Roffensem veneno tollere nititur.

In cuius etiam rei vltionem, non multis inde mensibus, coquum quẽdam Richardum Risæum, proposita mercede conduci curauit, qui veneno Roffensem tolleret. Sed cum Risæus non alia ratione id facere tentaret, quàm vt ollam communem, in qua pro vniuersa Episcopi familia iusculum coquebatur, inficeret (sciebat enim Episcopum communibus cibis inter suos vesci solitum;) diuina prouidentia factum est, vt eo ipso die quo in ollam venenum est iniectum, Roffensis præter solitum in triclinium non veniret; famuli autem qui illi prandio interfuerunt, statim correpti, ferè omnes expirarunt, & Risæus coquus confessione sua proditus, publicè supplicio affectus fuit, vnde & maius deinde exarsit Annæ Bolenæ in Roffensem odium.

Roffensis in magnis angustijs.

Vt ergò ad rem redeam; denunciata Roffensi Regis voluntate, & quid eum facere vellet, etsi perinuitus rem audiuit, animoque mœsto se excusaret, (sciebat enim è quo fonte hæc omnia emanabant) tamen eum Rex vehementissimè perurgeret, nullamque excusationem, aut dilationem admitteret, diceretque se experiundi causa hoc postulare, quo cerneret: si Clerus tã malè affectus in ipsum esset, quàm multi affirmabant, adijceretque præterea ad tollendum omnem conscientiæ scrupulum, non alia ratione hoc obedientiæ iuramentum exigi ab Ecclesiasticis, quàm vt explicatè adiungeretur

eous-

eousque illos iurare, quantum ipsis per Dei verbum, permissum esset ac licitum: Ex altera etiam parte, cùm Roffensis animo perpenderet, immensam iræ Regiæ tempestatem, vniuerso Clero impendentem, nisi hac in re illi satisfieret, speraret autem processu temporis Regis animum amoris Annæ pertæsum, reuocari posse ab hoc incœpto, cùm viri doctissimi & Episcopi non essent defuturi, qui ipsum docerent hoc nulla ratione permitti aut licere; his inquam alijsque multis rationibus inductus ac deceptus Roffensis, (de quo posteà sæpissimè grauissimeque doluit) necessitati præsenti cedendum ratus, persuasit reliquis qui firmiores adhuc erant in Clero, (nam plerique iam Archiepiscopis Cranmero & Leio, huic Eboracensi, illi Cantuariensi, qui ambo Regis negotium promouebant, adhæserant,) vt saltem, cum exceptione illa prædicta, (*Quantum per Dei verbum liceret*) obedientiam Regi in causis Ecclesiasticis ac spiritualibus iurarent. Cuius facti, Roffensem postea vsque adeò pœnituit, vt publicè se incusans diceret: suas; id est, Episcopi partes fuisse, non cum exceptione dubia, sed apertè & disertis verbis cæteros potiùs docuisse, quid verbum Dei promitteret, quidue prohiberet, quò minùs alij in fraudem incurrerent; nec vnquam sibi deinceps peccatum hoc satis expiasse videbatur, quousque proprio sanguine, hanc maculam eluisset. Rex tamen hac ratione obtinuit, quod expetebat. Quibus rebus sic constitutis, ordinumque suffragijs stabilitis, iam oportunum tempus aduenerat, in quo Cranmerus à Rege, vt antè diximus,

Roffensis decipitur & succumbit.

Roffensis pœnitentia.

ximus, constitutus ad hoc ipsum Cantuariensis Antistes, iuramenti religione quod Pontifici Romano præstiterat, profanorum comitiorum authoritate, vt videbatur solutus, nouoq; sacramento Regi colligatus, liberè posset etiam contra Romani Pontificis præscriptum, diuortij sententiam inter Henricum & Catharinam pronunciare. Is igitur ex Henrici arbitrio certos Episcopos, Procuratores, Aduocatos, & Tabelliones vna secum ducens, ad pagum Dunstablensem se contulit, qui proximè abest à Regia villa Amplienſi, in qua eo tempore degebat sereniſsima Catharina; quã sæpius in ius vocatã, vbi per quindecim dies frustra exspectasset, ad sententiam diuortij ferendã se præparat, cùm priùs Regem velut à diuortio aliquantulum abhorrentem (ita enim vt faceret, inter ipsos conuenerat) admonuisset, ne fratris defuncti vxorem contra leges Euangelij diutiùs retineret: ni obediret, se quamuis inuitum, tamen pro ministerio quod in Ecclesia Dei gerebat compelli, vt censuris Ecclesiasticis in Regem ageret. Mira dicendi libertas in subdito, inquiebant adulatores Regij: Iam verè videmus, quantùm inter Papisticam religionẽ & sincerum Dei Euangelium intersit. Hic Episcopus nisi ex Deo esset, Regem ipsum officij sui tàm audacter non admoneret. O diem beatum qui cœlestem lucem primus ad nos attulit. Sic illi.

Cranmerus sententiam fert de diuortio.

Hypocrisis Henrici nimis aperta.

Impia adulatio.

Porrò Thomas Cranmerus ex domo Annæ Bolenæ ad solius actoris arbitrium ea lege delectus Archiepiscopus & iudex, vt sententiam pro diuortio ferret; ne audita quidem altera parte,

Sententia Cranmeri.

parte, audiēter pronũciauit: necessitatem iure diuino impositã Regi esse, vt Catharinã repudiet, & libertatem concessam, vt alteram ducat.

Cæterùm Henricus qui & iudicẽ & sentẽtiã in manu sua habebat, quid futurũ esset probè sciens; iam antè (vt supra cõmemorauimus) & duxerat Annam Bolenà, & cognouerat, & Regi etiam Galliarum per secretum nũcium idipsum significauerat; licet solennem nuptiarũ pompam, ad quinque deinde menses; id est, in ipsam Dominicæ Resurrectionis vigiliam distuliſſet. Anna igitur pridie idus Aprilis, qui dies sepulto domino eo anno sacer fuit, publicè deducta; & postridiè Calendas Iunij proximè sequentis, Regio diademate, longè insigniori ac celebriori pompa, quã vlla vnquàm anteà Regina, coronata fuit.

Nuptiæ Annæ in vigiliã Paschatis. Anno 1533.

Cùm matrimonij huius fama, fines Angliæ egressa, ad exterorum aures peruenisset, dici non potest, quantum admirationis, doloris & indignationis, in Christianorum Principum animis excitauerit. In primis verò Carolus Cæsar, qui per illa tempora in Italia fuerat, indigniſsimè rem ferens, Pontificem obnixè rogauit, vt pro summa authoritate à Christo sibi commissa, ad filios petulantes & rebelles castigandos, tàm insignem Henrici nequitiam impunitam esse non permitteret. Pontifex quanquã vt rei ipsius indignitate; sic Caroli etiam iustiſsima petitione vehementer moueretur; tamen qua erat semper in Henricum indulgentia, rem eovsque differendam censuit, donec iter suum in Galliam quod tunc meditabatur

Fama rei apud exteras nationes.

Colloquium Clementis ac Francisci Massiliæ. An. 1533.

batur, absoluisset: maximis enim de causis Franciscum Galliæ Regem, Massiliæ Clemens Pontifex conuenire statuerat, per eumque, quòd summa esset cum Henrico amicitia coniunctus, Regis animum ab Annæ complexu nunc saltem post expletam libidinem spera bat posse reuocari. Atque illius quidem re spem magnam faciebat ipse Franciscus, quò fa ciliùs Pontificem ad colloquium illud Massi lienſe pertraheret. At verò cùm Henrici Ora tores Massiliam posteà veniissent, & in ipse Pontificis cubiculo, audiente Francisco Rege

Inurbanitas Legatorum.

tàm insolenter se gessissent, vt Pontifici palam obloqui, & ab eius authoritate ad concilium nescio quod futurum prouocare non desiste rent; tùm & Franciscum Henrici pudere, & Pontificem indulgentiæ pœnitere cœpit. E Franciscus quidem Pontifici suasor fuit, vt Hen rici causam deinceps ex legum Ecclesiastica præscripto decideret: se enim tantùm abfutu rum semper ab hac Henrici inobedientia de fendenda, vt eidem se constanter aduersatur profiteretur. Idipsum respondit posteà alijs

Franciscus Henricum deserit.

Henrici Legatis, qui vi fœderis auxilium po stulabant. *Alijs in rebus omnibus se fratris ani mum Henrico præstiturum, sed in ijs quæ contra religionem fierent, nec velle cuiquam associari.* Quam pijssimam Regis Christianissimi vocem Polus qui tunc vixit, copiosissimè laudat.

Pontificis in Italiam regressus.

Pontifex igitur expeditis in Gallia negotijs, traditaque in matrimonium Aurelianensi Duci secundo Francisci filio, Laurentij Medi ces iunioris filia, ob pacem inter ipsum & Fran ciscum firmandam, in Italiam reuertitur, vbi

caus

causa Henrici ac Catharinæ iterum cognita ac diligentissimè examinata, sententiam tulit non longè ante mortem, in hæc ipsa verba quę sequuntur.

Sententia definitiua Clementis Papæ septimi, pro matrimonio Henrici octaui Angliæ Regis cum Catharina, & contra secundas eiusdem nuptias cum Anna Bolena. Data Romæ Anno Domini 1533. Pontificatus Clementis vndecimo.

CLEMENS PAPA SEPTIMVS, &c.

Causæ mouentes ad hanc sententiam ferendam.

QVM, *pendente lite coram nobis, dilecto filio Capisuccho capellano nostro, ac sacri Palatij Apostolici causarum auditori & Decano, à nobis in Consistorio Reuerendissimorum commissa, inter charissimos in Christo filios nostros Catharinam & Henricum octauum Angliæ Reges, de & super validitate matrimonij inter eos contracti, præfatus Henricus dictam Catharinam eiecerit, & de facto cum quadam Anna matrimonium contraxerit, contra mandata & decreta tàm admonitionis, quàm inhibitionis in literis in forma Breuis, etiam de consilio fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium emanatis, contenta, temerè & de facto attemptando.*

Idcircò

Idcircò nos de illius potestatis, quam Christus Rex regum nobis, licet immeritis, in persona B. Petri concessit, plenitudine, in throno iustitiæ pro tribunali sedentes, & solum Deum præoculis habentes, per hanc nostram sententiam, quam de nostro mero officio, ac de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consistorialiter coram nobis congregatorum consilio, ferimus; eiectionem & spoliationem dictæ Catharinæ Reginæ quasi possessione iuris coniugalis, & Reginalis dignitatis, in qua tempore huiusmodi motæ litis erat, & matrimonium inter prædictum Henricum Regem & Annam prædictam contractum, cùm prædicta omnia notoria, & manifesta sint, prout ita esse declaramus, nulla, iniusta, & attemptata fuisse & esse, ac nullitatis, iniustitiæ, attemptatorumque vitio subiacuisse & subiacere prolemq; susceptam seu suscipiendam illegitimam fuisse & esse, præfatamq; Catharinam Reginam ad suum pristinum statum & quasi possessionem iuris coniugalis & Reginalis dignitatis restitui & reponi debere, dictumq; Regem dictam Annam à cohabitatione sua & quasi possessione iuris Coniugalis & Reginalis eiicere, & amouere debere; in his scriptis pronunciamus, decernimus & declaramus, restituimus & reponimus, eiicimus & amouemus. Eademq; nostra sententia, & ex consilio & mero officio nostro prædicto, præfatum Henricum Regem maioris excommunicationis & alias censuras & pœnas in dictis literis contentas, ob earum non paritionem & contemptum damnabiliter incurrisse & incidisse, ac ab omnibus Christi fidelibus euitandum fuisse & esse, declaramus & mandamus.

Nuptiæ primæ approbatæ & secundæ reiectæ.

Elizabeta quæ nunc regnat declaratur illegitima.

Henricus excommunicatur.

El

Et nihilominus volentes cum eodem Henrico Rege, nomine pij patris benignè & clementer agere, censurarum prædictarum declarationem, vsque, & per totum mensem Septembris proximè futurum; ad hoc, vt sententiæ & mandatis nostris prædictis commodiùs parere possit, suspendimus. Et si infrà dictum tempus parere distulerit, ac dictam Catharinam in pristinum statum, quo tempore litis motæ erat, non restituerit, præfatamq; Annam à sua cohabitatione & quasi possessione iuris Coniugalis & Reginalis non abiecerit, & dicta attemptata cum effectu non purgauerit; ex nunc, pro vt extunc, præsenti declarationi locum esse volumus & decernimus.

Spatium pœnitendi datur.

Ita pronunciamus.

Henricus hac accepta sententia, cùm eam non aliter atque si ipsi iniuria facta fuisset mira interpretaretur; tantùm abfuit vt eidem pareret, aut pœnitentiam cogitaret, vt perditorum potiùs hominum more, peruicaciùs multò progrederetur, & doloris sui vlciscendi causa, nihil aliud versaret animo, quàm vindictam.

Catharina spoliatur regina nomine

Ac primùm quidem iratus vxori Catharinę, quod in illius gratiam hęc omnia facta à Pontifice affirmaret, sub pœnis grauissimis edixit, ne quis inposterum illam Reginę nomine vel Henrici vxoris appellatione dignaretur, sed vt tantum Arthuri Principis defuncti vidua ab omnibus vocaretur. Deinde admonitus ab Anna, quod grauida iam esset ac partui proxima,

proxima, Mariam ex Catharina filiam, decen & septē annos natā, quàm antè Vvalliæ Prin cipem regniq; hæredem vniuersi ordines iura tò professi fuerant, omni regio ornamento de tracto, tanquam spuriam & illegitimam, a Catharinam matrem remitti iussit, vt priua tam cum ea vitam ageret. Simul etiam custo des & exploratores in ipsa Catharinæ dom famulorum loco constituit; qui renunciaren quid ibi ageretur, quibuscum consilia Cath rina conferret, qui domum illius frequent rent, quibusnam ipsa fideret. Inquirebat et diligenter in Catharinæ amicos, eosque leui simis de causis in custodiam tradebat.

Maria filia dignitatib. exuitur.

Sæuitur in Catharinæ amicos.

Et primo quidem loco, vt cæteris timore faceret, Reuerendum admodum doctumq virum, Ioannem Forestum, diui Francisci Obseruantia Religiosum, qui serenissimæ C tharinæ à confessionibus fuerat, in carcere conijcit, eò prætextu, quod Hugoni cuida Latimero hæretico, liberiùs in Papam, cora ipso Rege debacchanti, restitisset: deinde nō nullos alios, & in ijs tres Sacerdotes ac Docto res Theologos, qui causam Catharinæ paul antè apud Legatos Pontificis defenderāt, Tho mam Abelum, Edouardum Pouellum & Ric ardum Fetherstonum, recludi iussit in arctiss mas custodias, ea criminatione, quòd cum Mo niali quadam Cantuarienſi (de qua statim di cemus) consilium habuissent contra Regis di uortium. Atque hos quidem omnes posteà, i lioſque plurimos diuersis mortis generibu mactandos curauit Henricus, vt suis locis ex plicabitur.

Duo

Dum sic fureret, ac instar alterius Herodis sæuiret Henricus, instigante eum sua impijssima Herodiade, voluit humani generis hostis, maiorem adhuc ei occasionem sæuiendi præbere. Nata est enim saltatrici filia, quæ ob innumeras Sanctorum cædes, quæ illius causæ factæ, deinde ac perpetratæ fuerunt, non immeritò *Filia sanguinis*, à multis fuit appellata. Edita est in lucem septimo Idus Septembris in ipso profesto natalis beatissimæ Mariæ virginis, (quem illa postea deleuit è Fastis (eodem ipso Anno, quo matrem eius Henricus duxerat; id est, non totis quinque mensibus post solemnem nuptiarum celebrationem; necesse vt fuerit, Annam priùs cognitam ab Henrico vel ab alio fuisse, quàm publicè duceretur. Et certè non deerant, qui eo ipso tempore dubitarent, propter notissimam Annæ Bolenæ incontinẽtiam, num proles hæc ad Henricum pertineret: non enim ignorabatur etiam tùm, quàm familiariter vteretur Anna amatoribus illis, quos postea prodidit, & vnà secum perdidit: quàm ipsam ob causam, Maria princeps quæ tum aderat, plurimaque quæ alios latebant, per Matrem matrisque amicos expiscabatur; nunquã postea adduci potuit, vt existimaret, Elizabetham sororem suam esse; hòc est ab Henrico genitam.

Natiuitatis Elizabethæ Anno 1533.

Dubitatur an Elizabetha fuerit Henrici filia.

Baptizandam tamen curauit Henricus Elizabetham summo splendore ac celebritate, apud Grenuicum, in Ecclesia fratrum Franciscì de Obseruantia: quod vniuerso illi ordini infaustum fuisse deinde videtur; eò quòd vndecimo post mense, nihil adhuc contra alios Religiosorum

Infaustus Elizabethæ Baptismus in Ecclesia Franciscanorum.

sorum ordines decreto, omnes illius institu
ti Monachi, per vniuersam Angliam locis su
is pulsi fuerunt, fratribus S. Augustini in eo
rum ædes pro tempore substitutis. Elizabeth
verò cùm postea ad Regnum peruenisset, illu
ipsum Monasteriũ Grenuicẽse, in quo baptiz
ta fuerat, à Maria Regina paulò antè restituti
iterum destruxit, & ad vsus profanos sui Pal
tij cui adhærebat, ædificia destinauit.

Bartona monialis. Anno. 1534.

Celebre erat his diebus Elizabethæ Bartõ
næ Monialis nomen, quæ propter famam sã
ctitatis, *Virgo sancta Cantiana*, vulgò appe
labatur. Hæc asserebat Henricum non ampli
ùs, iam esse Regem, eò quòd ex Deo non re
gnaret: Mariam verò Catharinæ filiam, qu
tunc minus legitimè nata habebatur, ad Re
gni gubernacula suo iure sessuram esse. C
quæ verba in ius vocata, & in publicis Regi
comitijs vna cum duobus D. Benedicti Mon
chis, Edouardo Bochingo & Ioanne Deri
go, duobus etiam D. Francisci patribus Hugo
ne Richeo, (qui conuentui Cantuariensi præ
erat) & Richardo Risbeo: duobus etiam sa
cerdotibus secularibus, Richardo Mastero &
Henrico Goldo (qui omnes eam spiritu De
afflatam credebant) capitis condemnata fuit
& post ludibria publica omnes cõstanter sup
plicium vltimum subierunt, duodecimo Ca
lendas Maij. Quam fœminam, cùm inter cæte
ros Roffensis & Morus diligenter examinasse
confessi sunt se nullo indicio deprehendere
potuisse, eam fanatico spiritu (quod in eius
inuidiam tunc spargebatur) agitatam fuisse.
Vnde & ipsi in suspicionem apud Regem ve-

Septem martyres.

nerunt

nerunt, quòd cùm illa sentirent. Et Roffensis quidem nominatim de eo crimine in comitijs accusatus fuit, & Ioannes Adesonus, qui ei fuit à sacello, vnà cum tabellione Cantuariensi, duo etiam nobiles laici, Thomas Goldus & Edouardus Thuatus, in vincula eam ipsam ob causam coniiciebantur. Constat tamen, illas res quas tunc, cùm nihil minus quàm futuræ putabantur, futuras illa prædixit, suo tempore posteà eueniisse. Maria enim quæ tunc Elizabethæ postponebatur, ante Elizabetham posteà iure suo regnauit.

Quatuor tradit carceribus.

Quo verò die hæc ancilla Dei cum socijs ad patibulum tracta est eo ipso Londini optimates omnes iussi sunt coram Archiepiscopo Cranmero, Audlæo Cancellario, Cromuelo secretario, alijsque Regis consiliarijs iuratò profiteri, secundas eius nuptias legitimas esse, prolemque inde natam, Elizabetham nomine, verum esse Regni hæredem, Maria Principe excluſa, tanquàm ex matrimonio illegitimo prognata. Quam iurisiurandi formulam, vt multis de causis iniquissimam, cùm Episcopus Roffensis ac Thomas Morus, alijque nonnulli susciperе nollent, in custodiam coniecti sunt. Fratres autem minores qui de obseruantia vulgò dicuntur, cum hac iniquitate permoti, liberiùs loquerentur, tàm in publicis disputationibus, quàm conciónibus sacris, matrimoniumque Catharinæ acerrimè defenderent, (præcipuè verò Londini duo patres doctissimi, Elstonus & Paytonus) ob hanc rem totus ordo in tanto apud Regem odio fuit, vt tertio Idus Augusti, fratres isti ex

Noua persecutio propter Elizabethã.

Roffensis & Morus & 200 fratres minores in carcere.

omnibus ordinis sui Monasterijs, vt supràd
ximus, pellerentur, varioſq; in carceres con
ijcerentur: adeò vt plusquàm ducenti eoder
tempore custodijs numerarentur.

Anno 1534. Regni Hen. 26. ætatis 44.

Henricus perspecta virorum bonorum v
luntate, cùm diuortium suum non perinde
omnibus approbari cerneret, atque ipse cup
erat; occurrendum ratus initijs, non amplii
priuato imperio, sed publico authoritate
vi legum agendum esse censuit. Itaque Com
tia publica regni indixit, ad tertium Non
Nouembris futura, nequaquam dubitans, qu

Comitia quæ Henricum & Angliam perdiderunt.

in ijs partim vi ac minis, partim adulatio
ac artificiosa inductione illorum qui hæc
clàm fauebant, obtineret ab ordinibus, qui
quid ipse cupiebat ac iam animo designauer
Sciebat enim inter Episcopos, Cranmerum
Leium Metropolitanos, totos esse suæ volu
tati addictos, Gardinerum verò, Samson
alioſque iuniores, quos ipse nuper euexer
non admodum repugnaturos: Roffensem S
nem in carcere teneri: Tonstallum Dunelm
sem (qui vir etiam magnæ authoritatis era
Regis literis admonitum à Comitijs abfui
rum.

In principum verò consessu, præter no
Nobilitatem, quam Henricus ipse creauer
magnaque ex parte Lutherana perfidia depr
uatam, erant primores duo, qui sua author

Dux Suffolcia.

tate cæteros facillimè ad omnem Regis nutu
ac voluntatem inflectebant: horum primus e
rat Carolus Brandonus Sulffolciæ Dux, qui so

Dux Norfolcia.

rorem Henrici in Matrimonio habebat, homi

perdi

perditæ vitæ, & Henrico simillimus, cuius tota posteà familia, Deo vindicante, miserrimè perijt ac dissipata fuit. Alter, vir erat Catholicus ac Bellica laude clarus, Thomas Hauardus, Morfolciæ Dux, sed ne Regis gratiã amitteret, ad omnia se facilẽ, & obsequentẽ exhibebat: quam tamen gratiam obsequijs tam iniquis partam, Deus retineri diu non permisit, nam & ipse postea Thomas, perpeutis carceribus ab Henrico damnatus fuit, & filius eius primogenitus Comes Surræus appellatus, eodem iubente, securi percussus.

Baro Dacrèus.

His ergo instrumentis, alijsque artibus ac minis (nam & Baronem Dacrium qui Catholicus ac potens erat, suæque voluntati non facilè consensurus, illis ipsis diebus quo reliqui fierent timidiores, ad causam de capite dicendam ficta calumnia euocauerat,) obtinuit Hẽricus vt quæcunque ipse vellet, suffragijs ordinum decernerentur. Ac primùm quidem, vt Maria ex Catharina filia Natalium honore ac omni regnandi iure priuaretur: honores autẽ omnes ac successionis iura Marię ante attributa, in Elizabethã transferrentur. Deinde vt omnis potestas ac iurisdictio in Anglos & Hibernos, Pontifici Romano in perpetuum adimeretur; reusque perduellionis fieret, si quis deinceps quicquam honoris aut authoritatis Sedi Apostolicæ deferret: Anglicanæ verò Ecclesiæ Summum in terris caput vt solus Rex haberetur, cuius solius esset, authoritate plenissima errores, hæreses, abusus omnes emẽdare. Ac illi propterea omnium sacerdotiorũ integri prouentus primi cuiusque anni, quò

Impia Cõmitiorum decreta.

quis beneficium aliquod sortitus esset, solu
rentur: illi omnium Ecclesiasticarum digni
tatum decimæ redderentur.

Ridicula crudelitas in nomen Papæ.

Quinimo ipsum Papæ vocabulum perfec
tus edici curauit, vt de cætero nullus Pontif
cum Romanorum vocaretur Papa, sed tan
Episcopus: quam legem tanta sæuitia exec
tioni mandauit, vt capitis damnaretur, si cu
ius in libro vel solum nomen Papæ non del
tum extaret. Per Calendaria, per indices, p
scripta Patrum, per totum ius Canonicum
per Scholasticos Doctores, Papæ vocabulu
literis vndique obducebatur: imò in fron
operum Diui Cypriani, Ambrosij, Hieron
mi, Augustini, Leonis, Gregorij, Prosperi
aliorum Ecclesiæ luminum, singuli scribe
coacti sunt, si quid in eis operibus inesset, quo
Pontificis Romani Primatum tueretur aut co
firmaret, se illo verbo, sententiæ, rationi,
nunc renũciare, nec tanti criminis reos vnq
esse velle, vt quibusuis patribus aut Doctor
bus in ea re assentiant. Omnis etiam commu
nicatio per literas cum Pontifice Romano
iussu ministris extra Angliam degentibus, sub
pœna læsæ maiestatis prohibebatur. Quo fa
ctum esse scribit * Erasmus, vt quasi sub omn
lapide dormiat scorpius, ita nemo Anglorum
ausus est deinde, aut quicquam scribere, au
ab externo quopiam literas accipere.

* *Lib. de pu-rit. cæles.*

In litanijs præterea precibusque quæ tùm
priuatim, tùm publicè in omnibus oratorijs,
Ecclesiis monasterijs, alijsue in locis recitabã
tur, loco petitionis illius quæ pro Domino A-
postolico à Christi fidelibus per vniuersum
orbem

orbem fieri solet, Henricus hæc impia verba apponi imprimiq́ue præcepit: *Ab Episcopi Romani tyrannide, & detestandis enormitatibus libera nos Domine.* Atq; vt his serijs nonnihil etiam ridiculi admisceret, Nonis Maij edixit ne quisin posterũ suorum Aulicorum, aut Barbam raderet, aut capitis capillis longioribus vteretur, quod viri grauiores in Anglia ad honorem & imitationem quandam Cleri facere consueuerant. *Imprecatio contra Papam.*

Ipse autem vt caput nouum Ecclesiæ quò alijs prę̨luceret, Annæq́ue oculis magis placeret, exemplum & formam præbere voluit: seipsum igitur nouo ac elegantiori longè modo tondendum ac vestiendum curauit, omnibus vt iterum iuuenescere & simul cum antiqua vxore veteriq́ue religione, veterem etiam animum, veteremq́ue corporis habitum deposuisse videretur. *Henrici vanitas.*

Neque contentus his quæ domi pro libidine constituerat ac fecerat, tentare etiam foris voluit, an externum aliquem Principem ad furoris sui participationem pertrahere posset. Legatos igitur mittit, primùm ad Franciscum Galliarum Regem, in quo plurimum spei habebat, propter communem vtriusque cum Cæsare contentionem. Sed cum sua Christianissima Maiestas tantùm abesset ab Henrici impietate probanda, vt ne legatos quidem eius, ea de re audire voluerit: ad certos Germaniæ Principes, qui iam dudum hæresi Lutheranæ se addixerant, profecti sunt. Illi, quãuis tũ Henrico tum etiã sibi gratularentur *Henricus frustra facta sua externis principibus probare nitiur.*

discessionem eius à Pontifice, quam & ipsi fe cerant: dolebant tamen vehementer tam scelleratam ac turpem fuisse eius discessionis causam: quam ita detestabantur, vt nulla legatorum * persuasione adduci potuerint vt approbarent: Quod & Henricum mirabiliter offendit, fecitque (vti creditur) ne palam ad hæresim Lutheranam deficeret, nèue ipsius Luther submissionem ac palinodiam, quàm abiectissimè paulò pòst ad eum scripsit, admitteret. Caluinus etiam paulò pòst Henrici Primatum ecclesiasticum oppugnauit.

* *Hoc testatur Cochlæus lib. cont. Morison.*

* *Com. in Amos.*

Desertus itaque ab externis domesticis cõprobatoribus contentus esse voluit, iubetque vt sui, tam concionibus, quàm libris editis hãnouã authoritatem suam ecclesiasticã tueãtur. Qua Regis voce, excitati sunt ad concionandum plurimi, ad scribendum etiam nonnulli; quorum aliqui id sponte faciebant, quòd hæresim fauerent; cuiusmodi erant, Sampsonus, Foxus, Morisonus, cæterique: alij verò coactè, ne Regem offenderent, vt Gardinerus Vintonien sis & Tonstallus Dunelmensis Episcopi.

Scriptores Angli pro Henrico.

Voluit etiam Rex adhuc iterum tentare Reginaldum Polum: eamque ob causam Comitiorum Acta per Cursorem suum Patauium vsq; transmisit, literis humanissimè scriptis petés & quasi iure quodam suo, tanquam ab alumno & consanguineo postulans, vt cùm Regi tam esset coniunctus sanguine, regiaque pensione tot annos enutritus, in Regis & cognati gratiam, aliquid iam de noua Primatus authoritate, Comitiorum suffragijs stabilita, scriberet. Polus acceptis literis Comitiorumque decretis dubius

Henricus Polum ad scribendum inuitat. An. 1534.

dubius hæsit aliquamdiù quid ageret: tandem, cum audiret Regem indies magis sæuire in sanctorum hominum sanguinẽ, excitauit se, quatuorque mensium studio, quatuor illos elegãtissimos de vnione Ecclesiastica libros absoluit, quos Regi inscripsit, eidemque in manus proprias tradendos misit, quibus, cùm & impium Regis Primatum doctissimè confutaret, & scelera nefanda oratione libera detegeret, locumque pœnitentiæ, ac viam demonstraret: tantum sibi odium apud Regem concitauit, vt patriæ proditor, reusque lęsæ maiestatis ab eodem sit declaratus; vitaque eius multis insidijs deinceps appetita, mater fraterque & auunculus necati, & vniuersa eius familia, illius causa afflicta & propè extincta fuerit. Sed ad Angliam redeamus.

Poli libri contra Henricum.

Henrici furor in Polũ eiusq; familiam.

Animaduertit Henricus quàm plurimis indicijs, bonorum omnium animos vehementer abhorrere ab ijs quæ faciebat, & quò quisque erat vir melior ac religiosior, eò alieniore animo ab eisdem esse. Sciebat autem in regno suo tres esse ordines religiosorum hominum, qui præcipua laudis regularis obseruantiæ, prę cęteris omnibus florerent, summaqque inde authoritate apud omnes valerent: Carthusianorum nimirum; sanctę Brigittæ; & diui Francisci de obseruantia: hos ergo primo aggrediendos statuit; vt illis debellatis facilior esset de cæteris victoria. Sed & in hoc ipso mirabilis apparuit suauissimaque Dei prouidentia, vt ab his sanctissimis viris initium faceret, quò & ipsius tyranni maior esset confusio; & ipsorum martyrum, cùm clarior triumphus, tùm

Tres ordines religiosorum à quibus Hẽricus initiũ persecutionis fecit.

illustriùs etiam pro veritate testimonium.

Tertio igitur calendas Maij quinque sanctiſ-
simi viri, glorioſum pro Christo certamen in-
ierunt. Quorum tres quidem fuerunt diuerſo-
rum ordinis Carthuſiani monaſteriorum Pri-
ores; Ioannes Hogthonus Prior Londinenſis
itemque Robertus Laurentius & Auguſtinus
Vebſterus Priores, alter Beualenſis, Exhamen-
ſis alter: confidebant enim lupi faciliorem ſe
habituros ad reliquum ouile ingreſſum, ſub-
latis his paſtoribus. Proponebantur eis nouæ
Comitiorum decreta, & iubebantur iureiu-
rando affirmare; Regem Eccleſiæ ſupremum
eſſe caput. Cùm illi nonnulla exciperent, &
legis diuinæ mentionem facerent; *Nullam* (in-
quit Cromuelus) *exceptionem admittam; ſiue*
lex diuina permittat ſiue non, vos integrè, plenè
& categoricè hæc affirmabitis. tũ illi; at Eccleſia
Catholica iſtud hactenus (quod ſcimus) non
docuit. *Non curo Eccleſiam,* reſpondit Crom-
uelus; *vultis conſentire, an non?* Non audemus,
inquiunt Martyres, ne dum Regi placere volu-
mus, Deum offendamus. Quo audito, res duo-
decim viris commiſſa eſt, ſecundum regni con-
ſuetudinem, vt iudicium ferrent. Illi verò cũ
nihil quicquam morte dignum inuenirent, nec
tamen eos abſoluere propter iram Regis aude-
rent; tempus extrahebant, quouſq; Cromue-
lus, Regis nomine mortem ipſis certiſsimam
denunciaret, niſi ſtatim illos condemnarent,
quod de poſtero fecerunt. Atque ad hanc iudi-
cij formam, reliqui deinceps omnes, qui hac
de cauſa in quæſtionem venerunt, comdem-
dabantur. Sententia autem accepta, educeban-
tur

Quinque Martyres. An. 1535.

Forma iudicij contra martyres.

Religioſi in ſuo habitu ſuſpenſi.

tur ad patibulum, eodem habitu quo in monasterijs vtebantur; nec enim Henricus tantum religioni tribuendum existimauit, vt ex legum Ecclesiasticarum præscripto, vel gradu, vel habitu, ante supplicium priuandos curaret.

Auxit beatum numerum eodem ipso die, Reginaldus Doctor, Brigittensis Monachus ex Abbatia Sion Theologus insignis, Græcarumque & Hebraicarum literarum. quod illis temporibus paucorum erat, peritissimus. Qui vt sæpè anteà populum difertissimis concionibus, sic tùm exemplo & patientia sua erudiuit. Is vbi se condemnatum ad mortem audiuit, nec quicquam loqui permissum, nisi vt consentiat vel non consentiat Comitiorum decreto: *hoc est* (inquit) *verè iudicium mundi*, nec aliud locutus, rogauit iudices vt tridui spacium ei concederent, quo se ad mortem pararet: cui cùm illi non annuerent, sed dicerent, illud esse positum in sola Regis voluntate: attamen *Credo* (inquit) *videre bona domini, in terra viuentium*. Idem ad supplicium productus, populum hortabatur vt pro Rege preces assiduas ad Deum funderent; ne, qui *Salomonem* initio regni sui sapientia & pietate repræsentauerat, vnà cum illo, in fine vitæ per mulieres seductus degeneraret. Ac quinto demùm loco Ioannes Hailus presbyter sæcularis, ac pastor zelo plenus; idem supernæ vocationis brauium, quia legitimè certasset, accepit. Passi sunt omnes eodem loco, extra ciuitatem Londinensem quarto nonas Maij.

Reginaldi Monachi martyrium.

Hailus presbyter.

Atque hoc quidem terrore existimauerat Henri-

Henrici nequitia.

Henricus, cùm cæteros pleroſque, tùm maximè Carthuſianos Londinenſes, à ſua conſtantia dimoueri poſſe; ad eum enim finem, & Prioris Londinenſis occiſi membra, vt à reliquis cernerentur, in ipſa Monaſterij ianua affigi iuſſerat; & viros duos ſæculares cœnobio, præfecerat, qui tanquam ſuperiores, partim blandicijs, partim minis, iuniores monachos deprauarent. Sed cum iſti non proficerent, dicerentque, ſeniorum quorundam Religioſorum exemplo iuuentutem impediri, ne Regis voluntati conſentiret; Rex illos affligendos ac tollendos cenſuit. Vnde ad decimum quartum diem Calendas Iulias, alij tres Carthuſiani Sacerdotes, Vmfridus Midelmorus, Gulielmus Exmeus, & Sebaſtianus Nudegatus, cùm priùs per dies quatuordecim continuos erecti ſtare coacti eſſent, iniectis ad collum, ad brachia, ad crura, circulis ferreis, ita vt ob nullam omninò cauſam loco vnquàm dimouerentur, illuſtre fidei teſtimonium dederunt. Vimineis enim cratibus iniecti, & per plateas Londinenſes vſque ad vltimi ſupplicij locum pertracti, poſtquàm laqueo ad breue tempus ſuſpenſi fuiſſent, mox viui demittebantur; tum autem carnifex pudendis præciſis & flammæ traditis, pectus & præcordia gladio aperuit, viſceraque euulſa, in propoſitum ignem coniecit; demum capite abſciſſo, reliquum corpus in quatuor partes diſſecuit, illaſque partes elixas varijs in locis à populo ſpectandas ſuſpendit. Cùm Ioanne autem Roceſtrio & Iacobo Valuero (ipſis quoque Carthuſianis) tam gratioſè diſpenſatum eſt, vt ſimplici ſuſpendio in ciuitate Eboracenſi,

Anno 1535. Martyres alij Carthuſiani quinque.

Crudele mortis genus.

racensi, quinto idus Maij ad cælum commigrarent.

Sed cùm ne hac quidem ratione Henricus voti sui compos fieret, decem adhuc alios in teterrimum carcerem conijciendos curauit; tantaque sæuitia inter ipsos latrones tractari iussit, vt non multò post vniuersi, vnico superstite, fœtore & fame extincti fuerint; quod cũ ad Cromuelum perlatum esset, indoluit homo crudelis, quod sic euasissent carnificinam quam ne ipsis cogitauerat, magnoque iuramẽto affirmauit, illud sibi contigisse ingratissimum, quod tã facili mortis genere perijssent. Ij autem erant, Richardus Berus, Thomas Grenæus, Ioannes Dauis, Thomas Ionsonus, Gulielmus Grenuodus, Thomas Scriuanus, Robertus Salteus, Gualtherus Pesonus & Thomas Redingus, professi omnes Carthusiani ordinis. Decimus verò, Gulielmus Hornus, qui ex sancto illo numero superfuerat, Regis iussu ad patibulum pertractus, pridie nonas Augusti eodem genere mortis, quo primi, certamen absoluit. Ac de Carthusianis quidem hactenus quanquàm enim non omnes eodem die vitam finierint, tamen quos eadem fides & religio coniunxit, visum est oratione mea non debere separari.

Martyres alij Carthusiani decem.

De Franciscanis, suus erit postea dicendi locus, nã quamuis Henricus, vt antea monuimus, non paucos huius instituti religiosos comprehensos teneret; varijsque molestijs ac calamitatibus affligeret: tamen post illos duos quos supra cum Bartona moniali occisos retulimus, nullum alium adhuc publicè necandum curauit:

De fratribus Franciscanis.

uit: cuius rei causam fuisse asserunt; vel quòd nihil amplius lucri ex eorum morte speran potuerit, cum antea ex monasterijs omnibu eos eiecisset; vel quòd * Thomas Vrislæus ma gnæ apud Regem authoritatis, (quem etiam postea Cancellarium fecit,) pro Franciscanis quos præcipuè amabat, magno conatu interce deret; spem faciens eorum nonnullos poss fortassis adduci tempore, vt Regis voluntati se accommodarent.

**Thomas Vrisleus, postea sub Edouardo Rege Comes Suthantoniæ factus.*

Adhuc in custodijs tenebantur Ioannes Ros fensis, & Thomas Morus, totius Angliæ duo splendidissima lumina, in quos omnium ocu li coniecti, mentesque erectæ fuerunt. Non la tuit hoc Henricum, tantoque magis cupieba eos ad suas partes allicere, ac præcipuè Thom Morum, qui quòd laicus esset laicis (quo Re amabat & timebat magis) gratiosior fuit, ma ximè quòd talem laicum Anglia multis sæcu lis non peperisset.

Roffensis & Morus in carcere.

Natus fuit Londini honestissimo loco, græc ac latinè excellenter doctus, in republica per annos penè quadraginta versatus, legationibus honorificis perfunctus, summis honoribus summa cum laude potitus; nec vnquam tamen cùm quas ordine vxores duxisset, pluresque li beros genuisset, de augenda re familiari solli citus fuit, adeò vt ad patrimonium suum à ma ioribus acceptum, nec centum quidem aureo rum annuos census adiecerit.

Thomæ Mori patria institutio,

Ardens studium eius fuit, vt tàm religioné, quàm iustitiam in republica tueretur; præci puè verò, vt scriptis & authoritate sua hæreti cos, quantum posset, arceret, qui tùm primùm

Mori studiũ contra fures & hæreticos.

è Ger-

è Germania in Angliam irrepere, libriſque peſtilentiſſimis regnum illud inficere conabantur: quibus Morus præ cęteris omnibus in magiſtratu conſtitutis, diligentiſſimè ſe opponebat: & inde, vt viris bonis ac catholicis maximè omnium dilectus; ſic furibus, homicidis, & hæreticis ſupra modum fuit exoſus.

Mundus Moro carcer.

Dum Magiſtratu boniſq; omnibus exutus in carcere vtueret, non vllum doloris aut triſtitiæ ſignum dabat; ſed, vt erat ingenio facetiſsimo ſummæque conſtantiæ, mira quadam ſuauitate, cùm ſe, tùm alios ad eum venientes, recreabat. Solebat verò inter cætera dicere, vniuerſum mundum in quem homines ex paradiſo eiecti ob peccatum deturbantur, nihil aliud eſt quàm carcerem, ex quo omnes ad cauſam dicendam, ſuis ſinguli diebus euocarentur: quòd autem ſuus carcer aliorum principum carcere minor fuiſſet, id ſe beneficij loco habere, ideoque acceptum ferre, cùm è malis pluribus minimum ſit ſemper eligendum.

Roffenſis Cardinalis Mors deſignatur.

Ad hunc virum Henricus cùm multos ex optimatibus ſuis fruſtra miſiſſet, incertus animi quid magis ſibi expediret; vtrum vt viuere pateretur tàm illuſtrem ſui adulterij hoſtem, an ob extinctum orbis Chriſtiani tàm clarum lumen, tantam infamiæ notam ſubiret; tandem conſtituit Roffenſem Epiſcopum (quem iam in carcere iacentem, in Cardinalium Collegium à Paulo Papa Tertio adſcriptum acceperat, & cuius conſtantiam ne ſperabat quidē aliquando frangi poſſe) è medio priùs tollere, periculum facturus an Morum fortè poſtea de ſententia poſſet deducere.

Ad deci-

Ad decimum igitur Calendas Iulias, Ioannes Fisherus Episcopus Roffensis, quo nihil a

Roffensis ad tribunal ducitur.

doctius aut sanctius Anglia protulit, penè ia decrepitæ ætatis, ad iudicium primò; deind

Anno, 1535.

quòd Henrici Primatum Ecclesiasticum noll confiteri, ad mortem producitur: qui simul scenam, in qua glorioſum certamen consu maturus erat, è longo conspexisset, abiect quo senex nixus est baculo; *Eia*, inquit, *pedes officium facite, parum itineris iam restat.* Consti tutus autem in loco Martyrij, subleuatis cælum oculis, *Te Deum* (inquit) *laudamus,* *Dominum confitemur.* Quem hymnum vbi to

Roffensis martyrium.

absoluisset, ceruices securi subiecit anim Deo reddidit, iustitiæ coronam accepit. cap hastili affixum, & in Ponte Londinensi omn oculis expositum, quò diutiùs ibi suspensu manebat eò magis floruisse, ac venerabili factum esse dicitur, ob quam causam loco motum traditur.

Hoc homine, nullum, nonmodo Britanniæ sed nec orbis forsitã Christianus, tunc sanctio rẽ, doctiorem; aut vigilantiorem præsulem

Roffensis authoritas ac merita in Rempublicã

habuit. Omnium enim virtutum gloria, etiam Henrici septimi temporibus, ita celebris ex titit, vt serenissimæ principi Margaretæ, Hen rici matri, diutissimè à confilijs & confessio nibus fuerit, eidemque author, vt duo ampli sima Collegia in Academia Cantabrigensi (cu ius vniuersitatis postea Cancellarius etiam fu it) conderet; Lectiones quoque Theologicas duas; alteram Cantabrigiæ, Oxonij alteram, in perpetuum vt institueret. Huius etiam viri imprimis cura, in vniuersitates Angliæ asciti

sunt

sunt sacræ Theologiæ & linguarum Professores nostris temporibus peritissimi; adeò vt eius beneficio permulti in Anglia exquisitam deinde sacræ scientiæ cognitionem sint consecuti.

Ab eodem Henrico septimo, nullius cuiusquam interposito fauore aut gratia, sed commendantibus eum sua sola incomparabili doctrina, & vitæ innocentia, ad Episcopatũ Roffensem euectus est, ex quo postea (quod beneficium tenuiùs quàm pro viri tanti meritis videretur) cùm Henricus octauus, ad amplius promouere voluisset, nunquam adduci potuit, vt sponsam suam, tenuiorem quidem illam, sed Dei vocatione primam, & à se multorum annorum laboribus vtcunque cultam, pro locupletiori quacunque dimitteret: illud adijciens, se per beatum futurum, si de hoc saltem minuto concredito sibi grege, deque non adeò indè magnis acceptis emolumentis, in die Domini rectè respondere possit, cùm & de benè curatis animis, & de rectè expensis pecunijs tunc reddenda sit ratio exactior, quàm mortales ferè putent aut curent; in quo genere, quò quisque pauciores sibi commissos vel homines vel nummos haberet, eo futuros in altero sæculo securiores dicebat, seque facile sentire ex hoc tantilli pastoratus pondere, quantum futurum esse maioris muneris onus.

Roffensis locupletiorem Episcopatũ admittere noluit.

Henricus autem octauus, qui antea Roffensem præ cæteris mortalibus (vt ipse sæpe professus est) amauerat ac coluerat, postea datus in reprobum sensum, cùm intellexisset illum iam in vinculis renunciatum esse Cardinalem,

Roffensis exanimatur de Cardinalitia dignitate.

mandauit iudicibus, sanctissimum virum vt interrogarẽt, an id ipse procurasset, vel saltem resciuisset: Cui respondit, se nunquam eum honorem vel alium quemcunq; in reliqua vita appetijsse, multoque minus hanc dignitatem in decrepita ætate, in vinculis, ac in ipsis mortis foribus expectasse: ita erat homo ab omni ambitione ac rerum humanarum admiratione alienus. Idem fuisse dicitur & author & adiutor Henrico, librum illum nominatissimum, de septem sacramentis contra Lutherum edendi quem quoque postea oppugnatum eruditissimè defendit. Scripsit quoque ipse omnium illius temporis iudicio, contra Lutherum & Oecolampadium, cæterasque pestes, doctissimè Sacerdotium, Sacraficium, Sacramenta, Hierarchiã Ecclesiæ omnesq; religionis partes incredibili luce & methodo contra hæreticos, tam libris, quàm concionibus defendens.

Roffensis scripta.

Opera Roffensis in Episcopatu.

Rexit Roffensem Ecclesiam triginta tribus annis, eamque sanctissimis institutis, vitæque suæ in continuis vigilijs, laboribus, ieiunijs, eleemosynis, omnibusque Episcopo dignis operibus transactæ memoralibus exemplis, ita ornauit; vt tanquam virum Dei, eum omnes vbique amarent & susciperent. Charitate vero Episcopali ac planè Apostolica ita ardebat, vt & sæpè alias, & maximè in celebrioribus ieiunijs, ac singulis ferè sextis ferijs, ipse non solum carceres & publica Xenodochia visitaret, sed omnium in ciuitate sua pauperum, ægrotorum, ac quouismodo afflictorum priuatas ædes circuiret, consilioque consolatione, ac copiosa pecunia, vbi opus esset singulos subleua-

ret.

ret. In quibus officijs, & in peregrinos, præfertim verò literatos, hoſpitalitate ſua, omnia lubentiſſimè expendit.

Cùm eſſet Regio mandato primùm apprehenſus & in carcerem ducendus, ſatellites mox in omnem ſupellectilem inuolantes, in pecuniam quoque, quam putabant hominem ſenem & longæuum Epiſcopum copioſam recondidiſſe, inquirunt diligentiùs; cumque omnes loculos, arcaſque cæteras curiosè luſtraſſent, nec quicquam nummorum inueniſſent; tandem incidunt in ciſtam ferreis laminis benè munitam, varijſque ſeris ac peſſulis ſeptam, quam magna ſpe & auiditate perfringunt; ibique cilicium, ac flagellum, ac cætera diſciplinæ inſtrumenta, tantummodò reperiunt, quibus vir Dei ſolebat corpus ſuum, alioquin ſenio ac laboribus ſatis confectum caſtigare, cum aliquot nummulis, quos ſemper poſt pœnitentiam factam, ſolebat pauperibus erogare; ita expectatione ac præda fruſtrati, cum magno pudore ac admiratione abierunt.

Quid apud Roffenſem comprehenſum ſit repertum.

Vixit his grandæus confeſſor, difficillimo in carcere, viribus etiam omnibus ſenio & ſollicitudinibus penè iam exhauſtis, additis præterea voluntarijs & aſſuetis cogitationibus corporis ſui, ſupra omnem expectationem, ac ſanè non ſine miraculo, quindecim totos menſes, cõſeruatus à Deo; vt tam glorioſo martyrio, tamque ſancti ſanguinis effuſione, Romanę Sedis prærogatiuam cõtra iniqui Regis tyrannidem propugnaret.

Ætas Roffenſis decrepita.

De illo die quo Roffenſis ad mortem duce-

cebatur, Morus, (quod tamen Rex vetuerat) certior factus. Cùm vehementer timeret, ne fortè ipsi martyrij corona excideret, ad Deum conuersus. *Confiteor* (inquit) *tibi domine, quod tantam gloriam non sum meritus; non sum ego iustus & sanctus sicut Roffensis tuus, quem de vniuerso regno isto tibi secundùm cor tuum elegisti sed tamen si fieri potest, particeps fiam dominicalicis tui.* Hæc & alia his similia cùm lachrymās diceret, nec vultu (quem alioqui placidissimum habebat) dolorem dissimulare nō posset, putabant enim filij huius seculi mortem timere, & ideò vt Regi obediret, adduci posse. Venerunt ad eum hac de causa multi principes viri, sed cùm nihil proficerent, ad postremum vxori Aloysiæ mandatum est negotium, vt virum suaderet, ne ipsā, ne liberos, ne patriam & vitam, qua diu adhuc frui posset, pro derelicta haberet. Cùm ergò vxor Mori hæc apud eum occineret: Et quàm diu Aloysia mea (inquit Morus) potero hac vita frui? Tum illa, tot viginti annis mi vir, si Deus voluerit. Vis ergo (ait Morus) vt æternitatem viginti annis commutem? Næ tu imperita es mercatrix, mea vxor: nam si annorum viginti millia diceres, aliquid tu quidem diceres; sed tamen ad æternitatem quid essent?

Thom. & Mori certamen.

Aloysia vxor Mori.

Itaque cùm Morus de sententia dimoueri non posset, ablati sunt ei omnes libri tanquam instrumenta quæ illum ab amore sæculi abductum, æternæ vitæ desiderio inflammabant, atramentum quoque & calamos abstulerunt, ne cum vllo in posterum, literarum haberet commercia. Tunc ille fenestris cubiculi perpetuò

Prudens Mori responsum.

claus

clausis, nihil aliud quàm Deo & sanctis meditationibus vacabat. Porrò cùm carceris custos ab eo quæreret, quid ita in tenebris sederet: *quid* (inquit) *facerem? nonne sublatis mercibus, claudenda est officina?* Merces suas dixit libros suos, ac verè quidem officinam in carcere aperuit Morus, in qua proposuit omnia sua venalia, ac pretij loco cœlum acciperet. Scripsit in carcere duos elegantissimos libros, vnum idiomate Anglicano, quem inscripsit, *Desolatio in tribulatione*; alterum latinè, *de passione Christi*. Cumque ad illa Euangelij verba peruenisset, *& iniecerunt manus in Iesum*, in ipsum quoque iniectę sunt manus, nec vltra ei licuit quicquam addere.

Facetum Mori ingenium.

Libri in carcere à Moro scripti.

Postquàm enim quatuordecim ferè menses in carcere fuisset, calendis Iunij, ex arce Londinensi ad tribunal adductus, interrogabatur; quid ei de publica lege videretur, in qua omnis potestas Pontifici Romano abrogata, & summa Ecclesiæ gubernatio Regi concessa esset, quæ lex post Mori apprehensionem constituta erat: respondit, se nescire an vlla esset eiusmodi lex. Audlæo verò Cancellario ac Duce Norfolciæ qui primi in iudicium concessu erant, subinferentibus; At nos tibi denunciamus talem extare legem, & eam suffragijs omnium esse comprobatam; quid ergò tibi de illa videtur? Si me, inquit Morus, pro ciue habuissetis, ego vobis de vestra lege attestantibus credidissem. Nunc autem separastis me à republica vestra, & in carcerem non modò tanquã peregrinum, sed & tanquam hostẽ recluſistis me, igitur huic Reipublicæ mortuũ, quomodo

Mori respõsa de iudicio An. 1535.

Grauiter.

nunc tanquam eius membrum, de Reipublicæ vestræ legibus interrogatis? Iratus Cancellarius, iam inquit dissentire à lege te video, *Acutè.* taceas. Si taceo (inquit) Morus, hoc vobis legi vestræ in lucrum deputabitur; nam quicet consentire videtur. Ergone, inquit ille, assentiris legi? Quomodo, inquit Morus, facere cum nemo assentiatur ei quod ignorat? Deli- *Consilium Mori in responsis.* nato autem consilio, in hunc modum respondit Morus, vt neque fidem negaret, neq; mortis periculo temerè sese offerret. Quanquam enim esset martyrij cupientissimus, tamẽ certò sciens hoc esse donum Dei, dubitans vero (vt sæpe dictabat) vtrum Deus hac eum gratia donaturus esset, nec ne, eam respondendi moderationem quam nunc exposui, tenuit.

Porrò accusabant eum multis verbis, quòd *Alia accusatio & condemnatio Mori.* ex ipso carcere, nonnulla ad Roffensem scripsisset, eumque ad constantiam, contra hoc Comitiorum decretum animasset: quibus, aliisque nonnullis in hanc sententiam obiectis iudex cùm ad duodecim viros, quorum est de capite omnium cognoscere ac interloqui, causam Mori detulisset, illi eum dixerunt reum esse mortis. Tunc Morus vocationis suæ certior & securior, liberè aperuit, quid ei de lege illa videretur. Ego (inquit) per Dei gratiam *Ratiocinatio Mori ad iudices.* semper Catholicus, nec vnquam à Pontificis Romani communione discedens, audiueram aliquando Pont. Romani potestatem legitimam quidem & laudabilẽ, sed tamen humani iuris, non diuinæ præscriptionis fuisse. Itaq; cũ viderem statũ huius regni eò ferri, vt necessariò

inue-

inuestigandum esset, qua ex origine Pontificis Romani potestas dimanaret, toto septẽnio huius rei diligentissimæ indagationi me dedi; & deprehendi potestatem Romani Pontificis, quam vos temerè (vt nihil dicã grauius) abrogastis, non modò legitimam, laudabilem & necessariam; verùm etiam diuini iuris & præscriptionis esse. Hæc mea est sententia, hæc fides, in qua per Dei gratiam moriar.

Vix hæc dixerat, cùm omnes magna voce conclamarunt, proditorem & perduellem esse Morum. Præter cæteros Norfolciæ Dux subintulit: Nunc More, apertè nimis maleuolum tuum animum in maiestatem suam prodis. Cui Morus, non prodo maleuolentiam, sed fidem meam ac veritatem profero: atq; hoc tam sincero in maiestatem suam animo, vt non cupiam omnipotentem Deum, aliter mihi fore propitium, quàm vt ipse fuerim semper Regi meo fidissimus & toto corde beneuolus. Ergonè (inquit Cancellarius) tu vir melior aut sapientior haberi vis, quàm omnes simul Episcopi, Abbates, reliquique Ecclesiastici, quàm tota Nobilitas, quàm cuncti Senatores, quàm Concilium integrum, quàm vniuersum denique regnum? Ad quæ Morus illustrissime Cancellarie, pro vno Episcopo quem vos vestræ opinionis habetis, mihi facilè sunt centum, ijque ex illorum numero, qui inter diuos sunt relati: pro vestra nobilitate, habeo nobiliorẽ confessũ Martyrũ ac cõfessorũ; pro vnico etiã vestro Concilio (quod quale extiterit Deus optimè nouit,) habeo omnia Concilia generalia, annis abhinc mille celebrata: & pro

hoc vno exiguo regno vestro, habeo pro m
Galliam, Hispaniam, Italiam, cæteraque spaci
osissima Christiani orbis imperia. Quibus au
ditis, non existimarũt è re fore, vt plura huius
modi, audiente populo, loqueretur; vnde sen
tentia mortis data, præceptum est vt à tribu
nali abduceretur.

Filia reuertentem Morum à iudicio osculatur.

Reuertenti à iudicio, filia eius Margaret
quam vnicè dilexerat, quàm Græcè ac Latin
docuerat, cui ex carcere multas literas dede
rat, in itinere occurrit, vt vltimum vale patr
suo diceret. Substitit pater, nec filiæ oscul
negauit, quin & benedictionem impertijt. A
fuit Margaretæ, Ioannis Harrisij (qui Thom
Moro à secretis fuerat) vxor. Illa cùm Morum
filia iam osculata discessurum timeret, nec
spacium valedicendi relictum iri, subitò rap
it ad se Thomæ Mori caput, quod iam filiæ h
mero eminebat, & dominum suum magno de
siderio palàm osculata est; cui Morus, inurban
(inquit) sed tamen peramanter factum.

Mori exercitia post condemnationẽ

In carcerem deinde reductus, vsque ad dien
necis, orationi ac contemplationi vacans, va
rijs Dei consolationibus sanctam animam su
am recreauit: pridieque eius diei qui ipsius
morti fuit destinatus, commoditatem scribe
di, & chartam suffuratus, literas paternæ pie
tatis plenissimas, carbone (quia atramentum
& calamos anteà, vt diximus, sustulerant) ad fi
liam exarauit: In quibus post cætera, ista sub
dit. *Ego te, dulcissima Margareta filia, nimium*
destinio, sed spero me post crastinum diem, nemi
ni vnquam futurum molestum, summo etenim
desiderio cras moriendi, & Deum meum videndi
teneor.

Vltima Mori epistola.

teneor: est enim Octaua Principis Apostolorum Petri,& professum sanctissimi Thomæ martyris. (Nonis namque Iulij Translationis S. Thomæ in Anglia celeberrima tũc agebatur festiuitas) *Hic dies*, inquit, *si ita visum sit Christo, mihi apprimè commodus esset.* Id dixit, quia pro Primatus Petri confessione erat oppetenda mors, & Diui Thomæ nomine & patrocinio peculiari, in vita semper sit vsus; qua in re tam pijs votis annuebat Deus.

Pridiè ergò nonas Iulias ad locum supplicij productus, cùm ad imas scalas peruenisset, nec facilem ascensum videret, vnum ex ijs qui in scena constiterant, appellans; Da sodes (inquit) manum vt ascendam, nam ad descensum quod attinet, me mihi relinquas licet. Cùm preces absoluisset, populumque testem quòd in fide Catholica moreretur, inuocasset, ac Psalmum *Miserere mei Deus* percurrisset, accessit ad eum carnifex, & venia de morte petita, caput iustitiæ, veritatis & virtutis amputauit, ingemiscẽte Anglia vniuersa, & non tàm Christi martyrem, quàm seipsam capite truncatam arbitrante.

Margareta Mori filia in sepeliendo patris sedulitas.

Eius diei summo mane, filia Mori Margareta peragrabat sanctas Ecclesias, & eleemosynas pauperibus plena manu distribuebat; iamque omnibus elargitis cùm in templo quodam orationi vacaret, Heu mihi (ait ad ancillam) oblita sum syndonis qua patris corpus inuoluatur. Audierat Roffensis Episcopi cadauer, sine presbyteris, sine cruce, sine lumine, sine linteis proiectum fuisse in humum, nec affuisse qui sanctũ martyrem sepeliret. Neque verò quisquam ei

hoc officium præstare audebat, quòd ab Henrici tyrannide sibi omnes timerent. Quod, ne Patri quoque suo accideret, Margareta cauebat. Consuluit ei ancilla vt de proximo acciperet linteum. Quomodo (inquit) id faciam cùm nihil pecuniæ reliqui habeam? Credent tibi, ait ancila. Quanquam (inquit Margarita) longè à Domo absim, nec his hominibus nota existam, tamen periculum faciam. Accessit itaque ad vicinam tabernam, postulauit quantùm sufficere credidit, cumque de precio conueniisset, manum veluti quærendæ pecuniæ causæ, in perulam misit, eo animo, vt diceret, præter spem sibi euenisse, quò minùs adesset pecuniæ: sed si crederetur sibi, se quàm primùm id quod conuenerat redditurum. Ecce autem, cùm certò ei constaret nihil omnino paulò ante reliquum fuisse; tamen iàm in pera, iustum syndonis precium reperit, nec vnteruncio plus minusue, quàm eo tempore pacto persolui oportebat. Miraculo confirmata, linteum accepit, patris cadauer inuoluit, & quia fœminam ac præsertim filiam, nemo ab officio pio repulerat, Christi Martyrem honestè sepeliuit.

Miraculum.

Clementis VII. mors & Pauli III. electio.

Præsidebat Christi Ecclesiæ hoc ipso tempore Paulus Papa Tertius, ex nobilissima Farnesiorum familia, non multò ante ad Pontificatum assumptus, (Nam Clemens Septimus ita morte obierat,) qui cùm vir magni animi, summæque prudentiæ esset, nec minoris zeli pro domo Domini; auditis Henrici Regis sceleribus, & quòd Roffensem Morumque in carcerem coniecisset; indoluerat sane vehemen-

ter

cer, & quo Regem retraheret ab vlteriori furore, Roffensem ipsum in carcere constitutũ, ob egregias virtutes ac singularia in Ecclesiam merita, Cardinalem creauerat. Nunc autem cùm ad aures eius perlatum esset, Henricum tàm Roffensem ipsum, quàm Morum aliosque multos, ob veritatis ac conscientiæ confessionem occidisse, nec Clementis septimi frequentibus literis, nuncijs, adhortationibus, iussis aut comminationibus quicquã ab insania reuocari potuisse: re multum diuque deliberata, Deoque per sacrificia precesque commendata, tandem statuit seuerius aliquantulum cum eo agere; vnde ad tertium calendas Septembris Pontificatus sui Anno Primo, Bullam edidit contra eundem Henricum cuius hæc erat inscriptio.

Roffensis Cardinalis.

Henrici excommunicatio Anno Domini 1535 Regni 27.

Bulla Pauli, diuina prouidentia Papæ Tertij, citatoria Regis Angliæ Henrici & Sequacium, sub pœna excommunicationis, & priuationis Regni, ac omnium aliorum bonorum sub nonnullis alijs grauioribus censuris.

IN hac, Pontifex commemoratis priùs (vt fit) imposita sibi à Christo omnium Ecclesiarum & animarum suprema cura ac sollicitudine, & in cunctas gentes Apostolica concessa potestate, suoque in Henricum (propter varia ipsius in Ecclesiam officia, & contra hæreticos doctissimè scriptum atque à sede Apostolica reprobatum librum) antiquo amore; ad se non sine summo animi sui dolore delatum esse dicit, eundem Henricum prioris in DEVM & Ecclesiam pietatis honorisque ac salutis propriæ immemorem, nobilissimã

Summa breuis totius Bullæ.

ac le-

ac lectissimam fœminam Catharinam coniugem suam legitimam, post multorum annorum cohabitationem, & prolem pluries ex ea susceptam, contra ius diuinum & Ecclesiæ prohibitionem, indignissimè dimisisse, & eadem adhuc coniuge sua viuente, cum quadam Anna Bolena muliere Anglica, matrimonium de facto contraxisse, atque ad deteriora deinde Prolapsum, impias atque hæreticas leges contra Romani Pontificis Primatum tulisse, sibique ipsis capitis Ecclesiæ per ditiones suas inaudita nouitate titulum arrogasse, suosque subditos ad hæc impia facta & decreta sua approbanda coëgisse; atque id facere recusantes tam laicos & sæculares, quàm Religiosos omnium ordinum, adeoque sanctissimum D. Roffensem Episcopum, Cardinalitia etiam dignitate fulgentem, carceribus ac miserabili morte mulctasse, ipsumque propterea in anathematis, & cæterarum Ecclesiasticarum censurarum pœnas grauissimas, etiam secundùm antiquiores canones, damnabiliter incurrisse, omnique regnandi iure excidisse: atque tandem, ex contemptis postea prædecessoris sui Clementis suprimi paternis admonitionibus, mandatis, comminationibus, ac definitiua etiam pro Catharinæ, cum ipso legitimis nuptijs, proque Anna expellenda, iuridicè prolata sententia, in excommunicatione (obduratione planè Pharaonica) diu iam ita insorduisse, vt nulla penè de ipsius resipiscentia spes videatur esse reliqua: se tamen pro paterna eius in Regem propensione, diu distulisse, & nunc non nisi inuitum, suauissimo etiã modo ad

Scelera nefanda Henrici.

Causæ iustissimæ Pontificem monentes.

do ad eius castigationem tandem processisse.

In hanc sententiam præfatus Pontifex, iterũ atque iterùm per viscera misericordiæ Dei hortatur & obtestatur; primùm Regem ipsum vt ad cor redeat à prædictis sceleribus & erroribus resipiscat, iniquas leges abroget; suos ad impietatem comprobandam non cogat, ab incarceratione innocentium abstineat. 1 *Rogat & hortatur Regem.*

Deinde Regios in his malis fautores, consultores, ac complices, grauissimè monet; ne in posterum, auxilium, consilium, aut assistẽtiam Henrico præbeant. 2 *Monet complices.*

Sin autem vel Rex vel complices ipsius monitis salutaribus obtemperare contempserint; vtrisq; sub pœna excõmunicationis latæ sententiæ mandat, & Regi quidem sub pœna etiã perditionis Regni & depositionis, vt per se vel per legitimũ procuratorẽ inter nonaginta dies; cæteris, vt personaliter inter sexaginta, coram sua Sanctitate ad tribunal Romanum cõpareant, vt de ipsorum causis & excessibus, legitimo iudicio decernatur. 3 *Tam Rex quam complices citantur.*

Sin verò comparere contempserint, & animo obstinato sustinuerint præfixum dierum terminum elabi: Censuras omnes priùs incursas in contemptores aggrauat, & successiuè re aggrauat: Henricum prædictum Regno ac Dominijs omnibus priuatum esse, eundemque, ac omnes fautores præfatos, pœnas omnes legibus præscriptas incurrisse, ac cum bonis omnibus diffidatos, atque sepultura Christiana priuatos esse iubet ac decernit. 4 *Rex si non obediat regno priuatur.*

Omnia loca ad quæ Rex venerit aut sui, sub interdicto ponit, sub grauissimis pœnis prohibens 5 *Interdictio regni.*

hibens ne in vlla Ecclesia, Monasterio, alio ue loco qui Henrici subest imperio, officia diuina, sacrificia, aut sacramenta (præterquam in casibus iure permissis) fiant, aut celebrétur

6 *Sobolem illegitimam facit infamem.*

Omnem Henrici ex prædicta Anna Bolen sobolem fautorumque suorum liberos ian natos aut nascituros, vsque ad eum gradum a quem iura huiusmodi pœnas extendunt, omnibus possessionibus, dominijs, libertatibu priuilegijs, honoribus, officijs, bonis mobilibus ac immobilibus, quouis modo obtenti priuat, ac infames esse decernit.

7 *Prohibet obedientiam subditorum.*

Omnes quoque Henrici vasallos & subditos, tùm ab ipsius obedientia ac illi præstit iuramento absoluit, tùm etiã ne in vlla re de inceps obediant, mandat.

8 *Prohibet cõmertium cũ Anglis.*

Cunctis fidelibus sub pœna excommunica tionis interdicit, ne vllum cum Henrico, au cum hominibus, Ciuitatibus, Prouincijs, & locis ipsi Henrico parentibus, commertium in mercatura, aut in cætera vita communion habeant; omnesque cum illis contractus facto aut faciendos irritos facit.

9 *Ecclesiasticis regno exeundum.*

Prælatis ac personis Ecclesiasticis mandat, vt Regno Angliæ alijsque locis qui Henrico subsunt, quàm primùm possint, exeant.

10 *Nobilitati præcipitur vt insurgat.*

Principibus viris ac Ducibus Angliæ, cæteraq; nobilitati præcepit, vt vi ac armis se Henrico opponant, illumque è Regni finibus ejicere nitantur.

11 *Fœdera principum cum Henrico dissoluit.*

Cæterorum Regum & Principum cum Henrico confœderationes, contractus, pacta & cõuenta omnia quouis modo stabilita; irrita omninò facit & nulla: Eosdemque vt Henricum

ac cæ-

ac cæteros Eccleſiæ rebelles ſacris armis perſequantur, donec ſe Sedi Apoſtolicæ ſubmiſerint, errorisque agnouerint, in Domino hortatur.

12 *Traduntur ſequaces in ſeruitutem.*

Vt prædictæ perſonæ rebelles & infideles, Henrici ſequaces, vbicunque terrarum apprehendi ac intercipi poſsint, in ſeruos ipſi, & omnia ipſorum bona capientibus, cedent.

3 *In omnibus eccleſiis denũciandi. In impedientes.*

Prælatis omnibus mandatur, vt dictum Hẽricum & ſuos complices, in ſuis Eccleſiis publicè excommunicatos denuncient.

Omnes denique excommunicat qui huius Apoſtolici contra Henricum ſcripti præſentẽ publicationem ſiue executionem poſteà, cùm aſsignatum tempus completum fuerit quouis modo impediuerint.

15 *Quibus in locis publicari hæc Bulla debet.*

Atque ne Henricus ac ſui, ignorantiam vllam prætendant earum rerum, quæ in his literis continentur, decernit, vt vicinioribus Angliæ locis, præſertim Tornaci, Brugis, Dũkirki, quæ Belgij ciuitates ſunt, & Eccleſiarũ primariarum vallis affigantur, & in ijſdem Eccleſijs publicè recitentur.

Quare huius ſententiæ executio dilata.

Euulgatis his Pontificis literis, dum tẽpus in eisdem Henrico aſsignatum, quo vel delicta emendaret, vel Romæ cauſam diceret, expectaretur; acciderunt in Anglia eiuſmodi rerũ mutationes, & inexpectatæ varietates, vt tàm Papæ quàm cæterorum omnium principum animos, ad nouas ſpes de Henrici emendatione erigerent; quo etiam factum eſt, vt Pontifex, partim ſua ſponte; partim etiam multorum Principum rogatu, ab exequenda hac ſua ſententia, ad nonnullos annos ſe cohibuerit, plurima-

rimaque paternæ charitatis ac beneuolent
officia in Henricum exercuerit, licet frustr
Ille enim à Deo derelictus, quotidie labebat
in peiora consilia; quorum primum, post occ
sos Dei sanctos, hoc fuit, vt Monasteriorumb
na ad se raperet: cui nequissimæ cupiditati
prætextum quæreret, suggesserunt ei Diabo
ministri multa reperiri in monasterijs scand
dala, dissolutissimos esse mores, factiones pl
rimas, quibus Rex ad suum commodum v
posset, si ingeniosum aliquem ac prudente
virum, visitandi causa, ad illa dirigat: qui v
Monachos ad Regis sententiam blanditijs m
nisue pertrahat; vel commissis inter se par
bus peccata omnium sic propalet, vt sua maj
stas non nisi iustissimis de causis, eorum bo
inuadere videretur.

Visitatio Monasteriorum.

Placuit Regi nequam, consilium impiu
mense que Octobris dixit se velle tanqua
summum caput Ecclesiæ, sacra monasteria
sitare. Leum igitur quendam iuris ciuilis pr
fessorem, ac neque sacris ordinibus initiatu
ad inquirendum in monachorum & sacrar
virginum vitam ac mores misit. Cuius visi
tionis hæ fuerunt leges: primum vt omniu
peccata ediscceret; deinde, vt qui minor vigi
ti quatuor annis fuisset, è monasterio exire,
ad seculum reuerti cogeretur; qui verò maj
esset, non cogeretur quidem, sed tamen ex
si vellet, impunè posset. Exeuntibus autem,
co religiosi habitus, togam sacerdotalẽ & a
reos ferè octo Abbas daret; virgines verò sac
vt secularium fœminarum more vestirentu
Denique omnes omnium ordinum viri ac m
liere

Sacrilegium Henrici.

lieres, pretiosissima quæque Ecclesiarum ornamenta & sanctorum reliquias Regis quæstoribus traderẽt. Leus ergo vt iste commissum sibi officiũ rectè obiret, virgines sacras ad incestũ sollicitabat, nec de alia libentiùs vnquam aut inquirebat aut loquebatur, quàm de stupro aut rebus Venereis. Ea verè mente visitatio hæc instituta est, vt Rex omnem euertendi Monasteria, quorum bonis inhiabat, occasionem captaret.

Itaque pridie Nonas Februarij, criminibus Relrgiosorum partim detectis, partim confictis, obtinuit in publicis Regni comitijs, vt minora quæque monasteria, quorum annui census non nisi ad septingentos ferè aureos æstimabantur, libidini suæ dederentur. Initium fecit à minoribus, tanquàm Reipublicæ minùs necessarijs, & in quibus (vt aiebat) propter exiguum Religiosorum numerum, disciplina minùs commodè obseruari poterat: re autem vera, vt minori cum inuidia ac difficultate ad maiora deinde transiret, & vt Abbates cœnobiorum opulentiorum quorum suffragia in comitijs non nihil poterant, eò segnius voluntati eius obstarent, quo minus periculirebus suis imminere existimarent.

Minora monasteria ab Henrico inuadũtur. An. 1535.

Oppressit hoc primo impetu Henricus monasteria trecenta septuaginta sex: ex quorum spolijs, cesserunt in Fiscum Regium, annui census ad centum plus minus & viginti millia aureorum; in suppellectili verò bonisque mobilibus ad quadraginta ferè millia, prẽter ea quę ministri Regij sibi quiq; rapuerãt. Religiosorũ autem vtriusque sexus plusquam decem millia

Monasteria primo loco diruta.

ad sæculum redierunt: ex quo conijci potest, quid triennio post acciderit, cùm vniuersa simul Monasteria totius regni euertit.

Val de notandum.

Illud etiam nõ minus est memorabile, quòd statim post has primas Monasteriorum rapinas tam vehementer Henricus egere cæperit, vt octauo deinde mense nonnullas prouincias, ad arma vsque compulerit, ob grauissimas nouorum tributorum exactiones; sed multò magis id ei postea contigit, cùm vniuersorum cœnobiorum bona rapuisset, vt suo loco dicetur.

Catharinæ afflictiones.

Viuebat hoc tempore summis afflicta calamitatib⁹ sereniſſima sanctissimaq; Regina Catharina; quæ præter ingẽtes dolores, quos indies ex impijs Hẽrici factis, quẽ vnicè dilexit, hauriebat. affligebatur etiam ab Anna æmula, qui frequentes exploratores ad eam mittebat, vt aliquid saltem molestię inferrent; sed imprimis cruciabatur ex illa barbara & inhumana sæuitia, qua vtebantur ministri Regij, in venerabilem senem Ioannem Forestum, ordinis sancti Francisci quem supra fuisse Reginæ à confessionibus, eiusque causa primum in carcerem cõiectum, diximus. Nunc autem post duorum annorum durissimam captiuitatem qua inter latrones vir sanctus iacuerat, plurimosque cruciatus perpessus fuerat, cùm Regina audiuisset

Ioannes Forestus.

sententiam hanc in eum latam esse, vt simul suspenderetur ac combureretur viuus; patrem suum ex animo commiserata, continere se non potuit, quin ad eũ scriberet, quamuis illud nõ nisi magno suo periculo faceret; misit ergo ad carcerem Londinensem qui Noua Porta dicitur, literas, in hæc verba.

Exempla

Exempla literarum Reginæ ad Reuerendum Patrem Ioannem Foreſtum.

Mi venerande Pater: qui dubijs aliorum caſibus conſilio adeſſe conſueuiſti, ignorare non potes, quid tibi nunc conueniat, ad certamen pro Chriſti cauſa vocato. Si paucas has breues q̃ tormentorum pœnas, quæ tibi decretæ ſunt, pertuleris; æternam (vt ſcis) mercedem es recepturus: quam qui propter vllam vitæ huius præſentis tribulationem amittere voluerit, eum ego omni ratione deſtitutum arbitrarer. Sed ô te felicem Patrem meum, cui Deus dedit, vt præ multis ipſe mortalibus hoc cognoſcas, & vt ſanctiſſimæ vitæ ac laborum tuorum curſum haud aliter, quàm his pro Chriſto vinculis, tormentis ac crudeliſſima morte conſummares: Et ô me miſeram filiam tuam, quæ hoc tempore mœroris & ſolitudinis meæ, tali monitore ac tam adamato in viſceribus Chriſti patre, ſum priuanda. Atque ſanè ſi liceat mihi in hac re, quid ardentiſſimè cupiam, tuæ charitati (cui arcana cordis ac conſcientiæ meæ omnia, hactenus vt debui ſemper reuelaui) liberè confiteri: fateor me ſummo, vel tecum vel ante te moriendi deſiderio flagrare; atque id quidem, modò diuinæ voluntati, cui omnia vota vitam q̃ meam lubens ſemper ſubijcio, nõ repugnaret, maximis quibus q̃ tormentis comparare: ita mihi non libet hoc infælici mundo gaudere, ijs ſublatis quibus dignus non eſt mundus.

Catharinæ prudentia.

Martyrij deſiderium in Catharina.

Sed tanquàm vna ex inſipientibus mulieribus forſan loquuta ſum. Quia igitur DEVS *ita videtur diſpoſuiſſe; præeas potiùs (mi Pater) fœliciter ac fortiter, precibus q̃ tuis apud*

Christum contende, vt per hoc ipsum, licet difficil
iter, ego te citò & intrepidè sequar; & interim
tuorum sanctorum laborum, suppliciorum, ac ce
taminum particeps esse queam, hoc vt postrem
tuam in hac vita benedictionem habebo: post ce
tamen autem tuum & coronam, è cælo vberio
à te gratias expectabo. Nunc verò ad illam i
mortalem mercedem, præ omnibus omninò exp
tendam, & per quascunque pœnas interpos
capessendam, vt te, tanta generis nobilitate, t
excellenti diuinarum rerum cognitione, & qu
primum est, tàm sanctæ Religionis ac Profess
Franciscanæ à puero institutione, horter, supe
uacaneum iudico: tamen, quia hoc est summ
à Deo datum hominibus bonum, vt pro ipso p
antur, à sua diuina Maiestate continuis precib
lachrymis, ac pœnitentijs postulabo, vt fœlici
cursum consummes, & ad immarcessibilē vitu
terna coronam pernenias. Vale (mi venera
Pater) meiq; in terra & in cœlo semper apud D
um memor esto.

Catharinæ humilitas ac pietas.

Filia tua mœroris pleniss. Catharin

Hanc epistolam religiosus confessor summ
cum animi lætitia accepit; & nactus chartam
ac aliquam scribendi commoditatem, in ha
ferè verba ex carcere respondit.

Serenissima Domina Regina, filia mea in visc
ribus Christi longè charissima, Thomas minist
vester mihi literas tuæ serenitatis tradidit; ea
hac continua depositionis corporis mei expectat
one & tristitia, non solùm incredibilem mihi l
titiam ac consolationem attulerunt, sed me e
iam ad patientiam & constantiam mirificè ex
citarunt. licet enim ipse facilè videam, non mod
morta

Reuerendi Patris Foresti ad Reginam responsio.

mortalia omnia bona, sed & miserias ac malæ huius mundi vniuersa, præ futura gloria quæ reuelabitur in nobis, si legitimè certauerimus, nihili computanda: tamen sentio dulcissimæ charitatis tuæ pijssima verba, animam meam vsque ad mortem aliquo modo (vt fit) subtristem, & de sua indignitate ac imbecillitate timidam ac sollicitam, mirum in modùm ad suppliciorum omnium contemptum, ac cœlestium gaudiorum spem & contemplationem erexisse. Christus Iesus reddat bonitati tuæ (Domina & filia super omnes mortales dilectissima) pro hac consolatione, gloriam fœlicitatemq; æternam, teq; vehementer rogo, vt cõtinuis precibus instantem agonem & certamen meum subleues; quod si feceris (sicut certè facies) nec de constantia mea velim dubites, nec de grauibus mihi designatis pœnis sis sollicita: non enim decet hos canos meos istis terriculamentis puerorum in causa Dei moueri; nec virum, qui sexaginta quatuor annis iam vixit, mortem turpiter effugere, nec religiosum quadraginta tribus annis in habitu sancti Francisci discentem & docentem terrena contemnere, non amare, & omni conatu aspirare ad cœlestia. De te verò (filia & Domina mea vnicè in Christo Iesu dilecta) viuus & mortuus cogitabo, Deumq; misericordiæ semper orabo, vt det tibi secundum magnitudinem dolorum tuorum, omnem è cælo gratiam ac solatium. Interim pro me deuotissimo seruo & oratore tuo digneris tùm instantiùs orare, cùm intelliges me in illis horrendis supplicijs mihi præparatis constitutum; mittoq; tuæ pietati Rosarium meum, quòd triduum tantùm vitæ meæ superesse dicatur.

Litera ancillæ Catharinæ ad Foreſtum.

Scripſit quoq; Domina Eliſabetha Hamme
nia, fideliſsima Reginæ ancilla, ad eundem p
trem litteras, quibus eum certiorem redd
de continuis lachrimis & mœrore Domi
ſuæ in quibus, ex intellectis acerbiſsima mo
te, & pœnis intolerabilibus, ad quas vir ſa
ctus cõdemnatus erat verſabatur; eumque o
teſtatur, ſi Reginam velit hac vita diutiùs fru
vt per amicos & mediatores, ſi vllo modo fi
ri poſsit, inueniat aliquem modum euaden
ſupplicium ſibi deſtinatum: fore enim ſine d
bio, vt Regina hoc luctuoſiſsimo caſu, in mo
bum mox inſanabilẽ incidat; eoq; magis, quo
iam cernat Regis furorem eſſe immoderatu
qui die (inquit) Lunæ vltimo elapſo miſi
ædes Sereniſſimæ Dominæ noſtræ ſatelli
ſuos, vt neſcio quid perquirerent, qui ſup
modum vultu & verbis iracundiæ plenis, n
omnes conſilio & ope humana deſtitutas, te
ruerunt.

Reſponſum Foreſti ad ancillam.

Ad hæc pius pater reſpondit, ſe ſatis mira
non poſſe, quod ea fide & religione fœmi
porrò ſanctiſsimæ Reginæ exemplo monitis
tam diu iam edocta, inſinuare voluiſſet, cup
re ſe, vt mortem ac pœnam quamcunque p
fide ac iuſtitia inferendam ſubterfugeret; qu
ſi non eſſet (inquit) reſurrectio ad gloriam
tantoque maiorem, quantò per aſperiora to
menta & cumulatiorem patientiam, ad ea
ex hac mortali vita tranſitur. Quod ad Sere
niſsimam Reginam attinet, ſicut (inquit) lu
benter ad ipſius qualemcunque conſolatio
(ſi Deus ita diſpoſuiſſet) in corpore manere
ſic lubentiùs vellem (idque tàm ſua quàm me
magi

magis interest) pro iustificatione causæ ipsius, & debito in Christum seruitio meo, mortem oppetere.

Hæc & huiusmodi plena pietatis scripsit etiam ad dominum Abelum concaptiuum suũ, ac alios pientissimæ Reginæ domesticos, quæ breuitatis causa omittimus. Et quidẽ cùm hæc scribebãtur, existimabat Christi Martyr breui admodum se decessurum fuisse, multoque tẽpore sanctissimam Reginam ad gloriæ coronã præcessurum; sed longè aliter statuerat diuina prouidentia: nam & huius patris certamen ad duos deinde annos reseruatum dilatumque fuit; & Catharinæ dies ex magna Dei misericordia abbreuiati, adeò, vt ad octauum Idus Ianuarij, partim ex aëris insalubris intemperie; sed præcipuè ex assiduo dolorum ac calamitatum concursu, (nec tamen sine veneni suspitione) ex hac vita discesit in villa quę Cimbaltona dicitur, anno Christi millesimo, quingentesimo, trigesimo quinto, ætatis verò suæ quinquagesimo; trigesimo autem tertio postquàm in Angliam venerat.

Foresti mors dilata ac Catharinæ accelerata.

Mors Catharinæ. An. 1535.

Corpus eius mediocri honore, in vicina ciuitate quæ Petriburgum dicitur, sepultum fuit. Mirabilis planè fœmina, siue sanctitatem, siue prudentiam, siue in omni vita constantiã animique magnitudinem consideres. Nullo vnquam periculo adduci potuit, vt vel Monasterium ingrederetur, (cuius tamen vitæ erat auidissima) vel quicquam aliud faceret in matrimonij sui præiudicium; nec vlla ratione persuaderi ei potuit, cũ iam ex aula eiecta esset, plurimisque iniurijs ac periculis exposita,

Insignes Catharinæ virtutes.

vt vel in Hispaniam, vel in Belgium concede-
ret; quò tamen honorificentissimis conditio-
nibus à nepote suo Carolo Imperatore inuita-
batur. AEquissimo semper animo calamitate-
omnes ferebat, easque suis peccatis attribue-
bat; infœlices sui matrimonij successus exe-
præcipuè proueniisse sæpe dictitans, quòd Hen-
ricus septimus, antè nuptias. Catharinæ cum
Arthuro, vt Regni successionem securiorē fi-
ceret, innocentissimum iuuenem Edouardum
Plantagenetam Ducis Clarētiæ filium, & Edo-
uardi Regis quarti ex fratre nepotem, matri-
que Reginaldi Poli fratrem sine omni crimi-
occidendum curauerit; quò faciliùs & suis li-
beris prospiceret, & Ferdinandum Hispani-
Regem ad filiam suam Arthuro principi tu-
dendam, induceret.

Iniustamors Comitis Varwicensis. An. 1499. Nouem. 28.

Catharinæ apophthegma.

Solebat Catharina sępissimè apud suos dice-
fortuna se nec asperrimam nec lenissimam
daretur optio electuram: cùm vtraque suas tē-
tationes ac pericula habeat: sed mediam po-
tiùs ac temperatam si tamen alterutra eligen-
da esset, malle se tristissimam quàm blandissi-
mam: infælicibus enim rarò deesse consolatio-
onem, fortunatissimis ferè semper mentem.

Catharinæ morientis ad Henricū epistola.

De lecto in quo decubuit, cùm mortem ad-
uentantem præsentiret, Henrico Regi scripsit
in hanc sententiam. *Domine mi Rex ac coniux
dilectissime, aduentante iam mortis meæ hora, a-
mor quo te prosequor facit, vt admoneam te pau-
cis, æternæ salutis animæ tuæ, quam vniuersis hu-
ius mundi bonis ac rebus mortalibus anteferri
debes, neglecta tui etiam corporis cura; propter
quam & me in calamitates multas, & teipsum
in pu-*

in plures sollicitudines conieciſti. Sed ego tibi ex animo omnia condono, precorq; vt eadem condonet tibi Deus. Quod reliquum eſt, commendo tibi Mariam, communem noſtram filiam, vt patris officium in illam præſtes. Tres item ancillas, & miniſtros meos omnes, vt illæ nuptui commodè tradantur; his autem præter id quod iam eis debetur, etiam vnius anni ſtipendium integrum, velut cumulus accedat, ne planè inopes deſerantur: poſtremò, hoc vnum teſtor, quod oculi mei te ſolum præ rebus omnibus mortalibus deſiderant. Vale.

Euſtachius Cæſaris Orator.

Harum litterarum duo ſcripſit exemplaria, vnumque Henrico; alterum Euſtachio Capucio Cæſaris apud Regem oratori, miſit: in quo etiam adiunxit, vt ſi Henricus, quod petebatur pro famulis non faceret, Euſtachius curaret vt vel Cæſar præſtaret: ipſe, vel Henricum officij redderet memorem. Henricus autem acceptis Catharinæ literis temperare ſibi à lachrymis non potuit, Euſtachiumque rogauit vt ſtatim ad eam proficiſceretur, multamque ſalutem ſuo nomine diceret. Sed pri⁹ mortua eſt Catharina, quàm Euſtachius Cimbaltonam peruenireret; quo audito, præcepit Henricus, vt omnes ſui domeſtici pullis veſtibus diem funebrem Catharinæ agerent; cui tamen præcepto, Anna Bolena parere noluit, ſed in ſignum potius lætitiæ, flaui coloris ornamentis, ſe ſuaſque ancillas veſtiri curauit. Cumque ei nonnulli de æmula è medio ſublata gratularentur, imo (inquit Anna) doleo, non quidem quòd ſit mortua, ſed quòd tam honeſto mortis genere obie-

Henrici lachryma.

Anna Bolena in Catharinam liuor.

rit: nimirũ tantus extitit inuidiæ liuor, vt nec mors Catharinæ eum extinguere posset.

Catharinæ existimatio apud exteros principes.

Cùm Principes exteri sereniſſimæ Catharinæ mortem accepiſſent, mirabile eſt dictu quanto ſtudio, quanto honore, quantis etiam expenſis exequias eius vbique ferè terrarum celebrauerint; multæ orationes ac concione habitæ, multi libri editi in laudem Catharinæ, & in Henrici ſuorumque Conſiliariorum deteſtationem, quòd fœminam tam illuſtrem, ti indignis modis ad mortem compuliſſent. Aſcribam huc Apoſtrophen vnam ex oratione funebri doctiſſimi viri Friderici Nauſeæ Germani, qua Regem Regioſque miniſtros ſic alloquitur. *O vos ſanguinarij Regis Angliæ adulatores*; ô *vos iniquiſſimi conſultores*; ô *vos ſcelestiſſimi homicidæ*; ô *vos patriæ proditores nequiſſimi: plorate & vlulate ſuper mortem iuſtiſſimæ & nobiliſſimæ veſtræ Reginæ, quoniam pluſquam nequiter & impiè vendidiſtis Regem veſtrum ſceleratis aſſentationibus, vt faceret malũ longè omnium peßimum. O Rex Henrice, quandam felicißime, plora, luge, plange, vlula, pro tuo horrendo coram Deo & homine peccato; quo innocentiſſimam tuam coniugem, contra leges tàm humanas quàm diuinas repudiaſti, iniquiſſimeque afflixiſti, cum qua nunc mortua, ſimul tua etiam apud omnes cœpit mori exiſtimatio, niſi pißima illius apud Deum interceßione, tuaque emendatione, aliquando reſtituatur.* Atque hæc foris.

Nauſeæ Apoſtrophe ad Regem Angliæ & ſuos Conſiliarios

Domi autem ingenti lætitia perfundebatur Anna Bolena, quòd iam tandem ſibi Reginæ eſſe, iam ſecura omnique metu alicuius æmulæ ſoluta videbatur. Sed fit aliquando, vt cùm maximè

maximè nobis ſecuri videmur tunc ſummis inuoluamur periculis. Ecce enim qui iuſtus eſt Deus, Annæ glorianti ac ſuperbienti, eueſtigiò aliam ſuſcitauit æmulam, multò grauiorem, quàm Catharinæ vnquam fuerat. Rex enim cœpit & Annæ tædio, & alterius puellæ, quæ Annæ inſeruiebat, cui Ianæ Seimeræ nomen fuit, amore affici, quod Annæ celerem interitum attulit. Res autem hac ratione quarto poſt mortem Catharinæ menſe, contigit.

Dei vindicta in Annã Bolenam.

Venerat tempus quo Anna iterum pareret, peperit autem informem quandam carnis molem, ac præterea nihil. Rex omninò videre volens quid Anna peperiſſet, ea de cauſa in cubiculum eius mox à partu intrabat. Illa & de aborſu dolens, & de Regis amore in aliam tranſlato indignans: Ecce (inquit ad Regem) poſt illum diem quo meretricem illam Ianam tuis genibus inſidentem conſpexi, quàm pulchrè vterus meus officio functus eſt? Bono animo ſis meum corculum (inquit Rex) non erit poſthac cur de me queraris: & exibat quidem mœſtus.

Aborſus Annæ Bolenæ.

Anna verò vbi Henricum nec hactenus maſculum ex ſe generaſſe, nec iam deinceps generaturum ſperaret; conſtituit experiri, an alia quapiam via, quæ Regis vxor iam eſſet, etiam Regis mater effici poſſet. Putabat autem adulterij ſui crimen eò magis occultandum, ſi potius cum fratre ſuo Georgio Boleno, quàm cũ alio quopiam rẽ haberet. Quin etiã volebat ſuperbiſſima & ſui ipſius amori deditiſſima mulier,

lier, de genere & sanguine Bolenorum ex
traque parte esse, qui regnum in Anglia occu
paret. Sed cùm neq; ex illo scelerato incestu
quod maximè cupiebat, assecuta esset, cœpi
animum suum ad vagam libidinem eò vsqu
applicare, vt præter Noresium, Vestonum &
Bruertonum, homines non ignobiles, etiam
Marcum quendam Musicum suum, in regium
thorum pelliceret.

Incestus Annæ Bolenæ variaq; adulteria.

Quæ tam effusa libido, cùm Regem diu la
tere non posset, tamen se nihil scire simulavit
vsque ad Calendas Maias. Illo die, cùm Rex
Grenuici ludicris quibusdam spectaculis in
teresset, atque Annam Bolenam vidisset à fe
nestra sudarium quoddam demisisse, quo vnu
ex ipsius amasij faciem sudore oppletã exter
geret; è Theatro statim prorumpens, nemin
salutato Londinum ad Palatium Vestmonaste
riense, quod quinque milliaribus Grenuico
aberat, vesperi, sex tantnm comitibus assum
ptis, se contulit. Quod cum Annæ renunciatu
esset, illa quoque se ex turba subduxit, nec hoc
sine causa feciſſe Regem suspicata illam nocte
magna cum animi sollicitudine traduxit.

Henricus ab Annæ Bolenæ alienatur.

Postea luce cimbas ac triremes parari iussit
quibus per Tamesim Londinum veheretur, cú
que in medio ferè itinere esset, ecce in ipso flu
mine ministri Regij, qui eam operiebantur, vt
captiuam ducerent in Arcem, quæ ripæ flumi
nis imminebat. Ibi Bolena, primò mirari atq;
adeò indignari; deinde queri, ac cœlum cla
moribus complere: postremò; supplicare ac
instantissimè petere, vt vel semel Regem al
loqui, aut in eius saltem prodire conspectum

Anna in carcerem truditur.

permitte-

permitteretur. Verùm nihil horum concedebat Henricus qui Iana Seimera potitus, Annæ mortem iam animo desiignauerat. Vnde paucis post diebus ad tribunal publicum educta, & ab ipso Thoma Boleno, qui Pater ipsius putabatur, inter alios iudices iussu Regis considéte, adulterij & incestus condemnata, decimo quarto Calendas Iunias, capite feritur, cùm nõ totis quinque mensibus post Catharinæ mortẽ Reginæ titulo potita esset; cuius rei dolore etiam Thomas Bolenus, è vita nõ multò post migrauit. Georgius verò Bolenus Annæ frater, Henricus etiam Noresius, Gulielmus Bruertonus, Franciscus Vestonus nobiles, & Marcus Smetonus musicus, qui omnes ex Regio cubiculo fuerant, ob incestum & adulterium, quod cum Anna Bolena commiserant, triduò post Annæ suppliciũ, securi publicè percussi, meritas libidinis suæ pœnas dederunt.

Anna ob incestum & adulterium occiditur cũ multis alijs. Anno. 1536.

Postridie quàm Annæ ceruices amputatæ sunt, Rex longioris moræ impatiens, Ianam Seimeram in vxorem accepit; manifestum vt omnibus fieret, illud ita inter eos antea conueniisse, vt eo ipso die Anna morti traderetur, quò locum faceret Ianæ; quam Henricus etiã priùs viuente Anna, adamauerat, & ipsi prætulerat, vt non minus mira quàm iusta sint iudicia Dei, reddentis vnicuique iuxta opera sua: sicut enim Anna Catharinam supplantauerat, sic & Iana supplantauit Annam.

Die proximo post Annæ mortem Henricus iterum contrahit.

Annæ mors nullo genere luctus aut doloris significatione, vel à Rege ipso, vel à ciuibus fuit cohonestata; sed vniuersis potiùs lætitiam attulit, propter insignem vitiosissimi eius tũ ani-

animi tum corporis nequitiam. Exteri autem vt rem acceperint, ex his Coclæi verbis a Morisonum patet. *Misera* (inquit) *Anna, Regi næ, pellex, funesto exitu satis declarauit; & n iquum fuisse Regis cum Regina diuortium, & n auspicatum suum pellicatum potiùs, quàm m trimonium extitisse.* Hæc ille. Infœlix ergo An na Bolena, quæ tanto cum opprobrio sit nat enutrita, nupta, & mortua; infœlix quòd vn secum patrem, fratremque multosque alio perdiderit; infœlix, quòd cum æmula tantu nobilitatis ac virtutis in contentionem vene rit, cui ipsa erat omnibus in rebus dissimilli ma; sed infœliciſsima, quod prima schisma tis omnisque exitij causa suæ patriæ extiterit filiamque post se reliquerit, quæ matris men suram in omni genere iniquitatis cumulari Atque hæc de Bolena.

Latitia de Annæ morte.

In scopa contra Morison.

Comitia indicta de fidei articulis.

Henricus verò cùm hac ratione ab Anni Bolena, eiusque sequacibus, adulteris ac amicis se expediuisset, pauciſsimis interiectis diebus hoc est, ad sextũ idus Iunias, tàm Comitia publica, quàm Synodum Episcopalem indixit. In quibus posteaquam non parum sibi displicere significasset, quæ tam studiosè antea pro Elizabetha Bolenæ filia, in Mariæ Principis detrimentum facta fuissent, eaque iam irrita esse velle; in vtroq; Consilio disceptari cõsultarique iussit; quænam fides, quæ etiam forma religionis ac diuini cultus, deinceps in Anglia teneri deberet; nam hactenus confusa omnia ac perturbata videbantur, & Anna dominante, rerum omnium licentia subingressa, vniuersa miscuerat, nec quid quisque affirmaret, cre-

Anno. 1536.

crederet, aut faceret, certum aut constitutũ habebatur.

Primo tamen loco, ne Rex Pontificẽ timere videretur, aut ad sedis Apostolicæ obedientiam redire velle; præcepit, ne quisquam de primatu suo in hac cõsultatione verbum faceret: quem vt magis etiã nunc exerceret, constituit Thomam Cromuelum supremum suum Vicarium generalem in causis Ecclesiasticis ac spiritualibus; eique sigillum quoddam peculiare assignauit, ad causas eiusmodi expediendas. Præsidere etiam illum voluit Episcopis omnibus in Synodo ac prælatorum conuentu; quòd & sæpè fecit, cùm laicus tamen esset, & omnis bonæ eruditionis expers. Septembri deinde mense sequente, auctoritate sua Vicaria, canones quosdam Ecclesiasticos, quos Iiunctiones vocabat, sigillo Vicariatus sui munitos, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, reliquoque Clero Cromuelus præscripsit; in quibus præter cætera iubebãtur parochis sub grauissimis pœnis, vt orationem Dominicam cũ salutatione Angelica, Symbolum item fidei, & decem Decalogi præcepta, aliaque huiusmodi, Anglicè in posterum in Ecclesijs docerent. His ita constitutis, de alijs deinde rtbus fideique articulis in vtroque cõsilio disceptari cœpit; & post lõgam difficilemque altercationẽ, tandem libellus quidam editus est auctoritate publica, qui vulgò sex Articulorum liber appellatur, cum hac inscriptione; *Articuli per Regiæ Maiestatis serenitatem constituti.* Horum primus in Eucharistiæ sacramento transubstantiationem credendam esse iubebat:

Cromuelus Vicarius in spiritualibus.

Canones Cromueli.

Liber sex articulorũ.

Secun-

2 Secundus, vnam speciem Sacramenti Eucha
3 stiæ ad salutem sufficere: Tertius, cœlibatu
4 sacerdotum omninò retinendum: Quartus v
torum castitatis & viduitatis non temerè
5 ctorum, necessariam esse persolutionẽ: Qui
tus, non modo Missarum celebrationem i
diuino consentaneã esse, verùm & Missas p
6 uatas fieri bonum & necessarium esse: Sex
denique, auricularem confessionem in Ecc
sia necessariò conseruandam asserebat. Qui
cùs doceret, aut crederet, post duodecim
Pœnæ assignatæ contrauenientibus. diem Iunij proximè sequentis; in illum t
quam hæreticum supplicia grauissima exer
da esse; Regis serenitas cum vtriusque sena
rij ordinis, & plebis in Comitijs adunatæ
sensu decreuit.

Sed frustra sudat humana industria, vbi
adest diuina protectio: nec membrum à re
Humanæ prudentiæ infirmitas in rebus diuinis. quo corpore & capite diuulsum, viuere;
palmes qui in vite non manserat, fructum
cere potuit: rerumque euentus mox comp
bauit, tam Regem quàm Episcopos in vac
incurrisse, quamdiu nec cum Petri succes
conuenire, nec à cæteris Ecclesiæ calum
dextras societatis accipere dignarentur:
ctasque perditionis, ita non posse vllo mo
sublata summi pastoris auctoritate (cuius p
culiare munus est, fratres in fide confirma
arceri, vt nõ aliunde obortas hæreses aut sch
mata nata, verè sanctus * Cyprianus asser
quam indè, quod vni in Ecclesia sacerdoti
iudici vice Christi non obtemperetur.

* *Lib. 1. ep. 3.* Non ergo his profanis legibus, aut quib
uis ab Henrico constitutis supplicijs, cessen
hæ

hæreſes in Anglia; ſed ruptis Eccleſiæ aggeribus, non modo palàm poſt Henrici obitum (vt in proximo libro dicemus) variæ irruperunt; ſed interea dum viueret clàm erepſerant, multosque paſsim tam ex populo & proceribus, quàm ex Clero & Epiſcopis infecerant: adeò vt totius Angliæ primas Cantuarienſis Cranmerus, Cromuelus etiam Regis (ſi Dijs placet) in ſpiritualibus Vicarius, alijque ex aula plurimi, occultè fuerint Hæretici; & Rex ipſe atque Epiſcopi plerique, quos vel ipſe creauerat, vel in partes ſuas traxerat, licet præcipuos quoſque fidei articulos adhuc confiterẽtur & defenderent; tamen Spiritu Chriſti, ex hoc immani ſchiſmate deſtituti, & varijs erroribus ſimplicitatem fidei contaminarunt, & Bibliorum falſa verſione, eorumque promiſcua curioſis hominibus propoſita lectione & tractatione, alijsque plurimis modis, omnibus ſectis viam aperuerunt.

Hæreſes in Angliam quomodo ingreſſæ.

Quin præterea & Henricus, cùm hæc ipſa in Lutheranos ac Zuinglianos tàm ſeuerè decerneret, hæretica multa tenebat, eaque cum Lutheranis & Zuinglianis communia; nec ſolũ cum fide Catholica, verum etiam cum his ipſis ſuis articulis è diametro pugnantia. Primũ enim vt omittamus primatum Petri ac vitæ Monaſticæ inſtitutum, quæ vtraque cum hæreticis, contra Eccleſiæ Catholicæ doctrinam impugnabat, in ipſis ſacramentis immutabat omnia pro ſua libidine: nam primò affirmabat cum Catholicis, ſeptem eſſe Eccleſiæ ſacramenta ſed cum Lutheranis dicebat, tria eſſe tantùm à Chriſto inſtituta; Baptiſmum, Eu-

Henricus hæretica multa tenebat & ſibi inuicem cõtraria.

Eucharistiam, & pœnitentiam, cætera quatuor vt minoris momenti minusque necessaria ab Ecclesia esse postea adiuncta. Deinde in sacrificio altaris & in ipso canone multa peruertebat; nam expugnabat vbique Pontificis nomen & suum, loco eius supponebat: omnes etiam orationes in Missa pro summo pastore prohibebat. In sacramento autem Pœnitentiæ etsi Confessionem necessariam esse diceret; tamen à Christo institutam esse negabat; satisfactionis nomen omninò abolebat. Orare quidem pro defunctis iubebat; Purgatorij tamen nomen nullo modo permittebat. Ordinis sacramentum fatebatur, sed in eo tractando & tradendo infinita permiscebat; imo nouam formam ordinandi Episcopos ipse præscripsit. Sacerdotes à coniugio prohibebat, Monachismen multis, qui Sacerdotes non essent vxores permittebat. Votorum castitatis & viduitatis necessariam esse persolutionem volebat; cùm ipse nihilominus omnes qui viginti quatuor annis minores essent, à Monasterijs exire & ad sæculũ reuerti cogeret, grandæuos etiã quoscunque permitteret. Postremò, vt plura huius generis non percurram, cum ipse in sanctas sanctosque omnes, & in eorũ memoriam beneuolus ac deuotus videri vellet; interea tamen, Ecclesiarum ornamenta, sanctorum reliquias ac donari, & quicquid erat pretiosum, expilabat, & suum in fiscum redigebat: adeò vt vel nullã plenè religionem aut fidem coluisse eum reuera existimes; vel vt alterũ quendam Mahometem, profanũ quoddam Alcoranũ, ex diuersarum opinionum ac religionum assuturis, ingenio proprio voluisse constituere.

Henrici religio.

Atque is quidem religionis ſtatus in Anglia tunc fuit, tum à Catholica fide, tum à proteſtantium dogmatibus alieniſsimus; nec quicquam aliud reuera ab Hẽrici adulatoribus colebatur, quam Regis voluntas atque libido. Quod cùm populus Catholicus animaduerteret, nec quicquam amplius ſpei de emendatione, (quam magnam tamen conceperant poſt Annæ Bolenæ mortem) relinqueretur; Lincolniesis primùm prouincia; deinde Northũbria, Cumbria, Dunelmenſis & Eboracenſis agri arma ſumpſêre; adeò vt quinquaginta virorum millia, & amplius in aciem prodirent. Inſignia horum erant, quinque vulnera Seruatoris, Calix cum hoſtia & nomen Ieſu in medio expreſſum, quibus rebus demonſtrabant, ſe ob conſeruandam fidem Chriſti bellum gerere. Aduerſus quos cùm Duces Norfolciæ ac Suffolciæ alijque, Regis miniſtri ſe oppoſuiſſent, in ipſo die prælij obtentum eſt, vt ad colloquium vtrinque veniretur, in quo Henricus (quòd malè ſibi timeret) Catholicis populis ſanctiſsimè promiſit, ſe omnia illa de quibus querebantur, emendaturum; nec eum tumultum cuiquam detrimẽto poſtea futurum. Quæ omnia cùm non edicto ſolùm, ſed & publicis rabulis confirmaſſet; tamen per ſpeciem noui tumultus, non quidem ab ijſdem Optimatibus verùm ab alijs nonnullis nobilibus, eiſdem tamen cauſis poſtea cõcitati, etiam illi quos Rex antea ſecuros fecerat, vltimum ſupplicium ſubire coacti ſunt.

Anglicana religio Hẽrici tempore.

Arma pro religione sũpta An. 1536.

Fraus & periurium Henrici.

Triginta duo occiſi propter fidei defenſionẽ.

Menſibus itaque Martio, Maio, & Iunio, capite plexi sũt Barones duo, Darſius & Huſsi

Equites verò aurati, alijque nobiles multi, Ro-
bertus Conteſtabilus, Thomas Percius, Fra-
ciſcus Bigotus, Stephanus Hameltonus, Tho-
mas Gilbius, Nicolaus Muſgrauius, Gulielm-
Lomleus, Nicolaus Tempeſtius, & Ioann-
Bulmarus, ſimul cum vxore lectiſsima fœm-
na. Abbates ſex, Fortanenſis, Geruienſis, R-
uerius, Barlinghenſis, Saulienſis, Vvalienſ-
& Prior Birlingronus, quique omnium cap-
extiterat, Robertus Aſcius. Quinque etia-
ſacerdotes Lincolnienſes, & ſeptem laici. M-
nachi item multi, quorum nomina non hab-
tur, præſertim Monaſterij Sauliēſis, cuius Ab-
bas ideò fuit ſuſpendio necatus, quod tàm i-
ſe, quàm Monachi, qui mandato Regis ante
Monaſterio eiecti fuerant, iam reſtitueba-
tur ab his nobilibus, qui arma pro religio-
ſumpſerant; & quia horum Monachorum va-
qui fratrē Vvhalienſi in Monaſterio habeba-
eò confugerat, ingreſſusque fuerat inſcio Ab-
bate, qui cœnobio præerat, ille etiam Abb-
laqueo ſublatus eſt, variaque ſtrages in ali-
edita: quo etiam tempore mortuus eſt Henr-
ci filius nothus ex Elizabetha Blunta, quē pl-
rimum diligebat, & quem ſupra ab illo Ric-
mundiæ, ac Somerſeti Ducem factum fuiſ-
commemorauimus, adeò vt horum Cathol-
corum mors, non ſine aliqua præſenti Dei v-
tione ab Henrico tàm perfidè ac ſceleratè pe-
petrata eſſe videretur.

Triginta duo occiſi propter fidei defenſionem

Ducis Richmundiæ mors

Nonnullis & alijs etiam in prouincijs va-
de deſæuit hoc tempore Henricus, præſertim
in Somerſetana quæ ad Occidentem iacet, v-
plurimos ob annonæ penuriam nouorumq-
vectigaliu-

Henrici crudelitas.

vectigalium impositionem nonnihil tumultuantes occidit. Londini etiam vno eodemque die, illustrissimum virum Thomam Fizgarretũ Comitem Childariæ Hibernum, simul cum quinque eius auunculis lugibri planè spectaculo interfecit.

Edouardus nascitur. Anno 1537.

Sexto autem idus Octobris, natus est Henrico ex Iana Seimera filius, quem vocauit Edouardum. Sed cùm mater ægrè pareret, Rex interrogatus, cui magis consultum vellet, vtrũ vxori an filio; respõdit filio quòd alias vxores facile reperturus esset, filios nõ item. Iana igitur cũ medicis chirùrgicisque artibus ad partũ laxaretur, ex dolore paulò post mortua est, & Vindesoriæ sepulta; ita vt Rex iam liber ad quartam vxorem ducendam existeret.

Pauli tertij in Henricũ indulgentia Anno 1537.

Expectauerat hactenus Paulus tertius Pontifex, tanquam pater indulgentissimus, Henrici Regis resipiscentiam, quam multa his ipsis temporibus certissimè illi polliceri videbantur. Cùm enim iam Henricus Annam Bolenam malorum omnium fontem ac fotricem supplicio digno castigasset; edictis etiã ac Senatusconsultis grauissimis declarasset, Lutheri partes, se nullo modo secuturum; intelligeret præterea ex his recentibus Angliæ tumultibus, vniuersum populum suum ab hoc schismate vehementer abhorrere: quis non existimasset, eum ad Ecclesiæ vnionem fuisse rediturum? præsertim cùm Catharina, cuius depellendæ causa hæc omnia inceperat, iã esset mortua, ex eoque impedimentum omne sublatum, quò minus cum Cæsare conuenire posset. Anna etiam & Iana è medio sublatæ, &

Henricus iterum liber vt quacunque cum fœ
mina contrahere libidinemque suam explen
posset: quarum rerum intuitu Pontifex, cùm
sententiam depriuationis, quam antea in Hē
ricum tulerat, hucusque executioni nequaqu
mandasset; nunc, maiori spe quàm vnquam
lias fretus, multorum etiam principum rogā
tu excitatus, tentandum iterum Henricum e
istimauit.

Anno 1537. Re itaque maturè deliberata, & tàm Impe
ratori, quàm Galliarum Regi, quorum vter
que suam opem lubentissimè deferebat, com
municata; decreta est Reginaldo Polo, (quem
non multis antè mensibus Patauio euocatum
Pontifex Cardinalem renunciauerat,) lega
tio amplissima in Belgium vt ex eo loco, q
Angliæ vicinus est; tùm Pontificis, tùm alio
rum principum nomine cum Henrico agere
vt saniora tandem sequeretur consilia. Ven
ergo Lutetiam amplissimis mandatis & facul
tatibus instructus, quem viri nonnulli præla
tes honoris causa ex Italia comitabantur; &
in ijs Ioannes Matthæus Veronensis Episcopus
singulari rerum vsu, & prudentia præditus, I
bi & à ciuitate ipsa, Regis iussu, & à cunctis Ec
clesiastici ordinis hominibus honorificentis
simè est exceptus. Quod cũ Henricus audiuisset
misit in Galliam citato cursu Franciscum Bri
anum, qui omnibus modis à Rege contende
ret, vt in suam potestatem Polum traderet; n
faceret, actum esse de amicitia. Rex officio &
Religione prohibitus, quòd fidem Papæ de Po
li incolumitate dederat; Anglum autem infe
sum habere nolens, cuius opera eo tempor
era

Card. Polus Henrici causa legatur in Belgium.

erat ei vtilis, exardescente inter ipsum & Cæsarem bello; Polo suo nomine denunciandum curauit, vt postridie abiret, si saluus esse vellet.

Poli difficultates & pericula.

Quin exspectato rei nuncio perculsi omnes, cùm quid consilij caperent, non haberent; Polus, ne longiori mora maiores difficultates incurreret, postera luce Deum piè precatus, illiusque patrocinio se totum committens, quàm potuit breuissimo itinere Cameracum, (quod est Cameracensis Episcopi ditionis oppidum in ipsis Galliæ Belgijque finibus positum,) contendit; quo tamen non sine summo vitę discrimine peruenit: cò quòd vniuersum illud iter nõ solum Cæsarianorum Gallorũq; militum, verùm etiam Anglorum, qui Gallis adhærebant, executionibus perpetuis infestaretur: quo periculo territis Poli comitibus ac famulis, cùm crucem quæ legatis Apostolicis anteferri solet, gestare amplius nemo auderet; Polus ipse inuicto animo, insigne illud Saluatoris in manus assumpsit, magnaque constantia erectum gestauit, quousque famuli verecũdia profusi illud ipsum ex eius manibus repeterent.

Poli constantia.

Cameraci cùm esset, intellexit se in Anglia ab Henrico proscriptum, & perduellionis rerum declaratum esse; præmiumque aureorum quinquaginta millium constitutum esse ei, qui necem illi inferret: qua ex re, maioribus adhuc periculis implicatus, (cùm inter milites versaretur,) quam in partem se verteret, nesciebat. Sed ecce, summis in periculo constituto, Deus adfuit; Euerardus enim à Marchia,

Henrici insidiæ in Polũ.

Cardinalis Episcopusque Leodiensis qui Sen
tui Belgico eo tempore præfuit, interposita f
de publica, humanissimè Polum nihil tale co
gitantem ad se Leodium inuitat, & veniente
summa cum beneuolentia & honore accep
quo audito, Henricus statim cum Senatu Belg
co egit, vt Polum traderet. Se Galli partes re
licturum, & quatuor peditum millia ad aux
lium Cæsaris, suis sumptibus missurum, dece
que mensium stipendia cuestigiò in Senatorum
manibus depositurum, si id fiat. Quod cùm E
uerardus Polo renunciasset, miratus Regis
mentiam dixit; iam dudum se vitæ huius ta
dio affectum mortem cupiuisse corporisq
depositionem: & proinde cùm Henricus ta
to studio & incommodo suo illud ipsum effi
cere conetur; nihil aliud facere, quàm si qu
dormitum ire cupienti, vestem ipsam velit d
trahere: se tamen in sua potestate non esse, se
Pontificis. Is Poli intellectis periculis, eum
statim Romam reuocauit, eique publicam
posterum militum custodiam, contra Henric
furorem assignauit; Cardinali autem Leodie
si ob Polum hospitio exceptum vniuersi Belg
legationem demandauit.

Poli pium responsum.

Henricus cùm Polum ex insidijs omnibu
elapsum vidisset, ira percitus, in eius amico
ac consanguineos furorem conuertit; itaque
comprehendi iubet Margaritam Poli Matrem
Sarisburiæ Comitissam, illustrissimam Hero
inam, Georgio duce Clarentiæ natam, qui fr
ter Germanus Edouardo Regi quarto fuerat
hancque paulò post damnatam capite, quòd
literas à filio accepisse diceretur, sacramque

Anno 1538.

Sæuitia Hēnrici in Poli amicos.

imag

imaginem quinque Christi vulnerum clàm in pectore gestasse, (quòd Rex ad Eboracensem Catholicorum memoriam, qui sub illis insignibus arma pro religione paulò ãtè sumpserant, factum esse interpretabatur, ad quintum Calendas Iunias, anni millesimi, quingentesimi, quadragesimi primi, cùm iam ætate grãdæua esset, & vitæ sanctissimæ decursu venerabilis, ea tola de causa, quòd talis filij mater esset & Catholicæ fidei integerrimè addicta, securi publicè percutiendam curauit. Cum ea eodem in iudicio sententiam mortis acceperunt, Gertruda Marchionista Exoniensis, Regiualdus Polus Cardinalis, Adrianus Forescutus eques auratus, & Thomas Dinglæus eques ordinis sancti Ioannis Hierosolomitani; quorũ posteriores duo, sexto deinde idus Iulij capite sunt plexi.

Poli mater.

Quinq; ad mortem cõdemnatt.

Vnàcum Margarita tradebantur in custodiam, filius maior natu Henricus Polus Dominus de monte acuto, Henricus etiam Curtenæus Marchio Exoniæ & Comes Deuoniæ, Edouardi Regis quarti ex filia nepos; Edouardus præterea Neuellus eques auratus, ex illustrissimorum Comitum Varuicensium ac Satisburensium familia progenitus; qui omnes, eò quòd impijs Henrici decretis aduersari crederentur, extremo supplicio affecti fuerunt, & duo sacerdotes eodem die strangulati laqueo.

Quinq; occisi.

Atque hoc ipso tempore valdè desæuiebat persecutio in Catholicos, instigante Cromuelo perditissimo homine; qui cùm in animo haberet Henricũ inducere, vt cũ Germania

Cromueli nequitia & propositum. Anno 1533.

hæreticis qui hoc ipso anno Smalcaldiæ co
uentum faciebant, contra Cæsarem se coniu
geret, valde timuerat aduentum Poli in Be
gium, ne consilijs suis impedimentum adfe
ret: omnibus igitur modis Regem in Polu
eiusque amicos incendebat, tanquam Pontifi
& Cæsari addictos; cuius in gratiam ac fau
rem, Polum esse factum Cardinalem affirm
bat. Iuuit Cromuelli malitiam hæc, quam m
dò exponam occasio. Mortem obierat his ip
diebus Carolus Geldriæ Dux valdè Cathol
cus: ei successit Gulielmus Princeps Cliue
sis, qui partim quòd clàm faueret hæretici
partim quòd à Cæsare de statu Geldriæ tim
ret, occultum fœdus inierat cum Francis
Galliarum Rege Germaniæque Principib
qui Cæsari aduersabantur, idemque cupieb
cum Henrico facere, tradita ei etiam in matr
monium sorore sua Anna, quod & Henrico n
ingratũ, Cromuello autem & Germaniæ Pri
cipibus summè vtile & expetẽdum videbat

Dux Cliuẽsis fit Dux Geldriæ.

Anna Cliuensis.

Hac ergo spe Cromuellus Regem satis per
furentem, magis quotidie in Catholicos inci
tabat, modò huic, modò illi calumniam stru
ens, tanquàm Cæsaris vel Pontificis amicis. Te
nebantur autem in custodijs ab aliquot iam an
nis, Religiosi multi ordinis Sancti Francis
de obseruantia, quorum vitam, (anteà notau
mus) eousque produxerat Thomæ Vrislæi fa
uor qui Regi erat à Consilijs; nunc autem, cùm
eorum nullus adduci posset, vt voluntati Re
giæ subscriberet, nec dubitaretur, quin eorum
exemplo nonnulli alij constantiores fierent
propositum fuit Regi, vt aliquid tandem de eis

Supplicia 8. Fratrum S. Francisci.

statue-

ſtatueret. Ille quanquàm omnes perdere cuperet, tamen veritus infamiam, quòd eſſent multi, aliquid etiam Vrislæi gratiæ tribuere volens; ex eis qui remanſerant (nam in carcere nonnulli diem ſuum obierant.) delegit quoſdam ad varia ſupplicia; ex quibus Antonium Brorbeum venerādum Sacerdotem, tàm Græcè quàm Hebraicè excellenter doctum, ad decimum ſextum Calendas Auguſti, funiculo quo cingebatur, ſtrangulandum curauit: Thomam verò Belchiamum, virum etiam doctiſſimum, licet adhuc iuuenem, fame enecauit in carcere Londinenſi qui Noua porta dicitur, tertio nonas Auguſti. Reuerendus autem pater Thomas Cortus, generis etiam nobilitate cōſpicuus, ſqualore carceris extinctus eſt, ſexto Calendas Auguſti.

Antonius Brorbeus.

Thomas Belchiam.

Thomas Cortus.

Triginta verò & duo alij eiuſdem ordinis religioſi; bini, & bini emittebantur catenis ferreis inuicem colligati, vt in alijs Regni carceribus minori populi querela & murmuratione morerentur; atque hæc illa gratia, quam Henricus de Franciſcanis amico ſuo Vrislæo faciebat.

Inſignem autem Chriſti confeſſorem Ioannem Foreſtum, eiuſdem inſtituti Monachum, cuius antea non ſemel meminimus, voluerunt Rex & Cromuellus maioribus in cælum cruciatibus emittere; eò quòd & Reginæ Catharinæ dilectus fuiſſet, & reliquis confidentiùs reſtitiſſe Regis primatui dicebatur; vnde ad decimum Calendas Iunias, in campum Fabrum Londini eductus, ad furcas duas, duabus catenis ad brachia colligatis attollebatur, ſuppoſito-

Martyrium Ioannis Foreſti. Anno 1538.

positoque lento ad pedes igne miserabili sp
ctaculo, ad mortem vsque crudelissimè tor
batur. In cuius etiam insigniorem contume
am, imaginem quandam seu statuam ligne
magnæ molis, ex Vvallia allatam, eò quod
mio populi concursu celebrari dicebatur, v
cum illo comburendam curarunt. Postre
ne quicquàm eorum sæuitiæ in hunc sanct
Christi martyrem deesset, varijs carminib
iocis, & rythmis in caput eius ludebant; qu
rum hoc erat vnum, tam in ipsi supplicij loc
quam per diuersa ciuitatis compita affixum.

Forestus Frater, mendacij Pater,
Qui mortis autor voluit esse suæ;
Per summam impudentiam, negauit Euangeli
Et Regem esse caput Ecclesiæ.

Henricus etiam amicos interficit

Nec solum in seruos Dei, qui libidini
aduersarentur sæuiebat Rex, quacunque ob
ta occasione; verumetiam & in suos, si qu
minimum displiceret, omnem inhumanit
exercebat, oblitus priorum officiorum qu
præstiterant; sic Nicolaum Careum præstan
tem virum, quem non solùm sibi à consili
sed equorum etiam præfectum & ordinis sa
cti Georgij & Aureæ Periscelidis (vt appell
Equitem (quæ duæ magnæ sunt apud Angl
dignitates,) creauerat, his ipsis diebus secu
percutiendum curauit; quod & paulò post, n
dissimili ratione Leonardo Graio Hiberni
proregi fieri præcepit. In ipsos etiam hæret
cos nonnullam seueritatis suæ particulam (
quando articulis Regijs contrauenire dicer
tu

tur) dispertiebat: nec administri sui, licet ipsi etiam hæretici, indiligentes in eo erant. vnde cùm Ioannes quidem Lambertus Zuinglianus, ab Archiepiscopo Cranmero condemnatus, ad Henricum Regem, tanquam Ecclesiæ supremum caput appellasset; is cognita causa, iterũ condemnatum, remisit hominem ad Cromuelum, suum in spiritualibus Vicarium; qui animo quamuis Zuinglianus etiam esset, pro officio tamen & authoritate quam habebat, mortis sententiam in Lambertum recitauit; iuxta quam ad decimum Calendas Decembris Londini publicè combustus est.

Lamberti Zuingliani iudicium & mors.

Ac ne in illos tantùm, qui in terris agerent, ius habere Rex Henricus videretur, nonnihil etiam in cælites audendum putauit. Itaque cũ videret Cromuelus imagines quasdam sanctorum, itemque monimenta Martyrum in honore apud plebem Christianam esse plurimaque donaria quotidie offerri; Henrico auctor fuit, vt omnes Angliæ sanctorum imagines celebriores: ad quas præcipua erat hominum frequẽtia atque deuotio, quasque Deus (velut diu piscinam Bethsaidę, quæ ab Angelo Dei commota, cum qui prior in illã descendisset à quacunque infirmitate sanabat) præcipuis quibusdam miraculis populo suo commendauerat: vna cum memorijs martyrum auro & argento refertis, è medio tollerentur. Atque hoc artificio dum se idola abominari fingerẽt, manifestum sacrilegium perpetrabant. Nam vt olim Iacob, cum Dei visionem in somnis vidisset, euigilans, lapidem quem capiti suppo-

In cælites etiam sæuit Henricus. Anno 1536.

Ioan. 5.

Gen. 28.

suerat, erexit in titulum, fundens oleum desu-

per

per, locumque appellans Bethel, hoc eſt d
mum Dei, ac voto facto reuerſus poſteà, d
cimas domino ibidem obtulit; & multis dei
ceps ſæculis viri timentes Deum, ad Beth
hoc eſt à Iacob Patriarcha Deo dedicatum,
ſcendebant, portantes hœdos aliaque mun
1. Reg. 10. vt ibi ſacrificarent ac offerrent Domino: l
populus Chriſtanus in Anglia, ad certa loca
cra, in quibus, Beatiſſimæ matris Dei, aliorum
que ſanctorum ſtatuæ imagines que à maio
bus noſtris fuerant erectæ, & operibus Dei
randis honorabiles, demonſtratæ, oration
gò aſcendebat. Huiuſmodi erant eo tempo
Angliæ antiquæ peregrinationes. Valſingamum, Ipſuicus, Vigornia, Vildeſo
Cantuaria, & alia non pauca; quæ omnia H
ricus, Cromuelo ſuggerente, diſiecit ac def
mauit, vt opibus quas ibi fideles obtulera
potiretur.

Deinde ad tumulos martyrum prog
ditur, quos omnes expilabat, reliquiaſque
digniſſimis modis tractabat. Erant autẽ in v
uerſa Anglia, tres martyrũ Anglorũ præcip
maximęq; celebritatis ac venerationis mem
riæ. Prima S. Albani, qui primus (quod ſcitur)
illa inſula, ſub Diocletiano Imperatore an
Domini 300. ſanguinem pro Chriſtianæ fid
confeſſione effudit; adeò vt meritò Anglor
Tres præcipuæ Angliæ antiqui Martyres. Protomartyr appelletur. Secũda erat Edmu
di Regis, qui propter eandem fidem à pagan
extinctus fuit, anno Chriſti octingenteſimo
ſeptuageſimo primo. Tertia D. Thomæ Archi
epiſcopi Cantuarienſis fuit, qui pro iuſtitia &
Eccleſiaſticæ libertatis defenſione plurim
paſſus ſub Hẽrico Rege ſecundo, martyrij pal
mam

mam assecutus est, anno à partu Virginis millesimo, centesimo, septuagesimo, primo. Horum trium martyrum præter cæteros insignia erant apud Anglos monumenta. Catholici populi & pijssimorum principum libertate cùm instituta, tùm aucta & ornata, plurimisque donarijs precioſissimis cumulata; quæ omnia Henricus inuasit ac diripuit, tanta feritate ac indignitate, vt vir quidam doctus ac pius, qui sacrilegio interfuerat, his verbis de eo queratur.

Richardi Hilliardi de Henrici sacrilegio querela.

Si vna mecum lector adfuisses ac vidisses templorum profanationes, altarium euersiones, Donariorum seu oblationum direptiones, venerabiliumq; reliquiarum ac imaginum indignissimos cũ blasphemijs contemptus ac violationes; non tibi (credo) temperasses à lachrymis, à luctu, à singultu; cum ea vidisses à Christianis viris fieri, quæ à barbaris tyrannis, ac Christi iuratis hostibus nulla in historia perpetrata, leguntur; o si in vitã redijsset, huius impij tyranni pius parens Henricus septimus, qui tot & tantis monumentis Ecclesiam Angliæ decorauit, videssetq; à filio, quem ille tanta cura educandum curauerat, ea omnia diruta, quæ non solùm ipse eius pater, verumetiam omnes ante eum Christiani Angliæ principes Deodedicassent; maledixisset (scio) horæ in qua illum genuerat, & diei quo in lucem prodijt tam infaustum pijssimæ familiæ monstrum. Hæc ille.

Henrici odium in Thomam Cantuariensem.

Henricus autem, etsi in omnes Angliæ sanctos infestum bellum gereret, loculosq; diriperet; præ cæteris tamen omnibus glorioſissimum Thomã Cantuariensem martyrẽ, ingentĩ odio

odio perseuqebatur, tũ quòd in causa nõ plan
dissimili, contra similem ferè Henrici secun
di nequitiam, ac tyrannidẽ, licet infinitis pr
tibus minorem, Ecclesiæ libertatem defend
do, mortem obijsset; tum quòd monumentu
ipsius tãtis opibus ac thesauris refertum er
vt occasionem quæri oportuerit, vnde expl
retur. Qui enim Regius quæstor tunc erat, c
fessus est; tantam auri, argenti, ac lapidũ p
cioſorum & sacrarum vestium vim, ex vno
lo Diui Thomæ monumento ablatam esse; q
ta viginti sex plaustra boum ingentia one
uerat: vt ex eo conijcere liceat, quã innum
rabiles thesauros ex cæteris sanctorum mon
mentis, atque adeò exemplis, oratorijs, & m
nasterijs omnibus idem Rex corraserit.

Impietas Henrici inaudita in D. Thomã.

Diuum ergo Thomam Cantuariensem
chiepiscopum, ab annis plusquam quadrin
tis pro fidei & iustitiæ defensione occisũ; &
ctorum Cathalogo tàm in terris, quàm in c
lo ascriptum atq; infinitis miraculis illustr
causam iterum ad tribunal suum contumel
siſsimè dicere, post tot sæcula coegit: ipsum
perduellionis condemnatum, inter Diuos am
plius censeri vetuit. Imo in Comitijs publi
sanciuit, vt capitale crimen esset; si quis
diem commemorationis eius sacrum celeb
re, aut in sacris precibus mentionem eius fac
ret, aut omninò eum appellaret sanctum, n
menúe ipsius in Calendario sanctorum, v
suo in libro non deletum extare permitter
plurimaque alia huiusmodi statuit ac perp
trauit, quæ ex sequentibus Pontificis maxi
literis intelligi possint.

Pontif

Põtifex enim Paulus tertius auditis his nouis Henrici sceleribus, cùm amplius quid faceret aut speraret non haberet, sententiæ suæ in Henricum antea latæ publicationem & executionem, quam hactenus ob eas paterni affectus causas, quas ipse suis literis exponit, cohibuerat, omnino iam faciendam, & prosequendam decreuit. Itaque prænominatas literas suas, non solùm in Ecclesijs & oppidis Belgij, sicut antea; nimirum, Brugensi, Tornacẽsi & Dunkirkensi, (quæ ditiones Caroli Imperatoris erant) promulgari & affigi voluit: verùm etiam in oppidis Bolonien si & Diepensi Galliæ, in Calistrensi etiam & Andreapolitano Scotiæ, illud idem fieri præcipit. ex quo manifestum euadit, illorum etiam duorum regnorum monarchas, simul cum Pontifice & Cæsare in hoc ipsum conueniisse, vt sententia excommunicationis ac depriuationis in Henricum ferretur. Pontifex ergo repetitis ad verbum prioribus suis longissimis admonitionis, iussionis, citationis, excommunicationis, dãnationis, depositionis ac depriuationis literis, quarum summam antea recitauimus, hæc statim subiungit.

Põtifex iterum reuocat excommunicatiõnem in Henricũ Anno 1538.

Dum autem postea ad dictarũ literarum executionem deueniendum esse statuissemus; cùm nobis per nonnullos Principes & alias insignes personas persuaderetur, vt ab executione huiusmodi per aliquantum temporis supersederemus, spe nobis data, quòd interim ipse Henricus ad cor rediret & resipisceret: Nos, qui (vt hominum natura fert) facilè credebamus quod tantopere desiderabamus, dictam executionem hucusque suspendi-

Quare Papa executionem distulerat.

spendimus, sperantes, (vt spes nobis data erat) e
ipsa suspensione correctionem aliquam & resipi
scentiam; non autem pertinaciam & obstinati
nem ac maiorem delirationem, (vt rei effect
iam docuit) prouenturam. Nunc autem resip
scentia & correctio huiusmodi quam tribus fe
annis expectauimus, non solum postea sequu
non est; sed ipse Henricus quotidie magis se in
feritate ac temeritate confirmans, in noua etia
scelera prorupit. quippe qui non contentus vi
rum Prælatorum & Sacerdotũ crudelissima tr
cidatione; etiam in mortuos, & eos quidem qu
in Sanctorum numerum relatos, vniuersalis E
clesia pluribus sæculis venerata est, feritatem e
ercere non expauit. Diui enim Thomæ Cantua
ensis Archiepiscopi & Martyris ossa, quæ in di
regno Angliæ ob innumera ab omnipotenti D
illic perpetrata miracula, summa cum venera
one in arca aurea in ciuitate Cantuariensi serv
bantur; postquam ipsum Diuum Thomam, ad m
iorem religionis contemptum, in iudicium voca
& tanquam contumacem damnari, ac proditi
declarari fecerat, exhumari & comburi, cinere
inventum spargi iussit: omnem planè cunctar
gentium crudelitatem superans, cùm ne in bel
quidem, hostes victores sæuire in mortuorum c
dauera soleant.

Henricus in peiora prolapsus.

Horrenda scelera.

Idem etiam Henricus omnia ex diuersorũ R
gum Anglorum & aliorum Principum liberal
donaria ipsi arcæ appensa, quæ multa & maxim
precij erant, sibi vsurpauit; nec putans ex hoc se
tis se iniuriæ religioni intulisse. Monasterium ip
Diuo illi Augustino, à quo Christianam fidem di
gli acceperunt, in dicta ciuitate Cantuarienſi di-
cat

Henrici sacrilegia & impietas.

catum, omnibus thesauris (qui etiam multi & magni erant) spoliauit: & sicut seipsum in belluam transmutauit, ita etiam belluas quasi socias suas honorare voluit; feras videlicet, in dictum Monasterium expulsis Monachis, intromittendo. genus quidem sceleris, non modò Christi fidelibus, sed etiam Turcis inauditum. Cùm itaq; morbus iste à nullo quantumuis peritissimo medico, alia cura sanari possit, quam putridi membri abscisione, nec valeret cura huiusmodi, absque eo, quod nos apud Deum causam hanc nostram efficiamus; Vlterius retardari nolentes, ad dictarum literarum executionem, quas ad hoc vt Henricus Rex, eiusq; complices, fautores, adhærentes, consultores, & sequaces, etiam super excessibus per eum nouissimè, vt præfertur, perpetratis intra terminum eis, per alias nostras literas prædictas, respectiuè præfixum, vt se excusent, vel alias pœnas in ipsis literis contentas incurrant: extendimus & ampliamus publicationem, &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum calendis Ianuarij, anno incarnationis dominicæ, millesimo, quingentesimo, trigesimo octauo, Pontificatus nostri, quinto.

Sententia finalis de executione.

Visa I. Sauli. Blosius Bap. Motta.

Dum hæc Romæ gererentur, Cromuelus in Anglia Henrico persuaserat, vt comitia noua indiceret; quib⁹ omnium monasteriorum, quæ toto regno reliqua erãt, ius ac possessionem ad se transferri postularet. Cui sacrilegio ac tyrannide vt via fieret, Rex ipse sua authoritate Nouembri mense quatuor ordines qui vulgò dicuntur fratrum mendicantium, vniuersis suis ex ædibus eiecerat, eorumque monasteria ac

Comitia indicta.

An. 1538.

Fratres mẽdicantes eiecti.

ædificia, cum redditus non haberent, sibi ap
plicuerat. Augustinensium autem ædes Lon
dini cum integra Basilica ac vniuersa suppel
lectile, Vicario Cromuelo in tam pij consili
præmium assignauit, donoque dedit: quo il
loco splendidissimum statim palatium exæd
ficare cœpit; sed Deo non permittente, finir
non potuit.

Anno 1539. regni Henrici. 31.

Quarto igitur Calendas Maias, conuenere
regni ordines, conuentũque celebrarunt qu
Parlamentum appellant; in quo cùm nemo au
deret cum manifesto vitæ suæ discrimine Re
gis ac Cromueli postulatis refragari, obtes
tum est, vt omnia Religiosorum vtriusque se
xus Monasteria voluntati Regiæ permitteren
tur, bonaque vniuersa fisco crederent: qu
senatusconsulto promulgato, vidisses illi
perditissimos quosque homunciones, virisq
ligiosis grauissimis insultantes, ac in sacra
virginum claustra vbique inuolantes, eas q
ad luxum ac libidinem sollicitantes; quæ, al
lis illis sanctissimis ad quę fugiendi mũdi cu
sa se receperant, excluſæ quò se verterent au
vbi caput reclinarent, miſellæ non habebant.

Omnia Monastrria Regi donata.

Londini quatuor fœminarum cœnobia eod
tempore disrupta, virginesque eiectæ, misse
rabili sanè indignissimoque spectaculo, nem
ni tamen sine sũmo periculo illud verbo vul
tuue improbare licebat. Quare cùm duo pre
byteri Londinenses, quorum alter Rector pa
rœciæ Vandusuorti fuerat, & famulus qui ei
ministrabat, itemque monachus quidam co
gnomento Maîrus liberiùs fegessissent, & au
daciùs fortè locuti fuissent, in carcerem sunt
coniecti

Cœnobia fœminarum disrupta.

Quatuor martyres.

coniecti;omneſq; ſimul *8.* Idus Iulias,ob negatam Regi Pontificiam poteſtatem,laqueo enecti,& Londini in partes diſſecti fuerunt.

Nec contentus Henricus hoc vno impietatis genere,excogitauit aliud longè nequius , quo non ſolum Monachorum bona ac poſſeſſiones, verùm etiam & animas ſecum raperet in perditionem;perinde enim ac ſi iſta omnia, nõ ab aliqua ſua cupiditate,ſed ab ipſorum religioſorum petitione profecta fuiſſent, inſtrumentum quoddam conſcribi iuſſit Monachorum nomine,in hanc ſententiam;*Quod cùm nunc tãdem,ex ſanctiſſimo Chriſti Euangelio, luce meridiana clariùs conſtaret , monachorum ſtatum ac ordinem libertati ſpiritus repugnare; & eos omnes ſub lege & non ſub gratia eſſe,qui illam viuẽdi formam ſequerentur ; & ex conſequenti illos adhuc ſub peccato morte & damnatione viuere: excellentiſſimam Regis maieſtatem (cui ob reuelatum Euangelij ſplendorem,tot ſæculis,ad infinitorum Monachorum perniciem abſconditum,ingentes agerent gratias,) omni qua poſſent animi ſubmiſſione ac inſtantia rogabãt,vt eos à tam manifeſto animarum ſuarum periculo,& impia Monachiſmi ſeruitute liberare dignaretur , permitteretq; liberè monaſterijs exire , quò ſpiritus libertate Deo in poſterum ſeruiant : quam excellentem gratiam ſi obtinerent, ſe ſummi beneficij id loco habituros ; & ingrati,deuoti,atq; obediẽtis animi teſtificationem ſe ſponte, liberè, libenter,& ex mera conſcientia , nulla vi coactos aut metu doloùe inductos,monaſterijs omnibus bonisq; ceſſuros,ſicut in præſenti credebant;omnia & ſingula eorum iura ac poſſeſſiones , (quæ iniuſtè ac*

Impijſsima Henrici aſtutia.

Inſtrumenti forma.

iniquè hucusq; tenuerant,) in manus suæ maiestatis, ad quam iure pertinebant plenè & integrè resignantes. Hæc erat instrumenti forma.

Nequissimæ fraudes.

Hoc impium scriptum transmisit Henricus ad omnia monasteria, per certos homines, qui accepta ab ipso potestate, religiosis persuaderent, vt hoc idem tam Abbatum quàm singulorum monachorum manu propria subscriptum & publico monasterij sigillo confirmatum maiestati Regiæ communi Religiosorum omnium nomine exhiberent. quod vt facilius obtineretur, apud singulos mentiebantur conuentus; id ab alijs iam esse factum, imò primam huius rei cogitationem ac mentionem à monachis optimis ac religiosissimis ortam esse: quanquàm sua maiestas potuisset quidem pro sua in omnes religiosos suprema authoritate & ex vltimorũ comitiorum decreto, monastica omnia pro suo arbitrio disponere; nollet tamen pro sua bonitate quicquàm, nisi monachorum rogatu facere, vt omnes intelligant diuinum cultum ac religiosorum vtilitatem non suum commodum præ oculis habere: hac oratione si quis moueri videretur, illum laudabant præsentibus alijs, vt bonum, pacificum, prudentem, rectęque conscientię virum & suo Principi beneuolum; promittebant præterea eo nomine commendatissimum eum facere suæ maiestati: denique honesta pensione donatum dimittebant. Si qui verò negare, hærere, aut scrupulum facere inciperent, eos proteruum superbiæ, supercilij pharisaici, naturæ seditiosæ, ac denique maligni in suam maiestatem animi insimulabant, & aliqua statim quæsita calum-

Misera monachorum conditio.

calûmnia, in carceres trudebant, adeò vt nihil monacho miserius eo tempore fingi potuerit, cui ne bonis quidem suis cedere, sine animæ vel corporis interitu liceret.

Sed cùm his artibus res admodùm non succederet, aperta vi agi cœptum est; ad decimum enim octauum calendas Decembris, Richardus Vitingus Glasconiæ, & Hugo Feringdonus Redingi, Abbates ordinis sancti Benedicti, vnà cum duobus presbyteris Ruggo, & Oniono; ipsis autem calendis Decembris Ioannes Becus Abbas Colcestrensis, eò quòd huic monachorum libello supplici ab Henrico designato subscribere nollent, varijs in locis martyrij coronam assecuti sunt. Vt autem intelligatur, quam viam Henricus tenuerit in hac causa prosequenda; quæ etiam fuerit eo tempore monasteriorum ac Abbatum in Anglia conditio: nonnulla sunt adijcienda de Vitingo Glasconiensi, quem loco primo posuimus.

Martyres quinque quorum tres Abbates erant insignes.

Glasconia locus est in occidentali Angliæ parte, qui tàm traditione perpetua, quàm antiquissimorum scriptorum authoritate, is esse creditur, quem Iosephus ab Arimathia, qui Christum sepeliuit, Iudæorũ persecutionibus Iudæa eiectus, sub Nerone Imperatore in Britanniam cum multis socijs delatus, ab Aruirago Britannorum Rege obtinuit, in quo sacellum Deo cœli conderet; anno Christi quinquagesimo: ita enim Gildas Britannus, scriptor Christianus qui propter excellentem eruditionem Sapiens cognominatur, ante mille ferè & centum Annos memoriæ prodidit, &

Glasconiæ antiquitas.

Iosephus ab Arimathia

Gildas Sapiens.

omnes deinde Anglorum annales confirman
hunc locum postea Lucius Britannorum R
Baptismo Christi imbutus auxit, & Inas Vest
glorum princeps potentissimus, simul acsa
ctissimus, qui primus Angliæ Regnum Ved
gale Pontifici Rom. fecit, circa annũ Dom
septingẽtesimum & quadragesimum, magni
cum Cœnobium ibidem construxit, quod pl
rimi deinceps Anglorum reges tàm opibus q
priuilegijs ornare studuerunt; locum illum p
mam sanctorum terram, appellantes.

Vintingus Glasconiæ Abbas.

Huius cœnobij Abbas erat Vitingus, vir
propter ætatem ferè decrepitam veneranda
& propter vitæ religiosę moderationẽ, in su
ma etiam rerum temporalium affluentia co
seruatam, planè admirabilis: id enim ad
retinuerat Anglia, vt licet cœnobia opulen
sima essent, non tamen nisi à monachis gub
narentur: omnes etiam religiosi communi
viuebant, diligentissimè choro vacabant;
nisi rarissimè claustrorum septa egrediebã
Vitingus igitur cùm Abbas esset, Monaster
integrum ac clausum, centum plus minus r
ligiosorum habebat, ædibus verò separatis
locis snbuicinis, pro Abbatum consuetudi
ad trecentos domesticos sustentabat, atque
ijs multos nobilium filios, plurimos præter
ad litterarum studia in Academijs alebat: ho

Abbatum in Anglia consuetudo.

spitalitatem in omnes peregrinos exercebã
quacunque causa transeuntes; ita vt quinge
tos aliquando, eosque equites eodem tempo
re reciperet: quartis ac sextis ferijs, eleemosy
nas amplas certasque pauperibus vndique c
vicinis pagis concurrentibus distribuebat. Q
qu

que hæc etiam fuerat aliorum ferè Angliæ cœnobiorum ac Abbatum ditiorum consuetudo.

Cùm igitur ministri Regij qui monasteria obibant Henricum admonuissent, Vitingum adduci nõ posse vt instrumento à Rege proposito assensum præberet, responsum acceperũt, vt statim eum Londini sisterẽt; nec prohiberẽt, quo minus honesto satis comitatu pro sua dignitate vteretur; viderent tamen, ne quicquàm de rebus monasterij disponeret: denique, vt eques quidam auratus qui familiæ eius præerat, quemque ministri Regij iam ad partes suas traxerant, velut ad itineris solatium comes ei adiungeretur, reuera autem vt custos esset & explorator. Londini cùm esset, Regis consiliarij multis cum sene agendum non existimarunt, cùm ex præfecto domus eius intellexissent, obfirmato eum animo statuisse libello illi supplici nunquàm subscribere; Rex autem videri nolebat hoc|à quoquã vi exigere, & iã perscrutatis Vitingi scrinijs, libellum quendam cõtra diuortiũ suũ scriptum repererat, inscio Vitingo ab ipsis perscrutatoribus illarum, quem satis esse ad mortis prætextum existimabat: Itaque leuiter obiurgatus, & nonnulla parte comitatus sui exutus (equitibus enim centum circiter & viginti stipatus venerat) Londino dimittitur, volũtatem Regis domi expectaturus. Cùm autem ad ciuitatem Vuellensem peruenisset, quæ quinque passuũ millibus Crasconia abest, intellexit nobilium conuentum ibidem haberi seque vocari, vt adesset; accessit statim, & curiam ingressus, locum suum inter primos accepturus ascẽdebat, cùm ecce præconis voce

Vitingus Londinum vocatur.

Modus iudicij ac condemnationis Vitingi.

iubetur, subsellia tenere, ac de perduellionis criminibus obijciendis causam dicere: mirari senex, ac respectare, domusque præfectus quid rei esset, rogare, ille vt erat edoctus, bono animo eum esse iubet, & in aurem, hæc tùm pro forma ad terrorem fieri insusurrauit. Paulò post Vitingus damnatus, & Glasconiæ dimissus est, nihil minus tamen cogitans, quàm celerem instare sibi vitæ exitum. Admonasterij autem mœnia cùm appropinquaret oblatus est sacerdos, qui in ipsa lectica confessionem audiret, eadem enim illa hora moriendum ei esse affirmabant: rogare senex multis cum lachrimis, vt vnus vel alter dies mortis præparationem ei concederetur, vel saltem vt Monasterium ingressus, Monachorum suorum cætui se commendaret ac valedicere: sed neutrum impetrabat, lectica enim deturbatus ac crati viminea impositus, ad montis editi cacumen qui Monasterio imminet, tertiò pertrahebatur; vbi monachali in habitu suspensus & quatuor in partes dissectus est, eodem quo sup. à annotauimus die.

Vitingi martyrium.

Impijssimũ Henrici consilium.

Percusso Pastore facilè dispergebãtur oues, nec post horum trium Abbatum occisionem reperti sunt multi religiosi, qui Regis tyrannidi se opponerent. Henricus igitur tanquam victor omnia inuasit, deiecit, vastauit, ac demolitus est: possessiones autem annuosque cœnobiorum redditus ne vnquam posthac repeti aut à quoquam suorum successorum principum, Ecclesiæ Christi restitui possent, vniuersi ferè nobilitati distribuit, nonnullos alijs

alijs censibus ac redditibus, nonnullos pecunia numerata commutans; Catholicosque etiam inuitos cogebat, vt spolia hæc Ecclesiastica emerent, quò vel sic eos ad sceleris sui defensionem obligaret, àtque hic finis fuit monasteriorum ac monachorum in Anglia, post mille ferè annos, quàm illi ad eã insulã Christiànam fidem attulerant, & cum eadem creuerant, omniumque Regum munificentia aucti fuerant. Henricus autem, vt exultaret in rebus pessimis & de peccato suo gloriaretur, præcepit Episcopis, cæterisque Ecclesiasticis, vt omnibus ad populum concionibus, Angliæ Monachorum eiectionem gratularentur; plebemque docerent, quantum beneficij ex ea re perciperent, quòd non solum à Pontificis Romani iugo, verùm etiam à Monachorum importunitate iam liberi existerent. qua de re gratulatio frequens omnibus ferè in locis habita est.

Monasteriorum ac monachorum in Angliæ finis.

Sed vt tremẽda quidẽ & inscrutabilia, ita iustissima sunt semper iudicia Dei; qui, vt cęterarum gentium Ecclesiæ, maximeque omnes religiosorum ordines, nostro malo miseriaque præmoniti, per veram pœnitentiam vitæque reformationem, à ventura ira fugerent; voluit tàm graue de nostræ gentis peccatis, idq; à domo sua incipiens, supplicium sumere. Sed ô rursum ineffabilem ipsius in nos, Ecclesiamque vniuersam bonitatem & misericordiam: qui his ipsis temporibus quibus à blasphema Lutheri lingua alibi; & in Anglia, per inauditam iniquissimi tyranni sæuitiam extincta planè videbatur omnis religiohis ac perfectioris

Mirabilia Dei iudicia.

ctioris vitæ profeſſio;& erga Chriſti Vicari
ita omnis ſublata obſeruantia; vt ipſius P
ac Pontificis venerandum fidelibus nomen,
ret execrabile: excitauit ſpiritum viri Dei
natij Loiolæ,ſociorumque quorundam ſuor
qui caſtiſſimam purgatiſſimamque religio
viam ingreſſi,ad cætera perfectionis ſtudia
vota,illud quartum ſingulari quadam rati
Dei inſtinctu votum;contra Lutheri & Her
ci impietatem ſponte addiderunt; vt in om
bus officijs pietatis ac religionis, peculiar
Romano Pontifici ſe ſuamque operam pol
cerentur,ipſiuſque iuſſu quiduis periculo
ac laborum in religione propaganda ſubire
& quocunq; demum terrarum, ad infideli
errantium, ac peccatorum inſtructionem
conuerſionem ab eo mitterentur, mox abſ
omni contradictione,etiam nõ petito viat
tanquàm à Chriſto miſſi proficiſcerentur.
ſe hoc modo & in eum finẽ collectos,pulc
rimiſque Ignatij inſtitutis edoctos, vocar
ſocietatem Ieſu; eiuſque ſanctiſſimum nom
ac fidem in communione Romanæ Eccleſiæ
credibili celeritate & induſtria,non ſolùm
extremos Indos alioſque remotiſſimos pop
pulos & Reges, (quod maiori cum labore,
periculo certè minori fecerunt) ſed & ad
ſerè deceptos ab hæreticis ſeptentrionales,
per tyrãnorum ſæuitiam à communione Chr
ſtiani orbis inuito penitùs diuulſos Britann
etiam cum periculo capitis ac cruoris ſuiſ
ſione,regnante & in Eccleſiam ſæuiente He
rici filia Elizabetha, vt poſtea ſuo loco dicet
apportarunt. Ita Deus poſuit nobis ſemen

Initium Societatis Ieſu eodem anno quo finis aliorum religioſorum in Anglia. An.1540.

Abel quem interfecerat Cain: sed ad historiam reuertamur. *Genes. 4.*

AEstimari difficulter potest, quantam stragem sacrarum ædium, monasteriorum ac templorum, profanus iste Nabuchodonosor in hac vltima sua vastatione ediderit. Vir quidam doctus illius temporis his duobus versiculis, sic rem expressit; *Numerus templorum deiectorum.*

Millia dena vnus templorum sustulit annus;
Quam timeo in pœnas, vix satis vnus erit.

Vtcunque tamen fuerit de numero, qui sine controuersia maximus erat; illud certè cõstat, monasteria Anglicana eo tempore fuisse ornatissima, non solum monumentorum antiquitate rerumque sacrarum præstantia, verum etiã opum affluentia & ædificiorũ splendore quodam singulari; quæ omnia Henricus direpta prius ac deuastata, solo æquauit; nec vel Bibliothecis, vel vllis literarum antiquitatisuè monumentis pepercit; illud barbarum subinde vsurpans; Coruorum nidos esse penitus disturbandos, ne postea iterum ad cohabitandum conuolent. Quicquid igitur maiorum nostrorum pietas, industria, religio, aut deuotio, à primo die quo fides Christi sedem fixit in illo Regno, per tot retro sæcula condiderat, constituerat, congregauerat, aut elargita fuerat in religionis Christianæ cultum, sub viris monasticis, aut fœminis regularem vitam profitentibus; id totum absorpsit Henrici libido, breuissimo temporis spatio terminata. ad vnius enim anni voluptates non sufficiebat, vt post explicabitur; nunc autem cætera prosequemur. *Impium Henrici apophtegma.*

Iam

Annæ Cliuensis nuptiæ cum Henrico.

Iam aduenerat tempus, quo Anna Gulielmi Cliuiæ & Iuliæ Ducis soror, ex pacto cum Germaniæ Principibus inito (qui hoc an Francofurti, biennio verò ante Smalcaldiæ uenerant, (Henrico nubere debebat; quàm iam ob causam, tertio nonas Ianuarij mag splendore ac pompa in Angliam adducta est triduo post, ab Henrico, qui eiusmodi in reb impatientissimus erat moræ, insigni celebrit te Grenuici deducta. Hæ nuptiæ magnum vid bantur alluturæ rebus Protestantium incr mentum, Cromuelo autem earum autori, n mediocrem fælicitatem; longè maximam ve vtilitatem Gulielmo Duci Cliuensi ac Iuli censi; qui icto non solum cum Henrico & Ge maniæ Principibus, verùm etiam cum Fran sco Galliarum Rege, solemni fœdere, despo sata sibi Ioanna, Francisci Regis ex sorore N uarræ Regina, nepte, Geldrensem Princip tum, quem paulò antè inuaserat, satis comm dè hac ratione se defensurum contra Cæsare confidebat. Sed omnia Deo sic disponente, contrarium cesserunt; nam & hæc causa fuit cur Cæsar non ita multò post, vniuersos Ge manię Protestantes debellauerit; & quod Hen ricus ad partes Cæsaris transierit; & quod Gu lielmus Cliuiæ Dux, non solùm vxorem de sponsatam non acceperit; sed etiam principa tibus Geldrensi ac Iuliacensi pænè amissis supplicem se Carolo Cæsari dare coactus fue rit; & denique quod Cromuelus totius matri monij architectus, in vltimam calamitatem & exitium deuenerit. Nunc tamen volui DEVS ad tempus Cromuelum euehere (vt so-

Incommoda ex Annæ nuptijs.

let aliquando nonnullos impios) quo maior esset postea eius casus & ruina.

Anno 1540. Regni Henrici 32.

Idibus igitur Aprilis ipse ab Henrico, Essexiæ Comes, simulque magnus Regni Camerarius creatur; filius autem eius Gregorius Baronis dignitate ornatur; vnde non exiguus fit eius atque Annæ Reginæ amicis triumphus. Quinto verò post die, inita sunt Londini comitia publica, in quibus Cromuelus, cum multis nominibus primus ac præcipuæ authoritatis inter omnes esset, cupiditatis etiam Henrici ac egestatis benè conscius; quo ei se gratum probaret, extorsit ab ordinibus, vt æstimatis omnium Anglorum bonis ac possessionibus, Decima vna, & quatuor Quindecimæ (res planè inaudita) Regi decernerentur; adeò vt, qui viginti aureis æstimaretur, octo; qui verò cẽtum, quadraginta; id est, plus quàm tertiam bonorum omnium partem, Regio fisco penderet: atque hoc ipsum eodem illo anno nondũ planè elapso factum est, quo Rex omnium monasteriorum bona ac census (quæ penè innumerabilia erant,) in suam potestatem redegerat: exemplum sanè clarissimum diuinæ vindictæ in tàm impia Henrici ac suorum sacrilegia. Eisdem Comitijs decretum est, vt ordo sacrorum militũ sancti Ioannis quos Rhodiensis vulgò appellabant, qui vnicus in vniuersa Anglia fuit, omninò deleretur, eorum prouentibus omnibus in fiscum Regium redactis: cuius rei dolore, fortissimus vir Gulielmus Vestonus, eques auratus, qui magnus eorum Prior fuerat, die pòst decimo moritur.

Cromueli exaltatio & iniquitas.

Res stupenda.

Ordo militum S. Ioannis deletus.

Cromuelus autem in summa iã auctoritate consti-

constitutus, intolerabilem exercebat in o
nes crudelitatem; Calendis enim Maijs co
ciendos in arcem Londinēsem curauit Do
rem Vilsonum virum primarium, & Sam
nem Episcopum Ciceſtrensem, ea sola de c
sa, quod in Catholicos quosdam pauperes,
custodijs propter negatum Ecclesiasticum
gis primatum detentos, Eleemosynam quae
feciſſent: quod ipsum etiam ob crimen,
chardus Farmerus ditissimus ciuis Londi
sis, non solùm comprehensus, & in vinc
coniectus, verùm etiam bonis omnibus e
tus, & carceribus perpetuis adiudicatus

Cromueli crudelitas.

D. Vilsonus.

D. Samson.

R. Farmerus

Erat quidam eques auratus Ioannes Ne
lus vir Catholicus & ciuibus suis charus: h
Cromuelus cùm ob fidem Catholicam, t
ob gratiam, qua Neuellus apud populum
lebat, odio habens, Regi vt suspectum de
lit; eundemque alea cum Henrico ludent
(sicut prius cum Rege conuenerat) ad cœn
inuitat, à cœna in carcerem abduci iube
carcere gladio feriendum curat. Alium qu
dam nobilem, cùm ad causam de capite dic
dam compulisset, accidit vt eo die quo ca
ageretur, Cromuelus podagra impeditus
esse non potuerit quo factum est vt nobili
le sicut erat innocens facilè absolueretur:
nienti tamen postea ad Cromuelum, vt gra
as de more ageret, imò (inquit ille) grat
age tibiæ meæ, quæ nisi me impediuisset,
cundum merita tua tibi euenisset: homo fe
& barbarus, dissimulare quidem potuit
manitatem suam.

Io. Neuileus.

Dec

De cætero autem cauendum iudicans, ne iterum prædæ eiusmodi, quas plurimas animo destinauerat, ex vnguibus laberentur, Henrico autor fuit legis ferendæ; vt si quis in posterum etiã absens atque indicta causa, læsæ Maiestatis damnaretur, non minus titè damnatus haberetur, quàm si per duodecim virale iudicium (quod in Anglia solemne in primis habetur) condemnatus fuisset. Sed hîc operæ precium est iustissimum Dei iudicium ob oculos proponere, qui malum consilium in ipsius cõsultoris caput, primùm omnium conuertit.

Lex Cromueli in ipsũ recidens.

Henricus enim Annæ Cliuensis tædio affici cœpit, cuius rei multæ extitêre causæ: vna, quòd cùm hoc ipso anno oratores suos ad conuentum Smalcaldicum secundò congregatum legasset, vt Anglicanam religionem, quam appellabat reformatam, protestantibus Germanis probaret; illud neutiquàm obtinere potuerit,, quod superbissimum eius animum vehementer alienauit. Altera erat, quòd Carolus Cæsar ex Hispanijs per Galliam iter faciens, in Belgium iam saluus peruenisset, & nõ solum Galliarum Regem peramanter in via conuenisset ac placasset; verùm etiam Gandauenses non nihil antea tumultuantes, subito aduentu compescuisset, & Ducem Cliuensem in magnum terrorem & angustias coniecisset; vnde & Henricus timore etiam perculsus, cogitare cœpit de ineunda iterum cum Carolo amicitia. Tertia ac maxima fuit, quòd Anna Cliuensis cùm Germana esset nec Anglicanam linguam aut consuetudinem nosceret; non potuit Henrici animum oblectare, aut blanditijs

Causæ cur Henricum tædere cœpit Annæ Cliuensis.

demulcere quantum eius effusa libido postula-
bat: itaque coniecit in oculos puellam alia-
cui nomen Catharinæ Hauardæ fuit, cuius de-
cendæ causa Annam vel occidere vel omnio
reijcere statuit: voluit tamen primo, in Cro-
uelum, nuptiarum istarum autorem anima-
uertere; quod vt faceret, quanquàm non de-
sent causæ, iniuit nihilominus secretò consi-
um cum equite aurato clarissimo Rober-
Throgmortono, alijsque Cromueli inimici
de crimine aliquo perduellionis reperiundo
occurrebat autem huiusmodi.

Consilium contra Crõmelum.

Cùm Saxoniæ Dux & Hassiæ Comes, alijq
nonnulli Germaniæ Principes, arma in Cæ
rem sumpturi, Smalcaldicum primum fœd
inter se percussissent, ab Henrico impetrara
vt eidem fœderi subscriberet: postea ve
mutatis nonnihil rebus, Cæsar cum Henrico
git, vt non amplius illud fœdus tueretur
confirmaret; promisit Henricus se factur
quod Cæsar postulabat: porrò cum Germa
Principes iterũ Regem supplices sollicitare
vt idem fœdus cum eis renouaret; Henric
quidem palàm noluit fidem Cæsari datam vio-
lare. At Cromuelus, vel quòd Henrici secret
iussu animaretur, vel quòd propter societate
hæresis Germanis gratificari cuperet; cùm
non ignoraret Henricum sibi à Cæsare timer
& molestè non laturum, si Cæsar bello Ger-
manico detineretur, arbitratus illum magn
non audere, quàm non velle Germanico fœde-
ri subscribere, illius nomine subscripsit. Vbi
autem Cæsar hanc rem cum Henrico expost
lassset, Henricus verò negaret suum nomen i

Fœdus Smalcaldicum bis initum.

Causa mortis Crõmeli.

reno-

renouato fœdere haberi; Cæsar autem fœderis exemplum ad Regem mitteret; Rex pudore suffusus, excusationem aliam non inuenit, nisi vt diceret, id à Cromuelo se inconsulto, esse factum: quam occasionem nactus Cæsar, alijs literis Cromuelum apud Regem grauissimè accusauit; vnde Henricus modò, capitale id esse Cromuelo voluit, nullo ei permisso defensionis loco, idque (vt multis videtur) ne hoc ipsum aliaque multa quorum Rex eum erat in comitijs accusaturus, præcipiente vel conscio Rege se feciſſe affimaret. *Hẽrici fraus in Cromuelũ*

Octauo igitur idus Iulij, cum omnia iam ritè ad Cromueli interitum disposita viderentur, Rex familiarissimè eo vsus, & blandissimis verbis domum dimittens, iussit vt postera luce ad Eboracense palatium summo mane compareret, habere enim se non parui momenti negotia consultanda. Venit Cromuelus magna pompa lætus, & insigni clientum stipatus multitudine: ingressus Senatum vbi consedisset, & sermonem nonnullis de rebus exorsus fuisset, Thomas Hauardus, Dux Norfolciæ, magnus Regni Marischalcus, & Catharinæ Hauardæ, quam Rex erat ducturus, auunculus, Cromueli sermonem interrumpens; de his (inquit) Cromuele videbitur alias; nunc autem de te agendum est, cuius iniquitas ac proditio hanc ferè Rempublicam perdidit, eaque de causa ego tam Regis quàm Reipublicæ nomine te comprehendo, iubeoque vt me sequaris & in carcerem eas, quo vsque criminibus quorum accusaris, satisfeceris, simulque pro more, virgula quã manu tenebat, Cromue- *An. 1540.* *Cromueli deceptio & apprehẽsio.* *Dux Norfolciæ.*

lum Dux tetigit. Ille, rei subitæ euentu inter pectato obstupefactus, vix verbum respondere poterat, sed necessitate compellente, Ducem egredientem subsecutus est; Dux autem in spectãte vniuersa multitudine quę pro foribus stabat cũ militum præfecto, captiuum tradidit vt in arcẽ duceret. Atq; hic fęlicitatis Cromuelli finis fuit, post mẽsem tertium nondum elapsum, ex quo ad summam dignitatem Henricus eum euexerat.

Cromuelli condemnatio ex sua ipsius lege.

Decimo deinde die accusante ipso Henrico Rege, condemnatus est ab ordinibus Regni quatuor flagitiorum generibus; nimirum, sacrilegii, perduellionis, feloniæ quam vocãt (cuius generis sunt furta, homicidia & similia), demùm quarto loco peculatus seu repetundarum, mirabiliąue prorsus Dei iudicio factum est, vt Cromuelus omnium mortalium primus secundum legem quam ipse rogarat, abolitus atque indicta causa de his omnibus condemnaretur. Nono verò deinceps die ad populum eductus, securi percutitur, cui maioris commeliæ causa, adiunctus fuit necis socius eodem loco & tempore, Gualterus Baro Hungerfordius, de scelere quodam infando condemnatus. Bona verò omnia quæ ad Cromuelum pertinebant, statim publicè sub hasta venierunt, famuli ad Regem deducti, ab eo dimissi fuerunt ijs verbis, vt Dominum meliorem in posterum quærerent.

Cromueli supplicium cum Barone Hungerfordio.

Varij hominum sermones ac sensus.

Varij autem erant hominum sensus ac sermones de hoc Regis facto. Alij enim mirabantur eius summum Vicarium, tàm recenter honoribus

noribus omnibus à sua maiestate insignitum,& ipsis etiã Episcopis ac prælatis,auctoritate Ecclesiastica in causis etiã fidei & spiritalib⁹ præsidentẽ, tã repẽtè in tot genera flagitiorum,nominatim in hæresim incidisse. Alij respõdebãt, non esse necesse vt caput Ecclesiæ Vicarium assistentiam haberet spiritus; satis esse quòd suæ maiestati illud priuilegij concedatur.quæ cùm summi capitis prærogatiuã teneat, potuit Vicarij sui capitis & errata corrigere,ceruices amputare. Alij tutiorem esse conditionem dicebant alterius Regis Vicarij,qui Inferni dicebatur,(supra enim monstrauimus Franciscum Briauum, Regium inferni Vicarium fuisse dictum,) illum enim florere, magnaque Regis gratia frui, dùm Cromuelus, qui Vicarius in cælestibus fuerat,ad inferos dimitteretur.Denique illud omnibus erat in ore: vidimus impiũ superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani; & transiuimus, & ecce non erat; & quæsiuimus eum, & non est inuentus locus eius.

Duplex Henrici Vicarius.

Occiso Cromuelo, Rex misit euestigiò qui nunciarent vxori Annæ (quemadmodum dum ipsa postea Mariæ Reginæ narrare solebat, ad cuius tempora peruenit) non expedire multis de causis, vt diutiùs matrimonio coniungerentur.Et quanquàm maiestati suæ non deesset legitimę rationes,ob quas seueriùs suo iure cũ illa agere posset,maximè quòd hęresi depraua-tã sciret;tamen eam se illius acGermanię principum rationem habiturum, vt ipsius arbitrio permittat, causam excogitare, propter quam à coniugio Regis honestè separetur, modò id

Legatio Hẽrici ad vxorem Annã.

sedulò celeriterque perficiat. Anna accepto hoc nuncio, cùm non ignoraret quantum esset periculi in contradictione ac mora, venit postridie in Senatum, & vltrò fassa est, se ante nuptias Henrici cum alio quodam clanculum contraxisse; quod falsissimum tamen fuisse, ipsa postea Mariæ Riginæ contestata est. Audita Annæ confessione Comitiorum autoritate dissuortium interpositum est inter Henricum & Annam; & Henrico facta libertas vt quintam vxorem pro arbitrio duceret, quod octauo deinde die fecit, accepta in matrimoniũ, Catharina Hauarda Ducis Norfolciæ ex fratre, nepte.

Repudium & nuptiæ cum Catharina Hauarda.

Illud verò perbellè accidit, quòd his diebus vigilātissimus hic Ecclesię pastor Hēricus, ne in posterum sciretur, quæ cui ritè nupta esset, legem ediderat perpetuam de nuptijs, Comitiorum etiam autoritate firmatam: qua statuebatur; vt si quæ personæ in Leuitico non prohibitæ, (ad illud enim duntaxat præscriptum personarum gradus retulerat) solo consensu, per verba de præsenti matrimonium, nulla carnali copula subsecuta contraxerint: eæ verò ambæ postea, vel earum altera nuptum cum altera persona in Leuitico non prohibita contractis, carnali copula eadem consummauerint; hæ posteriores quas firmasset copula, non priores illæ, quas solus consensus statuisset, ratæ atque legitimæ haberentur; adeò vt cùm olim iuris gentium fuisset regula, *Nuptias non concubitus, sed consensus facit*; iam deinceps Henrici regula esse cœpit, *Nuptias, non consensus, sed concubitus constituit*; & tamen ipse

Lex Henrici de nuptijs ab ipso primum violata.

Regula contraria de nuptijs.

ipse legislator contra suum ipsius regulã, vxorem Annam Cliuensem, cuius nuptias non solo consensu, sed septem etiam mensium concubitu firmauerat, eo solùm pretextu reiecit, ipsaque viuente alteram superinduxit; quòd alteri, nescio, cui, consensum antea præbuisse fingeretur. Huius ergò legis tantoperè postea ipsos puduit Protestantes, vt mortuo Henrico eam ipsi reuocauerint, atque irritam fecerint.

Continuatio persecutionis in Catholicos.

Atque Henricus quidem, quanquàm iam nõ solum à Bolenis, Cromuelo, cæteraque hæreticorum domesticorum peste; verùm etiam ab Anna Cliuensi, Principumq; Germanorum necessitudine liberatus, in amicitiã Cæsaris propẽdere inciperet, vxoreq; nouam ex Catholica satis familia duxisset: quo summa tamen naturæ suæ superbissimæ infælicitate, qua nunquã videri voluit errasse, aut cuiusquàm consilium magis quàm suum secutus esse; statuit cœptam in Catholicos crudelitatem prosequi. Vnde ad tertium calendas Augusti, tres viri Catholici Theologiæque Doctores, Thomas Abelus, Edouardus Pouellus, & Richardus Fethrestonus, eò quòd sereniss. Catharinæ Reginæ causam olim defendissent, & nunc Regis potestatẽ Pontificiã non agnoscerent, extremo supplicio affecti fuerunt: quo etiam ipso die, tres hæretici Zuingliani, Barnus, Gerardus & Hieron, perditi presbyteri, ob hæresim Zuinglij mortẽ obierunt. Factum est autẽ Henrici iusso, in maiorem religionis contemptũ, vt bini & bini vimineis cratibus innexi, per plateas ad lo-

Anno 1540.

Tres insignes martyres cum tribus hæreticis permixti.

cum supplicij traherẽtur, sic vt singuli Catho-
Palatini cuiusdam dictum. lici cum singulis hæreticis in eadem crate cõ-
iungerẽtur; quod Dei seruis ipsa morte grau-
ùs ac intolerabiliùs videbatur. Cùm autem Pa-
latinus quidam ex Hẽrici aula, hos sic ad mor-
tem duci cerneret, aliumque ab altero se auer-
tentem, vultuque & voce consortium detesta-
tem, petijt quænam cuique causa mortis esset:
cumque accepisset, alios ob religionem Ca-
tholicam defensam, alios ob eandem impu-
gnatam morti esse adiudicatos: næ (inquit)
posterum ego Regiæ religionis ero, hoc est
nullius.

Martyres sex. Quartò autem nonas Augusti Laurentius
Conchus Prior Cœnobij Dannastrensis, vna
cùm tribus monachis, & duobus laicis, Egi-
dio Horno & Clemente Philpotto; quòd no-
lent Ecclesiasticum terreni Regis primatum
iurato confiteri; excluſi è terris, ad cælestem
Anno 1541. æterni Regis gloriam transmissi sunt.

Anno verò domini quadragesimo primo su-
pra millesimum, & quingentesimum, habi-
tæ sunt Ratisbonæ imperij comitia, præsente Ca-
rolo Imperatore de aliqua concordia in nego-
tio religionis, si fieri posset, ineunda, cuius ei-
Comitia Ratisbonensia. rei causa Paulus tertius Pontifex, rogatu Cæ-
saris doctissimum virum Cardinalem Conta-
renum cum legati auctoritate eò destinauerat.
Rex etiam Henricus iam non aliorum modò
sed propriæ etiam impietatis, aliquo modo se-
cundum sæculum pertæsus, ad hæc Ratisbo-
nensia comitia misit Henricum Cneuettum, e-
quitem auratum, & Stephanum Gardinerum
Vindonien sem Episcopum, insignis doctrinæ
& in-

&ingenij admirabilis virum, partim vt ſuam in fidei negotio moderationem certis Germaniæ Principibus probarent, qui eũ in nouo Euangelio aſſectãdo tarditatis accuſabant; præcipuè verò, vt cũ videret ſe neq; Catholicis, neq; Proteſtãtibus, propterea quod cũ neutris plenè communicaret, gratum eſſe; iam deinceps rationem quandam cum Cæſare inirent, qua ipſi vñitus, & Pontifici Romano per eum reconciliatus, perfectam Catholicæ fidei regulam, qua nihil verius, nihil certius, eſſe ſciebat, abſque vlla ſimulatione tandem ſequeretur. Et huc quidem adegit illum vis conſcientiæ, quam veteres non immeritò adæquarunt mille teſtibus. Cæterum quoniam volebat Rex ſaluo ſuæ maieſtatis honore; hoc eſt, abſque publica tàm conteſtati criminis confeſsione, abſque pœnitentiæ actione, abſque rerum ab Eccleſijs Chriſti ablaturum reſtitutione, in vnitatem Catholicam recepi, hoc autẽ & Canones vetarent, nec ſaluti æternæ ipſius expediret; iſta omnis cogitatio ad nihilum recidit, quia gloriam hominum magis quàm Dei adamauit.

Recõciliatio ab Henrico tentata.

Quemadmodum verò ipſe Rex neque Deo neque primæ vxori fidem ſeruauerat; ſic etiam vxores ipſius fidem viro ſuo in matrimonio datam violarunt.

Ecce enim iam Catharina Hauarda, quam nondum biennio toto vxorem habuerat, adulterij apud regni ordines ipſo etiam Rege accuſante conuicta, cum Mœchis ſuis Thoma Culpepero, & Franciſco Dirrhamo neci datur. Cumque illi non ſolùm poſt regias nup-

Catharina quinta vxor ab Henrico occiditur.

nuptias, verùm & antea, Catharinam Haua-
dam cognouisse dicerentur, ne quid simile
posterum contingat, lex authoritate Comi-
orum fertur; vt si qua deinceps mulier p
Virgine à Rege habita, & ita in matrimoniu
accepta, nec verè virgo esset, nec ipsa, n
alij qui eam violassent, stuprum illud Regi p
tefeciſſent, omnes velut læsæ Maiestatis r
pœnas mortis subirent. Cæterum ne Rex tu
piter iterum in Virgine cooptanda errare
Catharinam Parram Viduam, Baroni Latime
ro priùs nuptam, quæ Comitis Essexiæ, poste
Marchionis Northantoniæ soror fuit, in se
tam vxorem accepit; hoc solo beatam, quo
Rex prius è vita sublatus est, quàm ex vita
sam (id quod in animo habuisse dicitur)
hæresis crimen sustuliſſet. Iam enim ex du
bus antea Catharinis alteram repudiauer
alteram gladio feriendam curauerat; idem i
sum fecerat de duabus Annis, & eadem ip
merces, sine dubio, huic tertiæ Catharinæ e
pectanda fuisset, nisi Mors breui subsecuta bo
num Regis propositum impediuisset.

Lex pro vxoribus Regis.

Catharina Parra sexta Henrici vxor.

An. 1542.

Atque hoc ipso tempore, dum Rex Henri-
cus, rebus vxorijs tam miserè domi implica-
tur, Respublica Christiana maximis & perico-
losissimis ardebat bellis. Franciscus enim Gal
liarum Rex, inito fœdere contra Cæsarem
cum Christerno Daniæ, Gustano Sueciæ, &
Iacobo Scotiæ, Regibus, quintuplici exercitu
bellum ei mouebat; Germaniæ etiam Prote-
stantes eodem tempore arma sumpserant, fa
mulque Solimannus Turca duobus in locis vc
krementissimè vrgebat. In Affricam enim co
pia

Miserrimus orbis Christiani status

pias ingentes ad Hiſpaniam Italiamque infeſtandas miſerat, ipſe verùm in Panoniam progreſſus ciuitatem Budam Hungariæ Metropolim occupauerat, totoque illo Regno in ditionem ſuam redacto, Auſtriæ Tranſiluaniæ, cæterisque vicinis Regionibus imminebat; adeò vt vniuerſus iam orbis contra vnum Cæſarem conſpiraſſe videretur. Qua temporis opportunitate ad commodum ſuum vti volens Henricus, offert ſe ad partes Cæſaris, à quo facilè ac libenter admittebatur. Deinde ad decimum Calendas Februarij edicto publico totius Hyberniæ ſe Regem dixit; quod tam Galliarum quam Scotiæ Reges non mediocriter offenſurum ſciebat; maximè verò Scotum, qui aliquam Hyberniæ partem ad ſe pertinere contendebat: ad eum autẽ diem Anglię Reges Hyberniæ tantũ Domini, Pontificũ Rom. conceſſione, ab annis ferè quadringentis dicti fuerãt.

Henricus Regem Hyberniæ.

Circa annum enim incarnationis Dominicæ centeſimum & ſexageſimum ſupra milleſimum, cùm Petri Cathedram teneret * Hadrianus quartus natione Anglus, qui ſanctitate ac prædicatione ſua Noruegiæ Sueciæque Regna ante Pontificatum, ad Chriſti fidem conuertat: Hyberni qui initio ſtatim poſt Chriſtianam religionem acceptam, ſe ſuaque omnia in Pontificis Romani ditionem dederant, nec quenquam alium ſupremum Hyberniæ Principem ad illud vſque tempus præter vnum Romanum Pontificem agnouerant; cùm iam inteſtinis multorum regulorum ac Tyrannorum bellis vehementer affligerentur, & eorum nonnulli magnaque pars populi, pacis

* *Hadrianus 4. antea Nicolaus Breakſpear ex oppido Langiley prope S. Albanum.*

Hyberni quomodo Pontifici & Regi Anglia ſubſuni.

pacis potiundæ causa, & ne alijs subesset Henrico secundo Anglorum Regi, sub quo Thomas Cantuariensis postea Martyrium passus est, & qui tunc Hyberniam magno cum exercitu ingressus fuerat, (parere cuperent triusque partis nomine) id est, tàm Regis quàm suorum Principum ac Episcoporum, ab Hadriano Pontifice supplices petierunt, vt ad tollendas cõtrouersias ac seditiones quas ipsi serè perpetuas ex regulorum multitudine habebant; ad constituendum etiam Christianam religionis meliorem cultum, præcipuè in matrimonijs contrahendis ac colendis, qui bellorum consuetudine valde fuerat deprauatus cognaretur sua sanctitas Henrico Regi, qui non nulla iam Insulæ loca, sui ac suorum; hoc est Roberti Fiz, Stephani & Richardi Chepstoe sis Comitis armis acquisita tenebat, totius Hiberniæ Dominium concedere; quòd Pontifex cùm his alijsque de causis, tum etiam quia nihil inde emolumenti accipiebat, nec sine magnis ipsis sumptibus tam remoto Regno succurrere poterat, haud grauatè concessit, certis tamen conditionibus adiunctis; quibus ipse Henricus quàm omnes eius posteri, Regni illud tenerent, & sibi ab Apostolica sede donatum agnoscerent: quas conditiones cum Héricus Hybernique principes ac populus bini in Comitijs, primo Dublini; deinde Cassellij celebratis, iuratò approbassent; Rex Angliæ, *Hyberniæ Dominus* authoritate Apostolica declaratur.

Hybernia Dominium Angliæ Regibus conceditur.

Reges Angliæ in Hybernos grauant.

Postea verò cùm Reges Angliæ præscriptas à sede Apostolica conditiones legesque in Hy-

ber-

bernia gubernanda non obseruarent, maximè verò Edouardus secundus, (qui ob malè gestam rempublicam tandem ab Anglis ipsis Comitiorum authoritate exutus est Imperio) Hybernos varijs modis premeret & affligeret: illi pro suo iure ad Romani Pontificis authoritatẽ recurrebant, querelas apud eum, tãquam principem ac iudicem supremum deponentes; quibus commotus * Ioannes Papa vigesimus secũdus, natione Gallus (qui Platinæ tertius & vigesimus numeratur) circa annum domini milleſimum trecenteſimum & vigeſimum, hunc ipsum Edouardum Regẽ grauissimè monet, vt ab huiusmodi grauaminibus ac inienijs abstineret, ipsarumque conditionum exemplar, quibus Angliæ Reges; Hyberniam regẽdam ac moderandam acceperant, ad illum transmisit; inter cætera verò hæc ipsa verba habet constitutione quinta.

* *Ioan 22. Iacob Caturcen antea dictus 20. constitutiones scripsit, quas extrauagãtes dicunt.*

Ioannis Papæ literæ ad Regem Angliæ de grauaminibus Hybernorũ.

Ecce fili, quasdam recepimus literas directas pridem per Hybernicos Magnates, & populum, dilectis filijs nostris Anselmo titulo sanctorum Marcellini & Petri, presbytero, & Lucæ, S. Mariæ in via lata Diacono, Cardinalibus, Apostolicæ sedis nuncijs, & per eos nobis suis intercluſas literis, destinatas: in quarum serie vidimus inter cætera contineri, quòd cum fœlicis recordationis Hadrianus Papa prædecessor noster, sub certis modo, & forma distinctis apertiùs Apostolicis literis inde factis, claræ memoriæ Henrico Regi Angliæ, progenitori tuo, Dominum Hyberniæ concessisset: ipse Rex ac Successores ipsius, Reges Angliæ, vsque ad hæc tempora modum & formam huiusmodi non seruantes, quinimo eos trans-

transgredientes, indebitè afflictionibus & g
uaminibus inauditis importabilium seruitut
ipsos diutius oppressserunt, Nec fuit hactenus,
reuocaret illata grauamina, aut errata corri
ret: non fuit quem pia compassio super eor
contritione moueret; quamuis super his ad
recursus habitus fuit, & clamor validus oppr
sorum aures tuas qnandoq; pulsarit, &c.

Paterna & grauis Pontificis admonitio.

Hæc dilectissime fili, si veritate nitantur, tu
tò nimirum infestiora nostris accedunt affectib
quantò desideramus intensius, vt tibi prosp
cuncta cedant. Circa illa versari sedulò deb
eaq; promptis affectibus exequi, quæ tuo sint p
cida creatori, & ab omnibus abstinere sollic
per quæ contrate debeat prouocari Deus ipse
Dominus vltionum, qui gemitus afflictorum
iustè, minimè despicit; & qui propter in
stitias peculiarem suam deiecisse describ
populum & * translationem fecisse regnor
&c.

*Et hic postea priuatus fuit regno.

Atque sic tandem post longam exhortati
nem grauissimamque admonitionem concl
dit:

Exemplar litterarum concessionis Hybernia.

Vt autem de prædictis grauaminibus & qu
relis, quibus prædicti innituntur Hybernici, tu
sensibus innotescat ad plenum; præscriptas litter
missas Cardinalibus antedictis, cum forma litt
rarum, quas prædictus Hadrianus prædeces
noster eidem Henrico Regi Angliæ, de terra Hy
berniæ concessit, tuæ magnitudini mittimus, pr
sentibus inclusas. Datum Auinioni duodecim
calendas Septembris, Anno Pontificatus nostri
decimo.

Atqui

Atq; hæc quidē hoc loco adijcere voluimus, quo manifestum fieret, non solùm quàm ingratè Henricus, qui Dominium Hyberniæ à Pontifice Romano acceperat; verùm etiam quàm iniustè ac insolenter tum maximè Hyberniæ Regem, authoritate à sede Apostolica deriuata, (nam aliam nullam habuit,) creare se voluit; cum omni potestati Apostolicæ, tàm spirituali quàm temporali Romani Pontificis, ipse palam renunciasset, alioſque renunciare legibus latis coegisset; qua etiam impudentia hodierno die Elizabetha Henrici filia, impietatem patris secuta, defensorem se fidei (si diis placet) appellari vult; cùm illa tamen fidem modis omnibus impugnet ac persequatur; propter cuius defensionem contra eosdem errores, quos ipsa amplexatur Leo decimus Pontifex maximus, illum titulum *Defensoris fidei* Henrico Regi assignauerit: sic enim habetur in ipsa Pontificis ad Henricum octauum constitutione.

Quam ridiculè dicatur Elizabetha fidei defensor.

Cùm nuper dilectus filius Ioannes Clercus maiestatis suæ apud nos Orator in consistorio nostro coram venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, librum quem maiestas tua fidei Catholicæ zelo accensa, ac deuotionis erga nos, & hanc sanctam sedem feruore inflammata, contra errores diuersorum hæreticorum sæpius ab hac sancta sede damnatos, nuperq; per Martinum Lutherum suscitatos composuit, nobis examinandum, & authoritate nostra approbandum obtulisset; ac luculenta oratione exposuisset Maiestatem tuam paratam esse, vt quemadmodum veris rationibus & ir-

Ex Leonis Pp. x. constitutione. 45.

Facta & promissa Henrici.

& irrefragabilibus sacræ scripturæ ac Sanctorum Patrum authoritatibus notorios errores eius Martini confutauerat ; ita etiam omnes eos qui ac defendere præsumentes, totius regni sui ribus & armis persequatur, &c. Nos, qui Pe cui Dominus gregis sui curam supremam com sit, successores sumus; & in hac sancta sede, a omnes dignitates ac tituli emanant, sedem habita super his cum eisdem fratribus nostris tura deliberatione; de eorum vnanimi consili assensu, maiestati tuæ titulum hunc, videlicet dei Defensorem donare decreuimus; prout de li titulo per præsentes insignimus; mandantes mnibus Christi fidelibus, vt maiestatem tuam titulo nominent, & cùm ad eam scribunt, post ctionem, Regi, adiungant, Fidei Defensori.

Titulus defensoris fidei.

Et profectò, huius tituli excellentia & di tate, nullum neq; dignus neq; maiestati tuæ uenientius nomen, consideratis meritis excog re potuissemus: quod quoties audies, aut lege ties propriæ virtutis optimeq; meriti tui reco beris; nec huiusmodi titulo intumesces, vel in perbiam eleuaberis, sed humilior, & in fide Chri sti & deuotione huius sanctæ sedis, à qua exal tus fueris, fortior & constantior euades; ac in D mino bonorū omniū largitore, lætaberis, perpet hoc & immortale gloriæ tuæ monumentū poste perpetuis tuis relinquere, illisq; viā ostendere, si tali titulo ipsi quoque insigniri optent, talia e opera efficere studeant, &c. Datum Romæ apu sanctum Petrum anno incarnationis Dominic milleſimo, quingenteſimo, vigeſimo primo, quin idus Octobris. Pontificatus nostri anno nono.

Paterna Pontificis admonitio, & causæ tituli.

Ex his intelligi potest, quo iure Elizabeth

quæ Angliam tenet, Defensor fidei dici debeat; cum Lutherum, Zuinglium, Caluinum, eorumque errores quos Henricus pater tantoperè impugnabat, illa defendat; fidemque Catholicam, ob cuius propugnationem illi titulus Defensoris assignabatur, ista odio armisque pro viribus prosequatur: sed reliqua quæ de Henrico supersunt, percurramus.

Is nouis honoribus sibi arrogatis, vt aliquam suæ potentiæ ostentationem faceret, tàm Galliæ, quàm Scotiæ eodem ferè tempore bellum indixit: domi etiam in Catholicos persecutionem renouauit. Initio enim mensis Martij, Germanus Gardinerus qui Stephano Vintoniensi Episcopo à secretis fuit, & D. Latcus Chelsensis Parochus, (qua ex parœtia Thomas Morus fuerat) Ioannes etiam Irlandus presbyter, qui eidem Moro à sacello extiterat; & paulò pòst Ashbæus quidam, martyrio affecti sunt, quòd Regis primatum in rebus Ecclesiasticis locum habere negarent.

Subsecutus est annus Domini quadragesimus quartus, supra millesimum & quingentesimum, & trigesimus sextus Henrici Regni; quo ostendere voluit misericors & iustus Deus quàm inuisæ sibi fuerint, & quàm ipsi Regi in hoc etiam mundo inutiles, omnes illæ rapinæ quas de Ecclesia Christi fecerat. Cùm enim tot ac tanti monasteriorum in Anglia thesauri essent, vt eorum vel decima pars, etiam auarissimi Regis mentem explere potuisset: tamen Henricus cùm thesauros vbique omnes; cùm cruces argenteas, aureas, omniaque sacra vasa; cùm altarium ornamenta; cùm omnem sup-

pellectilem penè mille monasteriorum; ci
omnia prædia, fundos, fructus, iura, & act
nes in suam potestatem redegisset; cùm pre
rea decimas & annatas omnium beneficiorū
Thesauri ex monasterijs. per vniuersam Angliam exigeret, & adeò ci
ipsum plumbum, ligna atque lapides monas
riorum vbique venderet, ex eoque debuisset
æternũ omnia ciuibus suis tributa & vectigal
remisisse (id quod se facturum simulabat,
ciues eò libentius in monasterijs euertendis
psius libidini assensum præberent) imò ci
debuerit quocunque Christiani orbis Reg
argenti præsertim & auri ditior extitisse:
men adeò in cõtrarium ea res ex Dei iustissi
voluntate cessit, vt multò pauperior in
paucos annos post expilationem istam fue
quàm vnquam antè, aut ipse aut maiores
fuerunt.

Quin ille solus, vt ex ijs quæ in hac histo
Tributa imposita ab Henrico infinita. narrantur, ex actis Regum Angliæ, annal
busque constat plura tributa & vectigalia ci
bus suis imposuit, quàm omnes simul Reg
per quingentos ante annos fecerant. Cumq
stantibus adhuc monasterijs, vulgò Pseudo
euangelici & impij adulatatores iactitaren
neminem in Anglia pauperem deinceps fo
si semel claustra sacra disrumperentur, & th
sauri quibus Abbates incubarent, prædiaque
agri quibus pauci iam monachi alerentur,
Pecunia adulterata. manus plurium deuenirent; adeò nihil eorum
reipsa extitit, vt pro singulis qui antea ostiatim
victum quæritabant, nunc viginti ad minimum
non modo idem vitæ genus sequantur, sede-
ian

iam quod miserrimè quæritant, vix & ne vix inueniant. Quid? quòd, cum pecunia numerata ex tam puro argento eatenus in Anglia constitisset, vt non nisi vndecima ferè pars ex cupro & stanno adderetur, idque moderandi & commiscendi causa quò faciliùs characterem impressum susciperet: post illum diem per gradus quosdam ab Henrico inchoatos, eò res demum redacta est, vt tandem vix duæ argenti vnciæ cum vndecim cupri & stanni commixtæ reperirentur.

Varie artes Henrici ad expilandum populum.

Vt autem res vniuersa meliùs intelligatur, consideret lector, quod modis & artificijs vsus sit Henricus, post Ecclesiasticorum bonorum rapinas ac sacrilegia, vt egestatem suam reficeret, populumque expilaret, illis ipsis (inquam) sex vel septem miserrimis annis, quibus post euersionem cœnobiorum vixit. Primo enim (vt antea annotatum est) eo ipso anno quo monasteria inuasit, tributum grauissimum & inauditum populo imposuit, quo vnusquisque bonorum quæ possidebat, plusquam tertiam partem fisco Regio solueret; quod genus expilationis non rarò posteà exercuit. Deinde anno regni trigesimo quarto, aliam formam excogitauit, qua æstimatis bonis, singuli qui supra ducentos aureos, in bonis aut possessionibus habere dicerentur, egregiam quandam pecuniæ summam, pro facultatum magnitudine, Regiæ maiestati dare mutuò cogerentur. Anno verò sequẽte tertiũ genus inuentũ est, vt omnes nimirũ ad studium animumq; beneuolum erga Regiam maiestatem testificandum, pro rata bonorum portione sponte pecunias

1 *Tributum.*

2 *Mutuum.*

3 *Beneuolẽtia*

contribuerent, vnde & beneuolentiæ nomi
hoc tributum appellabatur. Exactores tam
seueriſsimi huic beneuolentiæ colligendæ
ſignabantur; qui non ſolùm quod dabatur
ciperent, verùm etiam vnicuique quantum
ſet ſoluendum, præſcriberent, quorum ſi
fortè poſtularis non ſtatim acquieſceret,
um vt maleuolum & Regiæ cauſæ minimè
uentem caſtigabant. Londini verò Rich
dum Redum Senatorem ciuitatis, homine
rebus bellicis alieniſſimum, ad bellum Sco
cum proficiſci coegerunt, (vbi breui poſt
hoſtibus eſt captus) ea ſola de cauſa; quòd ſu
mam pecuniæ ab exactoribus conſtitutam,
quam ſibi videri dixiſſet, quo etiam de crim
Gulielmũ Rochũ equitẽ auratũ, ex eodem
natu Londinenſi in carcerem coniecerunt.

4 *Monetæ adulteratio.*

Sed quartum expilationis genus quòd m
dicemus, cætera omnia, cùm vtilitate tùm
quitate etiã ſuperauit. Primò enim Rex He
cus, cùm in Gallias ad obſidendã Boloniã ex
ditionẽ ſuſciperett, ãq; ingentẽ pecunię vim
thesauris haberet; tam auri quàm argenti pe
cium non parum auxit; vt ſic pecuniæ ſuæ m
gnitudo creſceret. Deinde verò cùm partẽ
per tributa indicta, partim per feudorum
nuos cenſus, partim per eorum quæ in por
inuéhuntur vectigalia, partim per commiſſa
caduca, quantam maximam potuit pecun
ſummam in ſuas manus redegiſſet, tùm iterũ
nouam cudit monetam, multò minùs puram
ſinceram, quàm priorem; adeò vt cùm adhu
minus adulteria eſſet; tamen quarta parte
illa prioris bonitate deficeret, nihilomin

poſtea

postea multò deprauatior facta. Iã verò vt priorem monetam probatam de singulorum manibus quoad poterat auferret,& in suas transferret; plus aliquantò in singulas vncias quàm vulgò eam æstimassent, ei daturum se obtulit, qui eam ad ærarium argenteamuè officinam attulisset. Soluit autem non modò magistratibus,ministris, militibus, sed etiam illis ipsis qui veterem monetam ei vendebant,noua illa minùs proba moneta. Qua fraude effecit, vt à singulis, quibuscum ei pecuniarum negotium erat, non decimum, non quintum, sed quartum quemlibet denarium velut tributi nomine caperet. Cumque hic dolus bene ei succedere videretur,magis & magis pecuniam semper cõmiscuit & corripuit, donec implesset mensuram dierum suorum. Porrò Spiritus Sanctus in sacra Scriptura præmonuit, eos qui hoc modo aliena bona expilant, nunquã posse fideles Christi ministros esse. Nam & Christus ait,*Qui iniquus est in modico* hoc est in dispensandis huius sęculi bonis *& in maiori*, hoc est, in spiritualibus dispẽsandis *iniquus est*. Et Isaias exclamat, *Argentum tuum versum est in scoriam, Principes tui infideles, socij furum.* Atque hæc Henrici fraus etiam ad solos schismatis sui hæredes qui verbum etiam Dei adulterarunt, pertransit; vt postea declarabimus. Edouardo enim regnante, huic eidem pecuniæ ab Henrico inductæ, media pars pretij subito edicto ablata est; ita vt qui minas centum hodie haberet in pecunia numerata, postera die non nisi quinquaginta possideret.

Henrici fraus & dolus.

Luc.16.

Isaiæ.1.

Henrici liberi hæretici patris sequuntur fraudes.

Elizabetha verò deinde ad Regnum euecta, liam eiusdem partem mediam artificio no disimili populo abstulit, nihilque valere a plius hanc patris sui adulteratam pecuniam sed vniuersam ad ærarium suum reduci, ite cudendam voluit: adeò vt populus totius p cij non semel iacturam fecerit.

An. 1545. Porrò cùm hæc omnia latrocinij furtiq genera Henrici luxui non sufficerent, indic ad octauum calendas Decembris Comitijs p blicis, imposuit vniuersis authoritate publ tam Decimam quàm Quindecimam sibi sol dam, ex omnibus cẽsibus annuis totius Ang ex bonis verò mobilibus, duas integras De mas. Eorundem etiam Comitiorum assens authoritate, (cum nemo ei resistere auder potestatem summam accepit, in Ptocotrop & Xenodochia; in omnia etiam Nosocom Seminaria & studiosorum Collegia; in om denique Missarum fundationes, sacrasque lationes, quas fideles vt sibi suisque defunc ritu Christiano parentaretur fecissent aut fi tuissent: vt dum viueret, de his omnibus e rumque bonis, Basilicis ædificijs, ac annu censibus pro suo arbitratu statueret ac diso neret; adeò, vt iam nihil ei superesse ampli in vniuerso Regno videretur, ex quo pecun em conflare posset, nisi aut viuentium capu aut morientium sepulturas vendere cogita ret.

Hospitalia & collegia Henrico data.

Mors Ducis Norfolcia & filij. Atque hæc fuit vltima Henrici immanita quam opere tamen complere Deus non perm sit, cùm mors illum præueniret, ad quam qu magis properare videretur, eò magis sæuum d

atro

atrox ingenium eius apparebat: adeò vt vix integro mense priusquàm moreretur, Thomam Hauardum Norfolciæ Ducem senio ferè confectum, quo vsus fuerat non solum in omnibus bellis ac Reipublicæ negotijs, verum etiam ad diuortium suum nonnihil promouẽdum, & ad Roffensem Morumque iudicio condemnandos, iam omnibus peractis ex aula eiecit, perpetuisq; carceribus adjudicauit. Filiũ verò eius maiorem natu Henricum, qui Surriæ Comes dicebatur, virum magnarum dotum præstantia singularem, securi percussit: magis ad hoc ab hæreticis inductus, qui viros Catholicos tam eximiæ potentiæ Henrici manu auferri volebant; quàm quòd illi quicquam in Henricum deliquerant.

Iudicia Dei in illos qui Henrico adhæserant.

Sed & in hoc iustum extitit & mirabile Dei iudicium, quòd tàm iste, quàm omnes ferè alij, qui illicitis obsequijs nimium Henrico placere studuerant, ab ipso postea afflicti fuerint; vt verissima semper sit illa sententia, *Per quæ quis peccat per eadem castigatur*. Ecce enim hi duo Hauardi, qui Regis voluntati licet iniquissimæ, nunquam defuerunt, nunc summa ab eodem calamitate inuoluuntur. Filius etiã primogenitus eiusdem Comitis Surriæ, cui Thomæ nomẽ fuit, per Mariam deinde Reginam paternæ dignitati ac Principatui restitutus, ab Elizabetha postea, (quam & in religione mutanda non parum iuuerat,) capite plexus est, eiusque filius ac frater ab eadem etiamnum hodie carceribus tenentur; atque hæc est gratia ab Henrico Annæque Bolenæ sobole, familiæ Norfolciensi

relata; ob interpositam operam, ad Henrici diuortium ab vxore sereniſſima Catharina promouendum.

Omnes male pereunt qui diuortium iuuerãt

Qua in re hoc omni animaduersione digna sanè est, quòd nullus ferè in partem aliquam insigniorem in peccato illo habuit, diuinæ vindictæ seueritatem euasit. Nam de familia nobiliſſima Norfolcienſi iam vidimus; De progenie verò Suffolcienſi vt fuerit delata, videbitur poſtea.

De Volſæo Cardinale, cauſa prima mouente; De Anna Bolena cauſa finali & obiectiua de Graio, Caræo, & Huttono Conſiliarijs, & Thoma Georgioque Bolenis cooperantibus; Noreſio, Bruertono, Veſto & Smetono adhærentibus & iuuantibus; De Cromuelo denique inſtrumento principali, vt omnes ferè iſti Henrico ipſo extincti fuerint, hæc iam hiſtoria manifeſtum fecit. Solus Cranmerus Archiepiſcopus Cantuarienſis, qui perfidè ſententiam diuortij interpoſuit, locumque fecit nouis nuptijs, diuina prouidentia Mariæ Catharinæ filiæ reſeruatus fuit, vt ab illa iuſtiſſimo iudicio tã hęreſeos, quàm perduellionis legitimè condemnatus, flammis traderetur. Hinc ergo diſcant mortales iuſtitiam colere, & principum voluntates, mandatis Dei non anteferre. Nunc ad Henricum reuertetur oratio.

Iterum Hẽricus de reconciliatione cogitat.

Is cùm iam grauiori ægritudine premeretur, nec facilè ſperaret ex ea liberari ſe poſſe; videns qua cupiditate, vel quo potius furore vinculum vnitatis Eccleſiaſticæ diſſoluiſſet, cum Epiſcopis nonnullis priuatim agere cœpit, de ratione qua iterum Sedi Apoſtolicæ, ac pe-

eam

eam reliquis gẽtibus Christianis cõciliari posset. Verũ hic videre licet seueritatẽ Dei in eos qui aut prudẽtes ceciderũt, aut in peccatis suis altè obdormierũt. Præterea enim Henrici crudelitas fecit, vt nemo iam illi fidele consiliũ dare, nemo sui pectoris sensa patefacere, nemo veritatem aperire auderet. Sciebatur enim multos neci datos esse, cùm priùs aut illi, aut Cromuelo, etiam iussi, licerè quòd sentiebant loquerentur. Itaque nunc quoque vnus ex Episcopis vtrum insidiæ ipsi struerentur incertus, respondit; Regem omnibus viris sapientiorem esse, illum Diuino consilio Pontificis Romani Primatũ abdicasse, nec iàm habere quòd timere debebat, cũ publica Regni lege iudicium illud confirmatum sit.

Rom. 1.

Episcopi dissimulatio.

Stephanus autem Gardinerus Vintoniensis Episcopus seorsim Regi suasisse dicitur, vt si fieri posset, ordinibus Regni conuocatis, rem tanti ponderis cum illis communicaret. Sin ad eam rem spatium temporis non daretur, saltem animi sui sententiam scripto prodiret, ibique conscientiæ suæ testimonium exponeret. Deum solo cordis voto contentum esse, quando res propter aliquod necessarium impedimentum expediri non posset. Sed cùm is semel discessisset, aderat mox ingens parasitorum turba, qui veriti ne si obedientia Pontifici Romano redderetur, ipsi bonis Ecclesiasticis exciderent, Regi omninò persuadebant, ne scrupulũ talẽ in animum irrepere pateretur. Et facilè quidem à bono proposito reuocatur, qui non est in charitate fundatus & radicatus. Ad nihil igitur aliud valuit hæc Henrici cum Epi-

Gardineri consilium.

Parasitorũ consilium.

scopis de restituenda vnitate Ecclesiæ orati
quàm vt se hactenus retinente conscientia
uisum ab Ecclesia Romana fuisse; & ideò, di
agnitam veritatem oppugnaret, in Spiritu
sanctum peccasse patefaceret.

Ne nihil tamen boni in vniuersa vita fecis
videretur, neùe iam moriens nullam sui m
moriam apud pauperes relinqueret; voluit, b
neficium quoddam egregium, vt videbatur,
ciuitatem Londinensem conferre. Itaque te
tio nonas Ianuarij, vigesimo nempe & quin
die ante mortem, iussit aperiri ac purgari
clesiam Fratrum sancti Francisci, quæ po
uersionem monasterij ad eum vsque diẽ clu
sa, omniqúe spurcicie oppleta remanserat,
luitque Missam in ea celebrari, eamque Pa
chialem fieri; quo ipso die Episcopus de
chester Regis eleemosynarius, pro concio
ad populum; Regis pietatem ac munificen
am collaudauit, literasque protulit; quibus
Maiestas in vsus pauperum perpetuos, prae
ctam Ecclesiam Franciscanorum, iam Reg
autoritate Parochialem factam, vnà cùm sa
cti Bartholomæi hospitali eidem annexo, a
nuisque censibus aureorum fere mille duabu
que alijs Parochialibus Ecclesijs, sancti Nic
lai & sancti Eduini, ciuitati Londinensi don
dabat; ea conditione, vt omnes istæ tres Eccl
siæ, in vnam illam quæ Monachorum erat, co
lescerent, eaque perpetuis deinde temporibu
hac inscriptione notaretur; *Ecclesia Christi a
Henrico octauo Angliæ Rege fundata.* Atque ha
fuit illa insignis restitutio quam Henricus pr
mille plus minus monasterijs dirutis, & pri
decr

Henrici munificentia in fine vitæ.

Ecclesia Christi Londinensis

decem millibus Ecclesiarum direptis ac dissipatis, mortis hora aduentante fecit. Vnam scilicet Ecclesiam parochialem erexit alienis ex bonis, nec eam absque duarum aliarum sublatione; hospitale quoque adiecit, quod suum non erat; atq; ita vitæ exitus reliquo vitæ curriculo respondit.

Henrici satisfactio.

Vt autem ingenium, studium & mores Henrici, paucis perstringamus; à bonis quidem literis nunquam alienus fuit, imò liberaliũ artium Doctores fouit, & quibusdam Professoribus auxit stipendia. Episcopos (præter vnum Cranmerum Cantuariensem, qui ad hoc factus est, vt in diuortij negotio illius libidini subseruiret) & doctos nominauit & minimè malos, adeò vt pleriq; eorum postea tàm Edouardo quàm Elizabetha regnante, ob Catholicæ fidei confessionem carceres & vincula subierint. Sacramentum Eucharistiæ summo semper in honore habuit. Itaque cùm paulò ante mortem sub vnica specie (quod semper obseruauit) communicaturus, de cathedra in qua sedebat assurgeret, vt genibus in terram defixis Saluatoris nostri corpus adoraret, Zuingliani autem qui astabant, dicerent; posse maiestatem suam in hac imbecilli valetudine sedentem in cathedra Eucharistiam percipere, illis respondit; si me non modò vsque ad terram deijcerem, sed & sub ipsam terram submitterem, ne sic quidẽ satis honoris huic sanctissimo Sacramento mihi viderer delaturus; Denique nulla ferè in re à fide Catholica discessit, præterquam libidinis & luxuriæ causa.

Henrici mores & studia.

Literarum amicus.

Reuerentia in Eucharistia.

Penitus

penitùs enim à carne sua victus & superatus ob repudium Catharinæ non permissum, Pontificiam potestatem abiecit: Monasteria eiuertit; partim quod Monachi religiosi Pontifices maximè omnium repudio eius aduersarentur; partim quòd bonis Ecclesiasticis inhiaret quò suppeteret, vnde sumptus effusiores in pulas, meretrices, & insanas substructiones faceret.

Cur schismaticus factus.

Nec ingenij acumen, nec iudicij grauitas ei deerat, si quando alicuius negotij seria inuestigationi seipsum dedisset, maximè horis matutinis. Nam in prandio vt inebriaretur rarissimè ei contigit: id quod lenones, adulatores, atque hæretici (quibus aulam atque ipsum cubiculum eius Anna Bolena, & aliæ tam priores quam concubinæ repleuerant) cùm animaduertissent; nihil ei præterquam pomeridiano tempore, aut suggerebant in aliorum pernitiem aut in suam rem commendabant. Alij quidem obseruabant momenta in quibus aluum copiosiùs exornauerat, quod tunc hilarior solito esset: alij dum alea luderetur, sponte damnum & fraudem ab illo inferri sibi patiebantur; vt cùm viderent illum ob victoriam omnibus lætitijs perfusum, illi vicissim se omnia sua iam perdidisse subinferentes, vt innocentis alicuius bona, vel plumbum quo Monasterium aliquod tegeretur, vel alicuius Ecclesiæ campanas, vel simile quippiam maximi pretij emendicarent. Alius etiam ob porcellum egregiè assatum (quo genere cibi libentissimè vescebatur) alius ob Exedram regiam com-

Ingenium.

Ebrietas.

Parasitorũ obseruationes.

Henrici leuitas.

commodiori ab igne distantia dextrè locatam, alius denique quòd in lusu aleæ elegantiùs se ac facetiùs gereret, non beneficio solùm, sed etiam honore auctus dicitur.

Maria ab Henrico honori restituta.

Mariam Catharinæ filiam honori suo restituit; vt nimirum, Edouardo filio in administrando Regno proximè succedere, atque Elizabethæ omninò præferretur: vnde certissimò constat, eum Catharinam mala mente ac fide repudiasse, tantùm libidinis causa, vt Anna Bolena potiretur; in quo peccati genere, tàm effrænatus ac sui impotens semper extitit, (maximè ætate iam in senium vergente) vt mulieres paucas viderit pulchriores, quas non concupierit; & pauciſsimas concupierit, quas non violauerit. Et cùm in iuuentute pulcherrima esset corporis habitudine, per ventris tamen insatiabilem curam & expletionẽ, eò deformitatis excreuit, vt vix ostia ingredi nullas autem scalas posset ascendere.

Henrici effrenata libido.

Hẽrici ætas & vxores.

Vixit annos quinquaginta sex, quorum decem & octo cælebs transegit; viginti ferè & sex non nisi cum Catharina; duodecim verò reliquis, vxores expertus est sex, quarum duas securi percussit, tertiam ad partus commoditatem laxandam, (ex quo & mortua est) curauit: duas repudiauit, & sextam superstitem reliquit, quam animo tamen ad cædem si vixisset, destinauerat; mirabile est dictu, in quãtas animi vitæque perturbationes inciderit: postquam enim è recto Christianæ vitæ tramite egressus, voluptatibus carnis ac peccatis se im-

implicabat, nunquam sibi aut alijs gratus nunquam aut mente serenus, aut conscientiæ securus videbatur: præceps ferebatur in omnes vitiorum gurgites, tribus tamen maximis præ cæteris obruebatur, libidinis, auaritiæ crudelitatis, quorum priora duo, vt ex ijsquæ proximè diximus, constare possunt; ita tertium ex hoc vno, quòd cum Henricus toto reliquo sui regni tempore pauciſſimos è plebe, et vniuersa nobilitate duos tantùm sustuliſſet, Edmundum de la Pola, Suffolciæ comitem, & Edouardum Buchingamiæ ducem: & priorem quidem ex patris morientis præscripto, à quo de seditionibus condemnatus fuerat: posteriorem verò, ex Cardinalis Volsæi qui Buchingamium oderat, instigatione: post interpositum diuortium cum vxore legitima & diſſidium cum Ecclesia, vix explicari potest quanta strage nobilitatis suorumque ciuium ediderit, paucis illis annis quibus superuixit: ex bulis tamen publicis numerantur Reginæ tres aut quatuor ad exitium perductæ, Heroinæ duæ, Cardinales item duo, tertiusque absens morti condemnatus: Duces, Marchiones, Comites, Comitumque filij, duodecim: Barones Equitesque aurati decem & octo; Abbates et Priores Cœnobiorum tredecim; Monachi Presbyteri ac Celigiosi septuaginta septem, et reliqua nobilitate ac plebe ferè innumeri. Id etiam annotabat Cardinalis Polus; quòd qui intimi erant Henrico, & in amicitia eius principui, ij proximi semper erant periculis; vt ex Volsæo, Comptono, Norefio, Bolenis, Crom-

Tria Henrici vitia maxima.

Varia hominum genera ab Henrico occisorum

Henrici amici in maximo periculo.

uelo

uelo, Hauardis, alijsque plurimis manifestũ euadit.

Mortuus est Henricus Londini ad quintum Calendas Februarij, Anno Dominicæ incarnationis Millesimo, quingentesimo, quadragesimo sexto; quo etiã in tempore moritur Lutherus in Germania; & ad duos inde menses Franciscus Galliarum Rex Christianissimus. Fuit Henrici Mors tum Anglis grata, qui eum iam oderant, tum externis etiam principibus vtilis, maximè Carolo Cæsari; qui bellum Germanicum ingressus, ex insigni victoriarum suarum frequentia, certissimum hostem habiturus fuisset illum, qui tàm prosperam eius fortunam æquo animo nunquam tulisset. Scotiæ etiam percommodè accidit, quæ Iacobo Rege quinto paulò ante orbata; iam eius filiæ Mariæ, quatuor tantummodo annos natæ parebat. Gallis præterea res erat iucũda, quia maior nouo ipsorum Regi Henrico dabatur commoditas, sui Regni principia benè cõstituendi. Paulo tertio denique Pontifici maximo Italiæque principibus, Henrici mortis nuncium longè erat lætissimum, quia iam aliquid melius sperari posse de Anglia videbatur; Maximè verò omnium Patres illi, qui hoc ipso anno Pontificis ac Reipublicæ Christianæ nomine, Concilium Tridentinum inchoauerant, (in quibus erat etiam cum summa dignitate Cardinalis Polus) audita eo tempore tàm Henrici quã Lutheri morte, in spẽ magnã erecti sunt, meliora tẽpora secutura; in qua etiã anno sequente vehementer fuerunt confirmati cùm post vniuersã Germamaniã à Carolo domitam

Henrici mors omnibus grata.

Concilium Tridentinũ inchoatum.

An. 1547. mitam, in Augustanis Comitijs, Calendis Septembribus Initis omnes Germaniæ Principes nemine excepto, Concilij Tridentini sedecretis submitterent; quo etiam tempore Polus cogitationem inijt de exhortatione quadam, Edouardum Henrici filium Regem Anglscribenda, de qua postea erit dicendi locus. Nunc absoluemus quæ restant de patre.

Decumbente Henrico & morbo ingrauescente, cùm de instanti mortis articulo abmicis admoneretur; pateram vini albi poposcit, atque ad vnum è suis conuersus, omnes (inquit) perdidimus; intermortuis deinde vocibus monachorum nomen aliquoties ingeminasse dicitur; atque ita expirasse, Regnans annis triginta septem, mensibus nouem, diebus sex, quorum ferè viginti vnum in pace Catholica, quinque sequentes in maxima litis fluctuatione, duodecim postremos in apertoschismate transegit. Cùm tres eius liberi omnes ordine regnauerint, tamen nullus eorum memoriam patris aliquo monumento coluit nestauit. Maria quidem cupiebat id facere, nisi quod religione impediebatur; ne Catholica, Schismatici nomen posteris commendaret. Edouardus autem & Elizabetha, quibus Henrici defectio & schisma probatum fuit omnem sensum humanitatis, in hoc officij genere prætermittendo, exuisse viderentur; adde si quod manifesta Dei vindicta sit, vt quorum sanctorum cineres dissipauit; & tam eximiorum martyrum sepulchra diripuit, ipse omni honore sepulchri careat.

Modus Hëricimortis.

Henrici sepulchrum.

Admo-

Admonuerat quidem Henricum adhuc viuentem ac indies in peccata maiora proruentem Reginaldus Polus de sepulchro, ex illis Esaiæ verbis ad superbum Assyriorum Regem, qui dixerat, *Exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, &c.* cui responsum fuit; *omnes Reges gentium, vniuersi dormierunt in gloria, vir in domo sua; tu autem proiectus es è sepulchro tuo quasi stirps inutilis, pollutus cum his qui descenderunt ad fundamenta laci; quasi cadauer putridum non habebis consortium, neque cum eis eris in sepultura; tu enim terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti.*

Poli admonitio ad Hēricum de sepulchro. Esa. 14.

Admonuerat etiam eum de sepulchri inscriptione; nominatim verò, de Sardanapali epithaphio, quod Aristotelis iudicio, boui magis quam homini congruebat *hæc habui, quæ exaturata libido hausit.* dixeratque, bene cum Henrico actum fore, si nihil ignominiosius illius sepulchro inscriberetur: tot enim stupra, adulteria & incestus, tot homicidia, rapinas ac sacrilegia; quot etiam tum Henricus perpetrauerat, tam, breui sententia comprehendi nō posse. Si tamen quis vellet vnica inscriptione probrosissima omniū eius scelerū ac iniquitatum quasi summā quandam simul complecti; nihil esse tam efficax aut idoneum, (considerata Henrici vita,) quàm si sepulchro eius insculperetur titulus ille, quo ipse in vita tantoperè delectatus est, *Supremum Ecclesiæ Anglicanæ in terris caput.* hæc Polus.

Sardanapali Epithaphiū.

Non longè ante mortem, cum propter im-

Henrici potestas disponendi successoribus.

plicatissimas tot vxorum rationes, ac flexibiles ipsius Henrici circa proprios liberos voluntatem, variaque sororum eius, in Scotia, Gallia & Anglia matrimonia, regnandi successio non parum dubia redderetur; regni ordines Henrico permiserunt, vt ipse adhibitis in consilium viris prudentibus staueret, quid cuique ea re iuris ac rationis esset, seque ratum ac firmum habituros quicquid ipse testamento suo vltimo obsignato præscripsisset.

Henrici testamentum eiusq; capita

Condidit itaque testamentum amplissimum, & in eo statuit, vt Edouardus filius ex Iana Seimera, nouem annos natus, primas optionium regnandi vices acciperet; secundas, Maria ex Catharina filia; tertias, Elizabetha Anna Bolena; postea his deficientibus, ad quos iure communi pertineret.

1

2 Deinde impuberi filio sedecim cõstituit Tutores & Curatores pari potestate, eosq; magna parte Catholicos, velut Aristocratia quadam monarchiam temperans.

3 Demum, valde mandauit, vt filius in fide Catholica educaretur excepto Primatus Ecclesiastici titulo, quem reliquit, & vt regnum ab hæresibus purgatum teneretur.

4

Sed vt in hoc etiam iustissima Dei iudicia manifesta fierent, æquum non fuit vt Henrici voluntas à suis adimpleretur; qui tot hominum voluntates, tam infinita testamenta, euersis monasterijs, templis, aris & sanctorum sepulchris, violauerat.

Iusta Dei iudicia.

Itaque nondum planè expirauerat Henricus

cus, cùm nonnulli qui potentia præualebant, testamentum aliud suppoſuerunt, & Henrici nomine obſignarunt: quo licet pro tempore Henrici liberos à regni ſucceſſione non excluderent; poſt eos tamen omnem ſucceſſionis legitimæ ordinem peruerterunt. Margarita enim Henrici ſeptimi filia maior natu, quæ Iacobo Scotorum regi nupta fuerat, & ad quam poſt Henrici Octaui liberos legibus Angliæ iul regni pertinebat, prætermiſſa; Mariæ ſecundo genitæ eiuſdem Henrici Septimi filiæ (quæ primum Ludouico Galliarum Regi poſtea Carolo Brandono Suffolciæ Duci nupſerat) eiuſque ſoboli legitimam regnandi ſucceſſionem aſſignarunt; eo, ſine dubio, conſilio, prout poſtea rei euentus docuit, vt extincto Edouardo, qui tunc regnum erat initurus, aliquis ex familia Suffolcienſi, excluſis Henrici filiabus, ad regni gubernacula ſubſtitueretur.

Henrici teſtamentum violatur.

Duæ Henrici ſorores.

Deinde nonnullis ex ſedecim illis tutoribus quos Henricus nominauerat, eò quod Catholici eſſent, vel excluſis, vel territis, vel in cuſtodiam etiam traditis; reliqui vnum tantùm gubernatorem hæreticum, qui Protector diceretur, Regi regnoque præfecerunt: qui Regis nomine, arbitratu ſuo omnia moderaretur.

Protector electus.

Poſtremò, Regem ipſum hæreticis Præceptoribus corrumpendum tradiderunt, Henrici leges abrogarunt, nouas cuderunt, fidem Catholicã paulatim exterminarũt, & Zuingliana

hæresim (quam quòd Dominici corporis
gnitatem impugnaret Henricus omnium
ctorum maximè oderat) loco eius introdu
runt. Atque hoc modo Deus Optimus M
mus, qui reddet vnicuique secundum op
sua, variam multiplicemque Henrici per
fidiam, perfidia ac proditione
suorum castigauit.

(·.·)

LIBRI PRIMI FINIS.

DE SCHISMATE ANGLICANO:

PER EDOVARDI REGIS Sexti Tutores in hæresim Zuinglianam commutato;

AC DE EODEM PER MAriam Reginam deinceps sublato:

LIBER SECVNDVS.

PRAEFATIO.

POstquam Deus vidit, nonnullos Anglos in eam cogitationem incumbere, vt visibilem Ecclesiæ gubernationem à Petri successore, cui eam Dominus commẽdauerat ablatam, sæculi Principibus tradituri essẽt, clementissimè prouidit, vt nec alteri priùs quàm Henrico, non minùs Lutheranorum & Zuinglianorum, quàm Catholicorum persecutori, nouus hic Anglicanæ Ecclesiæ primatus obueniret; nec huic ipsi alia quàm turpis-

Dei iudicia in Anglicanos hæreticos.

sima & planè detestabili occasione contingeret. Neque enim Deus permisit, vt Henricus alia ratione aut via caput Ecclesiæ Anglicanæ fieret (vt iam demonstratum est) quàm si primo sanctissimam vxorem suam Catharinam repudiaret, Annamque Bolenam in primo & plus quàm primo gradu affinem, vel filiam potius propriam, viuentis Catharinæ loco duceret.

Primum caput Ecclesiæ Anglicanæ.

Porrò cùm post tanta Henrici flagitia, schismatici Angli eundem Ecclesiæ Primatum ad huc etiam [seculi] Regibus deberi contenderent, iterum benignus Dominus malitiam illorum rerum ipsarum vi & pondere cohibitarum benignissimè prouidit; ne alius Rex cui nouo institutis iste Primatus secunda vice deferri posset, Anglis obtingeret, quàm puer; qui se ipsum quidem, per naturam legesue diuinas aut humanas, nedum tot presbyteros & Episcopos, quibus tamen in ijs quæ Dei sunt, etiam summo gradu præficiebatur, nouerat gubernare.

Secundū caput Ecclesiæ Anglicanæ.

At cùm ne sic quidem Anglicani protestantes errorem suum corrigerent, Deus in sua bonitate progrediens, tertiò prouidit; ne alius huic puero succederet, qui summum Caput Ecclesiæ Anglicanæ dici posset, quàm fœmina; quæ neque in Ecclesia cum autoribus loqui posset, nedum Ecclesiæ summam Gubernatricem dici debere, iam ante ex Pauli Apostoli verbis diceram. Illi autem nec ista quidem Dei misericordia emendati, secundum duritiam suam & impœnitens cor, thesaurizant sibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei.

Tertium caput Ecclesiæ Anglicanæ.

Quis nunc aut Dei sapientiam & bonitatem satis

satis admiretur? aut hominum insipientiam & malitiam satis deploret? Qua enim ratione Deus bonitatem & sapientiam suam magis magisque commẽdat, dum Anglicanis Protestantibus nullam peccandi occasionem nisi primo turpissimam; deinde turpissima turpiorem; ac demum supra quàm dici potest exectabilem relinquit: eadẽ ipsa ratione Protestantes magis magisq; in malo progredientes, gradatim suas iniquitates complent. Primùm enim à Petri successore ad Neronis ventum est successorem, à Pontifice ad Regem, à presbytero ad laicum, à pastore ad tyrannum. Deinde inter laicos vẽtum est à viro ad puerũ, de cuius actis nunc mihi dicendum erit; à puero autem venietur ad fœminam, de qua libro tertio nonnulla dicentur.

Dei bonitas & Anglorũ cacitas.

Vt autem superiori libro non obscura neque pauca diuinæ vltionis argumenta, in primos huius schismatis inchoandi autores ac fautores vidimus: ita multò magis hoc ipso, quem nũc ingredimur, libro, manifestissimã mirabilemque Dei vindictam in eos omnes perspiciemus, qui ad id ipsum schisma perpetuandum ac augendum; aut ad hæresim introducendam, operam aut autoritatem suam vllo modo adhibuerunt.

DE EDOVARDI Regno:

PARS PRIMA.

QVamprimùm ac iis qui rerum potiebantur, visum est, Henrici octaui mortem (aliquot dies occultatam) diuulgare statim: douardus Henrici ex Iana Seymera filius, nonum ætatis annum agens, Rex Angliæ & Hyberniæ pronuntiatur; nec solùm, sed etiam qui sub tutoribus instar serui adhuc egit: & capite alio egebat, fit Summus Ecclesiæ Anglicanæ & Hybernicæ in terris Caput, proximè secundum Christum ipsum perindè quasi Christus, qui per Prophetam suum, Væ illi terræ denũtiauit, cuius Rex puer esset, tamen dilectam Ecclesiam & sponsam suam puero, ac pænè infanti regendam & moderandam, idque in summo gradu, commisisset. Sed ita Deo placuit rebus ipsis patefacere, quàm iniustè Henricus octauus eum sibi titulum primus mortalium arrogasset; quem absurdissimè à seipso susceptum, multò absurdiùs ad hæredem suum impuberem transmissurus esset.

Galat. 4.

Ephes. 4.
Ephes. 5.

Post Regis autem noui declarationem, cùm nihil priùs putaretur faciendum, quàm vt vltima nuper defuncti Regis voluntas executioni mandaretur; admirabili iustitia Dei factum est, ne quid priùs fieret quàm vt eadẽ totum eius testamentum irritum planè redderetur.

Anno 1546.

Qui

Qui enim tàm infinitas (vt iam diximus) aliorum voluntates, etiam pietatis causa nitentes, euersis Monasterijs, Ecclesijs, Altaribus, quæ illi ad inuocandum Dei nomen sanctè erexerãt, impiè violasset; quomodò pateretur Deus, vt eius vltima voluntas vel ad vnius horæ momentum, etiam ab ijs quibus maximè fidebat, obseruaretur? Constituerat Henricus impuberi filio suo iam nonum ætatis annum agenti, sexdecim gubernatores æquali potestate, vt si vnus quispiam ex Optimatibus regnũ inuaderet, aut filio iniuriam facere conaretur, non deessent, qui teneram eius ætatem propugnarent. Ex his tutoribus cùm nõ pauci essent Catholici, eamque ob causam, ad Ecclesiæ Catholicæ vnitatem, totius regni statum reuocare cuperent; præsertim quòd ea etiam mente Henricum & aliàs, & maximè iam moriturum fuisse cognouerant, alij ex eodem numero, scientes multò plus præsentis commodi & lucri per Ecclesiarum direptionem, quam per rerum ablatarum restitutionem acquiri posse; non solùm ab ea sententia dissenserunt, verùm etiam vlteriùs in schismate progrediendum iudicarũt.

Henrici testamentum violatur.

Tutorum dissensio.

Ecce igitur Edouardus Seimerus, Ianæ quõdam Reginæ frater, Edouardi Regis auunculus, tunc Hertfordiæ Comes, sed paulò pòst à seipso factus Somersetj Dux; neglecto Henrici testamento, cùm Zuinglianus esset, alijs cohortantibus, alijs conniuentibus, alijs ne contradicere auderent metu perterritis, & pænè solo Thoma Vrislæo viro Catholico, quem Henricus summum regni Cancellarium moriens reliquerat, palàm se opponente; seipsum

Edouardus Seimerus protector.

creauit solum & vnicum Regis tutorem, regniq́ue protectorem. Nec dubitari poterat, quin hic vir à nullo missus, verùm à se ipso veniens, officio suo egregiè, scilicet, functurus esset.

Ierem. 23. Ioan. 10.

Statim verò atque summam dignitatem adeptus est, augere voluit hæreticorum ac fauentium potentiam; itaque Regi puero auctor fuit, vt ad tertium Calendas Martias; id est biduò antequam ipsi Regi diadema imponeretur, nouorum honorum accessio tàm Protectori quàm amicis, Regis nomine fieret: factus est ergo Protector Somersetus Dux; Parrus vero Essexiæ Comes, qui Catharinæ ab Henrico relictæ frater erat Marchio Northantoniæ declaratur; Ioannes Dudlæus Lisiensis Baro, Warwici Comes constituitur, Thomas Seimerus Protectoris frater, Sudliæ fit Baro & suprema Classis præfectus; Richardus Riccius ac Edmundus Scheffeldus equites aurati, renuntiantur Barones; hæretici omnes, præter vnum Dudlæum, qui nihilominus hoc tempore tam hæresi quàm Protectoris voluntati studiosissimè seruiebat; ea tamen intentione, vt euentus postea docuit, quò per gratiam ac autoritatem Protectoris euectus, Protectorem ipsum ac amicos perderet. Thomam verò Vrislæum Cancellarium; etsi, ne pro officij sui autoritate resisteret, Suthamtoniæ Comitem declararent; postea tamen & magistratu se abdicare coegerunt, & ex senatu Regio tam illum quàm Arundeliæ Comitem, quòd essent Catholici, eiecerunt; omnemque gubernandi autoritatem ad vnum Seimerum protectorem detulerunt.

Honores distributi protectori ac amicis hæreticis.

Ille

Iſte ergo nunc ſub hoc Protectoris nouo & contra Henrici voluntatem, vſurpato titulo, omnium rerum potitus; & non modò Prorex, ſed etiam Propapa Angliæ factus (quicquid enim vel Regis vel capitis Eccleſiæ appellatione continebatur, ad ſe hoc Protectoris titulo interpretatus eſt pertinere,) cunctaque tam ciuilia quàm Eccleſiaſtica adminiſtrans, voluit Eccleſiaſticos omnes, ad nulla poteſtatis aut iurisdictionis exercitia aliter accedere, quàm ex nouis & ſpecialibus noui Regis, hoc eſt, ſuis mandatis adeò vt nullus, nec Epiſcopus nec Archiepiſcopus, ſiue à Papa ſiue ab Hērico antea creatus, ne ſacros quidem ordines deinceps, ſine Regis pueri noua ac peculiari licentia & commiſſione (adhuc enim vſque ad alium conuentum ordinum poſtea initum, ritu & ceremonijs antiquis licet in ſchiſmate, clerici ordinabantur) conferre potuerit. Cranmerus ergo ipſe Archiepiſcopus Cantuarienſis (res mira) non aliter, quàm nouis Edouardi mandatis; ijſque non ſemper ac abſolutè, ſed pro beneplacito pueri, datis ac duraturis; poteſtatem ſuam exerceri cogitur. Ita enim ad iſtum Angliæ Primatem Rex literas ſcribit.

Auctoritas protectoris tã Eccleſiaſtica quàm ciuilis.

Edouardus Dei gratia, Angliæ, Franciæ & Hyberniæ Rex, ſupremum in terris Eccleſiæ Anglicanæ & Hybernicæ, tàm in cauſis ſpiritualibus quàm temporalibus, Caput; Reuerendo Thomæ Cantuarienſi Archiepiſcopo, ſalutem: &c. Quandoquidem omnis iuris dicendi authoritas, atque etiam iuriſdictio omnimoda, tàm illa quæ Eccleſiaſtica dicitur, quàm ſecularis; à Regia poteſtate

Forma reſcripti Regij ad Archiepiſcopum.

potestate velut à supremo capite manat, &c. Ad ordinandum igitur quoscunque intra Diœcesim tuam Cantuariensem, & ad omnes etiam sacros & presbyteratus ordines promouendum, per præsentes ad nostrum beneplacitum duraturas, tibi damus potestatem.

Hæc atq; huiusmodi cùm protector Seimerus faceret, cumque Zuinglianæ sectæ addictus, non probaret quæ reliquerat Henricus, nihil antiquius habuit, quàm vt degeneren illam & mutilam religionis formam ab Henrico præscriptam, multò adhuc magis polluret & contaminaret. Henricus enim Monasteria quidem omnia deiecit, locupletissima Sanctorum Martyrum Mausolæa diripuit, nonnullas præterea Diuorum statuas & imagines quas Deus miraculis illustrasset, deturbauit sed tamen in ciuitatibus, in oppidis, in collegijs, in pagis, Ecclesias infinitas à maioribus constructas, vbique sartas tectas præstitit, omniaque illis ornamenta, cruces, imagines, vasa, vestimenta salua & integra dimisit: Sacramenta etiam septem in honore semper habuit; denique hæreses pænè omnes, præter illam quæ Romani Pontificis Primatum & Monasticas religiones oppugnabat, cohibuit, & repressit.

Protectoris intentio.

Non omnia deiecit Henricus.

Cæterùm nouus hic Edouardi Protector & cætus ei adhærens, existimauit non esse satis; populum Dei à cõmunione & obedientia Ecclesiæ ac Pontificis Romani sicut Henricus, distrahere; nisi exemplo etiam Ieroboam nouos Deos; id est alios colendi & orandi ritus, aliam credendi legem; sacerdotes denique alios constitu-

constitueret, qui extra ordinem & morem Romanum creati, diligentissimè prouiderent, ne vnquam postea ad Apostolicæ sedis obediẽtiam redirent. Hoc ergo consilio primùm, per vniuersum Angliæ Regnum ventos cohibuit, ne flarent super terram, indicto videlicet Episcupis & pastoribus Ecclesiarum omnium silentio: vt cum nemo esset qui paruulis petentibus panem frangeret, deinceps Lutheranorum & Zuinglianorum, quibus solis concionari permissum est, mortifera venena tantò auidiùs à famelicis populis haurirentur.

Apoc. 7.

Ablatum Dei verbũ.

Atque nunc tempus ac patrocinium opportunum ad rem suam benè factitandam nacti hæretici, vndique, qui antea se sententiamúe suam occultabant, in publicum prodeunt, & imprimis Thomas Cranmerus, quem ad illius infausti diuortij sententiam ferendam, ex domo Annæ Bolenæ Archiepiscopum Cantuariensem ab Henrico creatum fuisse diximus. Hic vir hactenus Henricianum, id est, illius Regis sectatorem in omnibus se præbens, ne latum quidem vnguem ab Henrici præscripto recedere ausus, sacrificio Missæ interfuit quotidie, statis etiam diebus id ipse solemniter obtulit; vnum illud molestissimè tamen semper ferens, quòd meretricem quandam suam non poterat palam vxoris loco liberè habere, quia id non laturum Henricum sciebat, sed partim domi eam occultare, partim cùm foras prodiret, cista quadam ad id affabrè facta inclusam, secum vnà circumferre cogeretur. Iste ergo iam desijt esse Henricianus, & tam ex immatura Regis Edouardi ætate, quã ex protectoris

Hæretici ex antris prodeunt.

Cranmerus.

tectoris in sectas summa propensione, suæ ti-
tim simul & libidini & hæresi habenas laxa-
das censuit, nam & scorto suo mox est publi-
pro vxore vsus, & Catechismum Edouardo de-
dicatum, falsæ impiæque doctrinæ plenum, i-
lucem edidit.

Hugo Latimerus.

Eodem tempore ex publicis pulpitis ape-
ruit impurum os, Hugo quidam Latimerus
quem Hēricus priùs propter suspicionem hæ-
reseos, & comestam carnem in feria sexta Se-
ptimanæ Sanctæ, de Vigornienſi Episcopa-
deturbarat: homo spiritu & sermone pla-
Lucianico; qui iocis, salibus ac linguæ pe-
lantia (qua omnes illius temporis sectari-
facilè superabat) vulgus imperitum multu-
dementauerat, ac ita fascinauerat, vt pass-
eum primum Anglorum Apostolum vocau-
rint; tanquam is primus in patria sua, non A-
gustinus à beato Gregorio missus, verum Eu-
gelium annunciasset.

Couerdallus Hopperus.

Aduo!_runt quoque ex Germania & He-
uetiæ varijs locis quo fugerant, velocissim-
vel Lutheranam vel Zuinglianam in Religio-
ne docti sententiam, Milo Couerdallus Bibli-
orum sacrorum corruptor insignis, Ioann-
Hopperus, ac alij sceleratissimi apostatæ pe-
multi. Quibus omnibus, Archiepiscopus &
Protector Regio nomine, concionandi; id e-
(vt tum res erat) quiduis garriendi copiam fe-
cerunt; ipsorumque nonnullis, vbi vacabant
tum cætera beneficia ac dignitates Eccleſiasti-
cas, tum etiam Episcopatus donarunt. Tales
ergo nactus Protector impios consiliorum su-
orum socios ac ministros, omnem operam de-
dit

Protectoris studium in corrumpendo Rege.

dit; primùm vt dum Rex puer esset ac totus in ipsius constitutus potestate, quàm posset citissimè, Catholicam fidem aboleret è ditionibus ipsius vniuersis; deinde vt Regia pueritia hac hæreticorum doctrina ita planè imbuatur, vt sui iuris postea factus, auunculi facta non improbet, sed perpetuò tueatur ac defendat. Dantur ergò illi ad eam rem, præter cæteros aulicos, commilitones ac collusores, nobiles adolescentes, omnes planè infecti; pædagogi duo hæresi in primis insignes, Richardus Coxus vxoratus sacerdos, & Ioannes Checus laicus; vterque Latinæ & Græcæ linguæ cognitione satis apud suos nominatus, qui facilè vna cum prima Grammatices institutione, sic instillarũt vuerili Regis animo, Salsos de Deo, Pontifice, Sacerdotibus, Ecclesia, ac omni Religione conceptus, vt breui plus quàm pro annis, Religionem Catholicam exosam habuisse dicatur.

Pædagogi ac socij.

Fœminæ corruptrices

Ad hoc etiam non parum opis attulerunt Henrici duæ vxores, Anna Cliuensis & Catharina, quæ adhuc viuebãt, & quædam aliæ principes fœminæ ac puellæ, hæresi (vt in illo sexu sæpè fit) deditissimæ; quæ sæpè in aulam ac ad Regis colloquium venientes, sermonibus ac moribus illecebrosis, cor adolescentis ac aliorum insipientium facilè peruerterunt.

Matrimonium tractatum inter Mariam Scotiæ & Edouardum Angliæ Reges.

Dederunt etiam primo quoque tempore omnem operam, Protector & cæteri Regis cõsiliarij, vt quod cœptum erat Henrici temporibus, de matrimonio inter Edouardum & Mariam Scotorum Reginam tractari, & semel ordinum Scotiæ consensu promissum confectũque

que videbatur, iam tandem vtriusque Reg
comitijs certum ratumq; haberetur: nam h
ad hæreseos propagationem ac stabilitate
atque adeò ad imperij Anglicani securitate
summoperè pertinere videbatur. Sed cum
teris, nuncijs, muneribus, pollicitationib
armis etiam ac quibuscunque poterant mo
id tentassent, quod cupiebant Angli non
consequuti, Partim enim in Scotia restiter
ij; qui fœdus Gallicum acriter tuebantur
illud Anglicanæ amicitiæ præferebant; p
tim etiam illi qui Scotiam patriam, ac prin
pem suam in Anglicani schismatis infeli
sortium venire noluerunt; sicut nec Pon
voluit, huius nuncius Patriarcha Venetus
iam tempore Henrici octaui, id ne facere
pud Scotos diligentissimè laborauit, ver
ne per illam coniunctionem, Religion
Scotia euersio, Ecclesiarumque ac Monas
orum demolitio sequeretur.

Vniuersitates corrumpendi studium.

Sed vt res nostras prosequamur, hæreti
qui rem Anglicanam eo tempore admini
bant, proxima post Regis infectionem de
cademijs corrumpendis cura erat, vt illis
ligionis ac disciplinarum fontibus infectis
ciliùs in vniuersam Rempublicã manaret
es, & in illa gente præ cæteris multis refe
solet in vtramque partem plurimum, quo
do vniuersitates sint affectæ. Atque quæd
improba & nouitatis cupida ingenia, iam
tea ex libris Lutheranorum è Germania cl
illatis, istud Venenum hausérãt, sed quia C
legiorum ferè Rectores, homines in illa na

one magni loci & authoritatis, ac professores omnium artium veteris disciplinę ac fidei erãt tenaciores, Gymnasia ipsa nõ ideò adhuc infecta extiterant, & ægrè admodũ doctiores quiq; ab auita religione initio diuellebantur, vt hic aduersarijs magno molimine & artificio opus fuerit.

In primis igitur Regia authoritate & nomine instituta est Vniuersitatum Collegiorũque omnium visitatio: in qua piorum Fundatorum sanctissima ad religionis studiorum ac disciplinæ obseruantiam facta decreta, visitatores isti abrogant; eorumque loco nouas leges ad sectam suam ac ad iuuenilem licentiam accommodatas condunt: Catholicis doctoribus & Ecclesiasticis, cathedras ac pulpita auferunt, eaque petulantis linguæ & blasphemi oris iuuenibus distribuunt: Gymnasiorum moderatores varijs confictis calumnijs oneratos, vel apertè de fide Orthodoxa accusatos, muneribus suis priuant: pestilentissimos hæreticos, qui iuuentutem fide ac moribus corrumpant, eorum locis substituunt.

Vniuersitatum visitatio.

Doctrina scholastica explosa.

Libros omnes eorum magistrorum qui vi & ratione Theologiam cæterasque disciplinas tradiderunt, quia istorum solida doctrina & methodica institutione; hæreticorum populares fraudes non difficulter cerni & dispelli sciebant, è studiosorum manibus & ferè è bibliothecis excutiunt; Lombardi, Aquinatis, Scoti, cæterorumque doctissimorum scholasticorum nomina, de barbarie, scripturarum ignoratione, & varia deceptione traducunt, memoriamque quantum possunt damnant:

denique ne quicquam ad summam & impie-
tem & stultitiam in hoc genere deesset, effec-
runt, vt petulantes iuuenes horum Scripto-
rum tanquam iam recenter mortuorum, inge-
tem conquisitam struem, in ludicro spec-
culo per vrbem in feretro circumferrent
demum in foro cum cantibus luguribus cu
cremarẽt. Hoc appellabant funus seu exequ
Scoti ac Scotistarum. Ergo pro solidè doc
tàm Theologis quàm Philosophis, implan
runt primùm Academias, & postea vrbes to
us regni præcipuas, nouis oratoribus, stul
adolescentulis Poetis & grammaticis; qui c
mœdijs, picturis, cantilenis, carminibus ac
sum delicatè, ac mimicè compositis, ad sect
perditiones omnemque vitæ licentiam, in
ritos homines pellicerent.

Fuisse autorum scholasticorum.

Sed quia viderunt hæretici multa me
ingenia ex priori Catholica institutione
rentumque ac præceptorum (quos nouis
magistris, doctrina, grauitate, morum
honestate meritò præponebant) autorita
in fide adhuc manere; ex Germania aliqu
locis vicinis, homines ad fraudem magis ex
citatos, quàm primùm accersendos censuerun
Anglos enim solidioris doctrinæ ferè omn
quòd essent in Romanam fidem propensiore
exautorarũt, Euocant ergo ex Germania Mar
tinum BVCERVM, insignem hære
cum & apostatam, & qui tunc Argentora
exulabant, Petrum Martyrem, & Bernardinu
Ochinum Italos, aliosque huius farinæ impi
rissimos apostatas plurimos; quos partim Lo
dini in synagogis, quas pro omnium nationum

Hæretici ex alijs locis in Angliam venerunt.

Bucerus.

Martyr.

Ochinus.

secta

sectarijs Edouardi Regis Tutor ibidem aperuerat, collocant, vt dum quisque sua lingua quotidie cõcionaretur, nostri homines, & præsertim aulici, mercatores, ac onustæ peccatis fœminæ, (quod genus apud nos & vbique locorum facillimè hac peste corripitur,) Gallicę in primis ac Italicæ linguæ suauitate & nouitate delectati, vnà cum sermonis delitijs, quas hæretici præ cæteris in dicendo & concionando consectantur, hæreseos ac curiositatis virus vel sponte vel incautè imbiberent: partim, & maximè in Academijs, ad liberalium artium linguarumq; non solùm doctarum sed variarũ nationum vulgarium professionem admiserunt, ne vlla fraus deesset aut diligentia ad iuuentutis deceptionem. Ampliora tamen stipendia ac præmia Bucero & Martyri vt hæreticorum antesignanis, ac vel ob id magis solidè doctis, quòd in scholis Catholicorum ante defectionem non malè versari dicerentur assignarunt; quos propterea primarijs Theologiæ cathedris, illum Cantabrigiæ, istum Oxonij præfecerunt; additis antiquis professorum honorarijs, præbendis Canonicalibus, alijsque commoditatibus permagnis. Atque isti exteri hæretici primùm, ac horum exemplo & doctrina alij non ita multò pòst, noui Gymnasiarchæ ac Canonici, replerunt castissimè priùs instituta, ac instar monasteriorum exactissima disciplina administrata Collegia, vxoribus, ancillis, puellis, lapsis monialibus, alijsque impurissimis fœminis; quas vel ex Germania secum attulerant, vel in Anglia corruperant: quarum consuetudine

Vxores ac meritrices in Collegia adductæ.

multum remollescentes & paulatim labefi
ctati studiosorum animi, ad hæresim capes
dam aptiores reddebantur.

Iuuentus cogitur ad hæreticorũ conciones.

Iam verò cùm cæteri noui magistri, tũ
maximè isti, quos diximus Theologastri, ex
perunt tandem ex pulpitis & cathedris profe
sioni Theologicæ olim assignatis, suo mo
docere vel potiùs declamare, omniq́ue ad fa
lendum composito artificio vti. Ad quos, si
guli non modò Theologiæ (vt olim) can
dati, qui reliquas necessarias artes antè did
cerant: sed iuuenes ac adolescentuli, pue
etiam omnium classium, qui Latinè loqu
tes intelligere potuerant accedere; eorum
lectiones & conciones quotidie audire
coacti. Quò enim quique minori erant æ
ac doctrina, & iudicio imperitiores, eò e
istorũ fraudibus magis obnoxij. Istorum e

Varij iuuẽtutem corrumpendi modi.

rudioribus animis, ac prurientibus cæteros
auribus primùm ex difficilioribus scriptur
locis varijsque de præscientia, prædestinat
ne, reprobatione æterna, rerumque ac eve
tuum necessitate impijs tractationibus, infu
larunt incredibilem curiositatem, & de reb
summis cõtendendi libidinẽ. Alijs ex locis
prętextu asserẽdę Christianę libertatis, omn
illa quæ ad licentiam vitæ ac morum induce
dam facere videbantur, diligenter propo
bant: vt inde Confessionem, Pœnitentias, e
erum ac ieiuniorum obseruationes, omnes
Ecclesiæ ac superiorum præceptiones contem
nendas iunioribus non ægrè persuaserint. E
alijs demùm scripturis, quæ apud eos quorum
sensus non fuerunt in rebus diuinis exercitati,

vide-

videbantur facere pro sectarijs; vt de sacramẽti duplici specie, de officio precum in lingua vulgari, ac similibus; ita fidem Maiorum nostrorum in ijsdem tractandis eleuarunt, suam sinceritatem commandarunt, animosque suorum præoccuparunt: vt exinde, in quibuslibet controuersis locis, maximisque mysterijs explicandis, etiam vbi sacri contectus verba, circumstantiæ, omnisque antiquitas apertè sonent pro Catholicis; lubenter istorum falsissimis ineptissimisque commentarjjs omninò acquiescant; atque ita tandem discipulos suos condocefecerunt, vt quaslibet de Deo, de sanctis, de Sacramentis, de Sacrificio, impias opiniones facilè hauserint.

Iudicium de Patribus.

Atque de Patribus, antiquis Ecclesiæ doctoribus, vel singulis, vel in Concilio collectis, ita apud suos differebant: eos fuisse homines (ac si Protestantes nihil humani haberent) & non modo errare potuisse; sed in multis) quod vndique ex singulorum scriptis incommodè aut malè intellectis sententijs fraudulenter congestis, demonstrare nitebantur) turpiter hallucinatos fuisse. Et Augustinum quidem ex præcipuis vnum, etiam errata sua confessum esse, & peculiari libro multa retractasse; sæpeque itẽ admonuisse omnes ne sibi aliter quisquam crederet, quàm videret id esse scripturis consentaneum quod affirmaret.

Fraudes periculosæ.

Ac mox captiosa Apostrophe compellantes auditores, scisscitabantur; vtrum æquiùs esse putarent Scripturis sacris, quæ errare non possent credere; an Doctoribus, hominibus scilicet qui falli possunt & fallere: se enim id

tantum requirere dicebant, vt omnes Deo potiùs cedant, quàm hominibus.

Hac fraude, imperiti permulti decepti, non aduerterunt antithesin seu collationem, non faciendam esse inter Scripturam & Patres: nec in eo versari quæstionem; vtrùm magis Deo an hominibus, Scripturis vel Doctorum libris sit tribuendum: sed illud potiùs, vtrum quoad Scripturarum intelligentiam & expositionem istis paucis, indoctis, nouis; turbulētis ac sceleratis trāsfugis, securiùs; quàm illis antiquissimis, sanctissimis, ac doctissimis Patribus vel singulis, vel simul omnibus credendum sit.

Adolescentium deceptio.

Hoc miseri adolescentes tùm non obseruantes, suis magistris, ac si non aliud quàm Deo eloquia funderent, sine exceptione obtemperabant; Doctoribus autem ac Concilijs, non liter, nisi quatenus sacris literis consentanea dicerent. Cuius rei vel se ipsi, vel suos præceptores faciebant iudices.

De Ecclesia & Ecclesiasticis.

De Ecclesia, Episcopis, Presbyteris, ac Pastoribus, quia multos horum nomine & autoritate, in auita fide retinere cernerent, admonebant; illam fœminam esse, & debere obedire viro suo; id est Christo in sacris scripturis loquenti: istos, non debere eleuare se super populum Dei, cùm omnis multitudo sanctorum sit, & ad clerum partemque sacerdotalem non minus quàm illi quos clericos & presbyteros vulgus vocat, pertineat: ita cùm Chore schismatis autore, passim concinebant isti.

Biblia autem sacra, quæ illi omnem veritatem

tem complecti dicebant, ita data opera seu Latinè seu Anglicè versa & peruersa, legenda proponebant, vt in eis, *Ecclesiæ Presbyteri, Sacramenti,* ac similium vocabula, quorum vel venerandis nominibus, & notionibus, antiqua religionis veritas contineri, & plurimi in vetusta fide teneri videbantur, nusquam extarent: pro quibus substituerunt, *Congregationem, Seniorem, Secretum,* & huiusmodi vocú nouitates. *Bibliorum corruptio.*

Illud autem ab Apostolis ipsis, veræ Ecclesiæ, ac ritè Christum colentibus Christianis, vt ab hæreticis hominibus ac conuenticulis discernerentur, attributum *Catholici* nomen, quo solo, multi à sancto Augustino edocti, in Ecclesiæ gremio tum retinebantur; partim falsa interpretatione eludebant; partim sibi & suis, sed timidè vsurpabant; partim ridicula inuersione in *Cacolycum* mutarunt, ac nonnunquam etiam cum Donatistis diabolicum esse inuentum, ac sine verbo Dei institutum dixerunt. *Nomen Catholici.*

In Papam incredibili semper scurrilitate, ex quolibet textu scripturæ insanè debacchati sunt, & maximè in festo sanctorum Petri & Pauli; simili etiam nequitia & absurditate, cùm haberent conciones funebres, (sæpe autem habebant in diuitum aut doctorum virorum exequijs) disseruerunt semper contra preces pro defunctis; vehementer contendentes, ne quis pro anima eius, cuius depositionis dies agebatur, oraret: & cùm ordinarios quadragesimales sermões, (qui mos adhuc ab hæreticis *Conciones eorum quales.*

ticis seruatur) facerent, semper contra præ-
scripta ab Ecclesia ieiunia declamabant. Hoc
modo in Academijs nostris, præcocioris ac
turbulentioris ingenij homines, ab istis nouis
professoribus intra paucos menses formati
permulti, qui ex Ephebis vix excesserant, pri-
misque labris meliores literas nondum gusta-
uerant, incredibili audacia suggesta conscen-
dunt, ac per totum regnum disseminant ea
quæ ab istis peregrinis præceptoribus paulo
ante didicerant.

Epist. 103.

Iam in omnibus officinis & tabernis, in po-
pinis & fornicibus, de fide inibatur disputatio
sacram scripturam (vt Hieronymus olim
questus est) garrula anus, delirus senex, sophi-
sta verbosus, vniuersi denique præsumebant
lacerabant, docebāt antequam discerent. Ad
philosophabātur inter mulierculas, alij dis-
bant à fœminis, quòd viros docerent. Præcipu
autem Apocalypsis quæ tot habet Sacramenta
quot verba, in omnium ore versabatur. Inde
Protestantes sua dogmata confirmabant; inde
ad sensum suum incongrua aptabant testimo-
nia, magna id audacia edisserentes alijs, quod
ipsi non intelligebāt. Nec alij cuiquam tùm (vt
in sectarum maximè initijs fieri solet) vacabat
Angli, quàm vt aliquid noui dicerent aut do-
cerent.

Scripturæ sacræ Theologicæ ab omnibus terun-tur.

Primorum hæreticorū in fide fluctuatio.

Hactenus tamen nihil in ista noua secta certi
habebatur, præter illud vnum quod cum Ca-
tholica fide nihil sibi ferè cōmune intercedere
vellent. Et Bucerus ac Martir ex quorum iudi-
cio scholæ penè omnes pendebant, assertio-
nem diu cohibebant suam, his tantùm quæ dixi-
mus

mus prolegomenis ad quamlibet hæresim indifferentibus vsi. Animas enim isti & linguas habẽtes vænales in secta constituẽda omninò à Cranmero Archiepiscopo, qui adhuc vltra Lutheranismum non erat progressus; is itidem à Protectore pendebat, qui in Zuinglianismũ (licet sententiam suam vsque ad futurum ordinum Conuentum occultaret) propensus videbatur. Bucerus autem etiam in Iudaismum, vt potè ex Iudæis oriundus, multum putabatur procliuis. Sanè post eius obitum regnante Regina Maria, illustris dominus Baro Pagettus Catholicorũ tunc Regum Consiliarius dignissimus, testificatus est; se præsentẽ, ac eius apud Dudlæũ Ducẽ Northumbriæ interpretẽ fuisse, cum eidem Duci suam de reali Corporis Christi in Sacramento præsentiæ sententiam interroganti, ingenuè responderit; de vera corporis præsentia nullam meritò dubitare posse, qui non dubitet de fide Euangelistarum: non tamen is ego sum (subiecit) qui certò ea omnia credenda existimem, quæ in nouo testamento de Christo & eius actis scribuntur; quanquàm nec hactenus apertè negare libuerit. Atque ista homini, quem sciebat non multum de vlla religione esse sollicitum, liberè dixit. Cæterum scriptione ac publica professione Lutheranismum ad Anglicanæ sectæ normam aliquantulum modificatum & temperatum, vsque ad mortem tenuit.

Buceri impium responsum contra Euãgelistas.

Petrus Martir, magis molliter & seruiliter se in sectæ & doctrinæ suæ accommodatione gessit. Nam Lutheri hæresim quam in Germania imbiberat, & illinc in Angliam secum adue-

Petri Martiris fluctuatio ac perfidia.

uexerat, non aliter nec diutiùs defendendam vel retinendam statuit; quàm id Cantuariensi & Protectori visum esset: nosque ipsi qui hæc scribimus, eum docentem audiuimus, cùm impium quendam de Eucharistia ac corporis Christi præsentia tractatum ex historia Cœnæ Dominicæ, & maximè ex vndecimo capite prioris epistolæ ad Corinthios adornaturus, in eam tractationem ita est ingressus, vt anxius ac pendulus prorsus hæreret; veterumnè Protestantium, ac nouorum Sacramentariorum sibi esset dogma defendendum. Quid enim Archiepiscopus præscriberet, quid Parlamentum sequèdum constitueret; quod tum actum erat, & de re tota prolixè deliberabat; quid demum Protector docendum mandaret, miserrimus homo ex aula in dies expectabat. Quorum tandem per literas Cantuariensis comperta voluntate, se subitò in Caluinistam transformauit, & deinceps vsque ad mortem vel Caluini vel saltem Zuinglij sectam est consectatus; magnus sanè (vt Diuus Augustinus de Fausto Manichæo dixit) diaboli laqueus: qui verbo, scriptione, doctrinæque ac eloquentiæ opinione plurimos seduxit.

Petri Martyris mollicies ac libido.

Moribus tam mollis & effœminatus etiam in senectute, ex illius coapostatæ monialis suæ consortio extitit, vt & in illa iam mortua oratione funebri publicè deflenda, turpissimè se gesserit; & Ioanni Checo regio Præceptori, eum de vxoris morte per literas consolanti, sic responderit: se ita valere, atque ita suæ coniugis charissimæ obitum ferre, vt homo omnino di-

nò dimidiatus poterat. Delicatus Monachus, adeò solus esse non potuit, vt à fœminis diuulsus, non se integrum, sed mutilum planè & dimidiatum existimauerit: cui tamen defectui libidinosus senex ex alijs nuptijs dicitur medelam postea attulisse. Talibus heu authoribus ac doctoribus infœlix Anglia perijt.

Sed iam Comitia publica Londini habebantur pridie nonas Nouembris cœpta; vbi de tota fide & religionis formula, nouaque credendi ac colendi norma constituenda, à prophanis & impijs hominibus consulebatur. Et primùm quidem statuitur ac cauetur diligentissimè, vt si quæ vllibi bonorum Ecclesiasticorum reliquiæ, ex demortui leonis faucibus per Angliam remansissent; eæ omnes quàm primùm istius noui leunculi vnguibus dedantur. Lege igitur decernitur, vt omnes ecclesiæ, basilicæ, ac oratoria, ad id instituta aut dotata, vt in eis pro defunctorum animabus, orationes, eleemosynæ, aut sacrificia fierent, Regis Edouardi esse deinceps censerentur; Omnes item capellæ, sacella, & altaria, quæ vel annuos cēsus, vel oblationes, vel vllum aliud emolumentum haberent; omnes præterea Congregationes, Sodalitates, aut Confraternitates, ad quoduis genus priorum operū institutæ, fisco Regis cōcedebantur. Quibus sic cōstitutis ad commoda temporalia, quorum prima ipsis cogitatio ac cura fuit transierunt; deinde ad Religionis capita: ac primo loco sancierunt: vt cùm EPISCOPI ac Presbyteri Anglicani, ritu ferè Catholico (excepta ROMANI Pontificis

Anno 1547. Comitia Londini.

Relicta ab Henrico inuaduntur ab Edouardo.

Noua forma ordinandi & administrandi sacramenta.

ficis obedientia quam omnes abnegabant) ad illud vsque tempus ordinati fuissent, in posterum alia omnino forma ab ipsis præscripta, ordinationes fierent, autoritate à puero Rege ad id accepta. Hinc nouum etiam modum Sacramenta administrandi adiunxerunt, & de eare librum publicum. Comitiorum autoritate confirmatum ediderunt.

Deinde cùm non pauci adhuc Sanctorum imagines ac statuæ alicuius eam pretij ac momenti per Angliam viserentur; eas primo quoque tempore tollendas iudicarunt: remissis itaque hominibus quibusdam impijssimis ac audaciss imis, qui hoc sacrilegium aggrederentur; & vnà cùm eis, nonnullis ministris certisque concionatoribus qui imaginum vsum populo dissuaderent (nõ ignorabant enim plebem hoc ægrè laturam, à qua etiam in Prouincia Cornubiensi vnus è Commissarijs Bodæus nomine occisus fuit,) Christi Saluatoris, Deiparæ Virginis, Apostolorum & Prophetarum omnes omninò imagines, tàm pictas quàm fabrefactas, partim deleuerũt, partim combusserunt, eo ipso declarantes, cui bellum indicerent, & contra quem venirent. In locum verò deiectæ crucis Christi surrogarunt Regis Angliæ insignia; nempè tres leopardos, & tria lilia, hinc serpentis, inde canis pedibus expansis sustentata. quòd perindè erat ac si dixissent, se non Christum, cuius imaginem contumeliosè deijcerant, sed Regem terrenũ cuius insignia eodem loco erexerant, colere & adorare.

Ablatæ sanctorum imagines.

Henricus rex Protestantium Christus.

Nec his malis contenti Zuingliani tremendum etiam corporis & sanguinis Domini sacrifici-

crificium quod à Catechumenorum prima, fidelium sequente dimissione, Missarum nomen iam olim acceperat, in publicis Comitijs abrogarunt. Nec enim per aliam speciem diripi poterant calices, argenteæ, pixides & cruces, vrceoli & alia sacra vasa, candelabra argentea & ænea, sacræ vestes auro intertextæ, vexilla serica, cereorum, olei & aliorum omniumque cultui diuino dedicabantur pretium, denique ipsi fundi & agri ad has res sustentandas donari, non poterant alio prætextu ferè auferri, & in priuatorum profanos vsus conuerti: quæ omnia horum comitiorum autoritate Regio fisco concedebantur.

Ablatum Eucharistiæ sacrificium.

Quarto autem loco sancitum est, vt Eucharistiæ vtraque species, cuilibet de mysterijs participanti necessariò traderetur.

Officium in vulgari lingua.

Quinto loco decreuerunt, vt sacra officia recitarentur in vulgari lingua. In quo decreto illud perridiculè euenit, vt cùm omnia in Ecclesijs Anglicè legerentur, eò videlicet prætextu, ne populus quid in rebus diuinis ageretur, ignoraret, sed Amen respondere posset: interim neque Vallorum, neque Cornubiensiũ, neque Hyberniorum populus pænè quicquam earum quæ recitabantur intelligeret, propterea quod istarum gentium lingua longè est ab Anglorum idiomate diuersa: Cùm tamen si latinè officia peracta essent, saltem pastores qui latinè sciebant, multa illis quæ in officijs dicerentur, interpretaturi fuissent. Nam proprius vulgarium linguarum locus in concionibus potissimùm cernitur iure quo semper vsa est Ecclesia. Nunc autem, dum in Vuallia, Cornubia

1. *Cor.* 14.

bia & Hybernia, preces Anglicè fundebantur
factũ est, vt minùs quod obtendebatur per lin
guam vulgarẽ, quàm per latinam efficeretur.

Primi ritus ab hæreticis assignati.

Administrandæ autem Eucharistiæ ritus i
illis primis regni comitijs præscripti parum
Catholicorum Missa, distabant; Vt videlicet
populus non putaret quicquam sibi ablatum
sed ea quæ latinè prius legebantur, tantùm
in vulgarem linguam crederet esse transla
Itaque Canon Missarum penè totus ab initio
ad verbum transcriptus fuit. Signa etiam be
nedictæ crucis retenta sunt; illa inquam, qua
manu tantùm Sacerdotis expressa erant. Ce
terùm non omnes Protestantes eodem spiritu
agebantur: qui enim nihil nisi opes ecclesiasti
cas quærebant, parùm curabant si Crucis ima
gines in aere solo designarentur. Qui verò n
poterant ferre, vt vel ita saltem mortis Chri
sti figura & imago in honore aut vsu aliquo
haberetur; breui postea obtinuerunt, vt sol
latis eiusmodi ceremonijs, totoque Canone
remoto, noua Liturgiæ forma proponeretur.

Secundi hæreticorũ ritus correcti.

Quæ Protestantium inconstantia multùm re
tardauit rudẽ populũ, ne eorum doctrina al
sentiretur; dicebat enim; videamus priùs quò
euadent, vbi consistent, & quiescent.

Casus matrimonialis ad Parlamentum delatus.

Proponebantur etiam in publicis comitijs
(tanquam in synodo quopiam Episcoporum)
causæ spirituales, quæ ad Ecclesiasticum ius
constituendum pertinerent. Inter cætera vero
de matrimonio quodam ita definitum con
stat. Opifex quidam fuit cui nomen Matthæo
Barro, cuius vxor, ex qua etiam libros genue
rat, lauabat olim familiæ Cromuellanæ line

as ve

as vestes, in qua dum degebat Rodolphus Sadlerus, non obscuri nominis vir, qui nunc etiam Elizabethæ Reginæ à consilijs est; Matthæus autem iste, nescio qua de causa in transmarinas regiones se contulit, nisi quod quidam existimabãt ei suspectã fuisse vxoris suæ castitatem; & ideò eum abijsse, ne videre cogeretur; quod neque ferre poterat, neque emendare. Cùm ergo annis aliquot abfuisset, vxor ipsius vel audiens vel fingens virũ fuisse mortuũ nupsit Rodolpho Sadlero equiti aurato. Tandem Matthæus in patriam reuersus, vbi intellexit vxorem suam alteri nuptam, eœpit illam repetere. Ex altera verò parte Sadlerus, qui liberos etiam ex ea genuerat, non patiebatur illam à se diuelli. Res ad summum tribunal; id est, ad publica regni comitia tàm sub Henrico quàm sub Edouardo Regibus defertur. Ibi decernitur mulierem istam quæ primùm Matthæo; deinde Sadlero nupta, ex vtroque liberos cõceperat, non Matthæi prioris mariti, sed Sadleri vxorem deinceps habendam esse. Potentior quippè fuit ditiorque Sadlerus, & ideò contra Euangelij veritatem, prioris viri adhuc viuentis vxor, secundo marito adiudicata est; vt nõ minùs nouæ matrimoniorum, quàm sacrorum rituum leges instituerentur.

Comitiorũ sententia contra Euangelium.

Interim Catholici Angli & præsertim doctiores, qui schisma Henrici octaui, saltem post mortem eius reprimendum sperabãt, vbi adeò id non euenire perspicerent, vt potius in multò pestilentiorem hæresim erumperet; partim seipsos accusarunt, quòd primis

Catholicorum dolor ac pœnitentia.

primis initijs fortiùs non obstitissent; partim mœrore ac squalore confecti, miserrimam vi tam traducebant. Qui enim legerant apud sanctum Ioannem Chrysostomum, contra paganos diuinitatem Christi propugnantem, veterem & antiquã patriæ suæ fidem ob hoc ipsum commendatam, quod altaria iam olim in Britannijs erecta Christo fuissent; * (sunt etiam inquit Chrysostomus, in Britannicis insulis extra hoc mare sitis, fundatæ Ecclesiæ, & erecta altaria) cùm illi ijdem iam post mille & paucos ducentos à Chrysostomi morte, eadem altaria non à paganis; verùm ab ijs qui seipsos vocant Christianos, dirui & conuerti espexissent: quo animo par est eos hoc spectasse? quas fudisse lachrymas? quos gemitus edidisse? Nam si altaria Christi olim fuerunt in Anglia affirmante Chrysostomo, Christianæ fidei signa; vti eodem modo altarium deiectio, iam signum est perfidiæ Antichristianæ.

Altaria in Anglia antiquissima.

**Hom. quod Christus sit Deus.*

Atque ingemuerunt quidem & his nouitatibus vtcunq; se opposuerunt Stephanus Vintonienſis, Edmundus Londinenſis, Cuthbertus Dunelmenſis, Nicolaus Vigornienſis, & Daniel Ciceſtrenſis Episcopi, omnes doctrina & grauitate præstantes viri, qui etiam in ordinum conuentu suffragia habebant, religionisque sententia ac interiori affectu Catholici erant. Sed facti Episcopi in schismate Henriciano contra ecclesiam; vel potiùs contra ecclesiam, regio, non Pontificio mandato aut assensu, & pro regia libidine ecclesiasticoque eius primatu stabiliendo; non habebant illum veritatis & fortitudinis spiritum, qui in vnitate Eccle-

Catholicorũ Episcoporũ dolor & firmitas.

siæ Catholicæ ritè ordinatis & inunctis tribui solet. Timidè ergo restituerunt pueri Regis primatui spirituali, imò simpliciter subscripserunt: & in omnes cæteras innouationes, quæ non videbantur ipsis continere apertam hæresim; ne Episcopatus ac honores perderent; vel vltrò, vel contra conscientiam coacti, consenserunt.

Episcoporũ castigatio.

Cuius criminis grauissimas paulò pòst pœnas, primùm sub hoc ipso Edouardo: quia in reliquas omnes hæreses seu (vt tunc loquebantur) Regiæ Maiestatis in reformanda religione progressiones non sunt assensi; ne blasphema quædam illis proposita dogmata, pro concione, vt iubebantur, explicare & comprobare voluerunt; deinde multò magis sub Elizabetha omnes luerunt: depositionem & vt postea dicemus, diuturnos carceres vsque ad mortem patientissimè tolerantes, miseriordiamque simul iustissima Dei in se iudicia collaudantes.

Schisma Anglia generale.

His ergo metu superiora edicta schismatica approbantibus, ac reliquis recens Regio nomine creatis Pseudoepiscopis ad ea stabilienda, sectamque per totum regnum propagandam diligentissimè inuigilantibus, secundum tempùs lege comitiorũ designatum, tremendũ Sacrificium cæteraque omnia officia & sacramenta Catholico ritu publicè fieri omnino desierunt: Nec vnus videbatur in regno toto, qui falsorum Officiorum ac rituum communione non fuisset contaminatus, licet plurimi occultè etiam tum Missas fecerint & audierint: qui tamen & ipsi calicis Christi & dæmoniorum

participes, templa quoque ac sacramenta hæretico ritu administrata frequẽtabant; existimantes, vt Diuus Augustinus olim de quibusdam in Africa schisma Donatistarum sequẽtibus dixerat (satis esse, si quouis modo Christi colant; & ignorantes id solùm Christo placere, vt in vnitate colatur. Sola sereniſſima Maria primogenita Henrici filia, Edouardi soror, quæ ei in imperio succeſſit, sanctiſſimæ matris suæ Catharinæ fidem, & constantiam secuta non potuit vllis Protectoris aut cæterorum regiorum tutorum precibus aut comminationibus adduci, vt oratorium suum quod domi habebat, vel claudi, vel sacrum Missæ officium in cænam Caluinicam mutari, vel saltem vt secretò illud tantùm & non palàm, in contemptum legum Regiarum, ac aliorum vt dicebatur scandalum fieri permitteret.

Maria constantia.

Cùm autem hæretici viderent, se nihil apud eam in hac re proficere; nec ausi essent aliquid duriùs statuere in personam eius, quæ esset sanguine & succeſſionis iure Regi tam propinqua; quæque sæpe protectorem ac cæteros Edouardi Consiliarios, cùm palàm ac præsens, tum etiam per literas ac nuncios audacter admonuisset, ne fratris sui pueritia ita ad Reipublicæ & Religionis perniciem abuterentur, adiungens præterea, futurum forsan tempus, cùm cogerentur administrationis huius suæ tã insolentis, tamque vltimæ voluntati Henrici patris sui, (quam saltem Rege adhuc impubere religiosè ipsos seruasse oportuisset) contrariæ, rationem reddere. illi cùm quid respondèrent, aut statuerent non haberent, præser-

Hæreticorũ consilia. de Maria.

tim

tim cùm ipsa apud Edouardum fratrem, ætate postea paulò maturiorem, liberiùs aliquoties conquesta esset, illiq́ue ex amoris mutui teneritudine, etiam lachrimas mouisse diceretur: hoc consilium homines perditi inierunt; vt primùm blanditijs & precibus; deinde minis rem agerent: sed cùm neutro modo obtinerent quod cupiebant, aliam viam aggressi sunt; nimirum, vt ab illa Sacellanos suos, qui coram ipsa sacra officia pro more faciebãt, diuellerent; in eosq́ue vt in transgressores legũ publicarum, carcere ac alijs pœnis animaduerterent; quod semel aut iterum quidem fecerũt. Sed re significata Carolo Cæsari Consobrino suo, is rei indignitate motus per literas ac oratorem suum apud Regem & alios qui rerum tum potiebantur, vehementer egit; ne Rege adhuc sub tutoribus agente, negarent Mariæ Regis sorori, eum Christi colendi ritum quem leges Ecclesiasticæ per orbem Christianũ probarent, omnesq́ue Maiores obseruassent; quodque ipsi omnium principum Ororibus etiam tum concedebant.

Maria quæritur apud Cæsarem.

Hac ratione obtinuit Maria ne in posterum tam curiosè in ipsam, eosq́ue qui ipsi à sacris erant inquireretur. Et Edouardus ipse, licet Protectoris ac aliorum arbitrio omnia faceret hæresiq́ue prorsus esset iam imbutus; tamen dicitur naturali erga sororem instinctu re intellecta ægrè tulisse, quod tam inhumaniter cum illa, ipso prorsus inscio egissent. Et sanè ita est prospectum à Deo huic Regiæ virgini, & nunquã per totũ illud luctuosissimũ tempus, quo regnauit Edouardus, salutaris hostiæ plena

Maria semper habuit secum Eucharistiam.

consolationis præsentia destitueretur; illam enim honestissimo tutissimoque loco, & sacratissimo apparatu conseruatam semper prope se habuit; & coram illa in omni tribulatione sua, quæ per illud tempus permagna erat, indefinenter orabat. Iam verò vt hæc, quæ partim ordinũ consensu & decreto, partim solius Protectoris ac Senatus Regij autoritate, in religione innouata erant, excutioni citiùs mandarentur: primùm iubentur duo Primates Cantuarienſis & Eboracensis, (quos solos Anglia Archiepiscopos habet) per vtriusque suffraganeos Episcopos, diligenter curare; vt sine vlla mora in singulis diœcesibus, quoad religionis negotium, suæ Maiestatis voluntati, statuumq; decreto obtemperetur. Archiepiscopi iussa mox complent; ita enim Cantuariensis ad prouinciales suos Coepiscopos scribit.

Executio decretorum Parlamenti

Thomas permissione diuina Cantuariensis Archiepiscopus per illustrissimum in Christo Principem Edouardum Regem Sextum, supremum in terris Caput Ecclesiæ Anglicanæ & Hybernicæ, sufficienter & legitimè authorizatus, &c. tibi Edmundo Londinensi Episcopo & omnibus fratribus Coepiscopis, vice & nomine Regiæ Maiestatis, quibus in hac parte fungimur, mandamus; vt Imagines ex Ecclesijs cuiusque diœcesis tollantur, vt priuatæ Missæ prohibeantur, &c. Simili etiam modo alter, ad suos Archiepiscopus.

Rescriptum Crãmeri ad Episcopos.

Sed ne non satis fortè diligenter munus hoc suum obirent Episcopi, in quibus sciebant plurimos, etsi Henriciani schismatis participes, non adeò ad istas nouitates posteriores propendere: constituuntur impij quidam visita-

Visitatores instituti.

tores

tores seu commissarij Regij, qui acceptis vna secum aliquot petulantissimæ linguæ, & ad hæresim populo commendandam aptissimis concionatoribus, vniuersas regni prouincias peragrarent. Proficiscuntur ergo, deferētes simul Biblia Anglicana corruptissimè traducta, quæ curarunt populi expensis emi, iusserunt-que publicè in singulis parochialibus Ecclesijs affigi, vt à quolibet legi possent Iussum est præterea, vt in singulis Ecclesijs haberentur ad certum diem, Erasmi in nouum Testamentum Paraphrases, in linguam vernaculam conuersæ: cuilibet enim è vulgo pollicebantur ex his duobus libris, facilè fore, vt omnia ad fidem necessaria, singuli sine Doctore assequerentur: hactenus enim dicebant, in omnium rerum ignoratione, à Parochis indoctis, ducibusque cæcis, illos fuisse educatos, se verò iam sine inuidia omnia ista veritatis lumina libenter communicare; monereque seriò, vt gratias agant Deo ingentes, quòd talem dederit Regem & Protectorem, qui totis viribus in salutem plebis sibi comissæ incumbant.

De quibus rebus inquiratur.

Vocatis deinde ad se quocunque diuerterāt, singularum Ecclesiarum Rectoribus, Presbyteris, Aedituis, atque ciuibus honestioribus, adiunctis etiam sæpe prouinciarum Præfectis, inquirunt si secundum Regis mandatum, Imagines Christi, atque Sanctorum cum tabernaculis & loculis vbi fixæ fuerant, sublatæ sint ac concrematæ; num altaria sint prorsus demolita, & pro ipsis Mensæ communes ad noui ritus administrationem collocatæ; num omnes antiqui libri, è quibus officia diuina & Missæ

olim fiebant, sint aboliti, nouique Regij libri comparati & vbique recepti; homilias quoque plenas blasphemiæ, (quòd scirent parochos omnes nec ita doctos esse vt possent, nec ita affectos vt lubenter vellent, impia dogmata Zuinglij, ex pulpitis populo assiduè commendare fieri ab hæreticissimis hominibus, & promulgari curarunt; quarum vnam aliquam singulis Dominicis ac festis diebus clara voce, vbi non esset qui concionaretur, recitari mandarunt. Processiones abrogarunt; inuocationes sanctorum è litanijs sustulerunt; orationes & Exequias defunctis more solito fieri vetuerũt; Aquam benedictam panemque Eulogicum, more Anglicano singulis Dominicis distribui solitum, tolli iusserunt; Rosaria è manibus fidelium excussernnt: simpliciores autem parochos & presbyteros, quos sciebant istis nouitatibus parum delectari, & ægrè ab Ecclesiasticis consuetudinibus diuelli, (licet externis verbo & opere ferè omnes in quidlibet consenserant,) varijs conuitijs & contumelijs è suggestis, coram omni populo lacerabant, atque obiurgabant immodestissimè; quòd scripturas non scirent; quòd duces cæci, & canes muti & ventres pigri essent; quòd parum prompti ad Regia mandata circa religionis reformationem exequenda viderentur; quòd Papistæ denique essent; comminantes omninò, ni imposterum pariores sint, fore vt priuatione & alijs pœnis exemplariter castigentur.

Statuta visitatorum.

Hæreticorũ petulantia.

Adhortationes sacerdotibus facta ad continẽgium.

Inquirebant etiam, idque diligenter & in primis sollicitè, si parochi non essent de incontinentia suspecti: atque ad ipsos sæpè sacerdotes,

tes, præsentibus alijs conuerso sermone, impudenter scisscitabantur, quomodo ipsi integra valetudine, & in flore ætatis, potuerint se seruare castos? & num donum castitatis ipsi soli haberent, aut in posterum essent de eo securi? consulere ergo vt vxores, ne vrantur, aut in infanda peccata incidant: accipiant tandem aperte effari, se habere omnes de religione papistica, & de affectu in regem parum candido valde suspectos, qui nollent matrimonium inire, & aliorum immaculatum cælibatui suspecto & periculoso anteferre, præsertim, cùm iã duorum Archiepiscoporum exemplis qui vxores duxerant, ipsis sanctissimè præitum vidissent.

Atque diabolico planè consilio istud maximè vrserunt hæretici; prouidentes hac esca plurimos salaciores homines, ad istius sectæ approbationem posse pertrahi, nec de vllis se posse esse magis securos, quàm de ijs qui huiusmodi illicitis connubijs, ipsi essent semel colligati. Atque hoc artificio ita profecerunt, vt non solum sæculares multos, sed etiam Religiosos omnium ferè ordinum complurimos, qui per Henricum non ita multò antè è Monasterijs eiecti, parochos passim in agris & oppidis agebant, ad coniugium ineundum vel illecebris carnis, vel ipsorum importunis clamoribus, adegerint. in quam miseriam etiam Episcopi ab Henrico facti aliqui, qui septuagesimum ætatis annum attigerãt, peracti sunt: vt Eboracensis, Cestrensis & in Mona insula Sodorẽsis, ac alibi alij, qui alioquin corde Catholici pro hæreticis postea se gesserunt.

Connubia à Sacerdotibus passim inita.

Idem secuti sunt Ecclesiarum Decani, Canonici, & eius generis homines non pauci, qui antequã regni legibus id esset publicè permissum, libidinem suam explere voluerunt. Prælatos verò alios castiores, ac doctiores quosq; viros, qui adhęc incęstuosa connubia adduci non poterant, varijs confictis criminibus de gradu dejectos in carceres coniecerunt.

Episcopi in carceres conjecti.

Præ cæteris autẽ Protector, quouis prætexto exauctorari voluit Stephanum Vintoniensem, & Guthbertum Dunelmensem Episcopos, viros doctrina & vsu rerum præclarissimos; non solùm quia autoritate qua apud omnes plurimùm poterant, videbantur non parum sectariorum progressus impedire; sed multò magis, quia non lubenter ferebat eos in honore viuere, quos Henricus in Edouardi filij tutela & reipublicæ administratione, sibi socios fecerat, vel etiam prætulerat. Ergo post habitam coram Rege liberiorem de religione concionem vincula coniectus est Vintoniẽsis primũ, postea Dunelmensis, sicut alio tẽpore Londinẽsis, Cicestrensis & Vigorniẽsis; tandemq; oẽs (vt suo loco dicetur) de gradu depositi sunt: qui profectò si primis initijs vel schismatis sub Henrico, vel hæresis sub Edouardo, fortissimè (vt debuerant) restitissent; res in eum locum sine dubio iam non veniissent. Sed cum illi vel naturæ quadã vitiosa leuitate, vel spe vana meliorum temporum, vel nimio res temporales amittendi metu, (sicut alij etiam Episcopi ac Abbates eodem tempore in Germania, & postea in Belgio alibiq; non pauci) non solùm hæreticis schismaticisq; initio non obstiterent, (vt Ec-

Admonitio Ecclesiasticorum.

Eccle-

Ecclesiasticos decebat) verumetiã assentirent, conniuerent ac cooperarẽtur: permisit Deus vt in tanti peccati castigationem, aliorumque ac ipsorum admonitionem sempiternam, grauissimè postea ab eisdém affligerẽtur quos iuuerant: quo prælati discerent, officiũ suum esse, opponere se murum pro domo Dei cùm impugnatur; nec vnquam debere hominum gratiam omnipotentis Dei honori ac mandatis anteferre.

Hæreticorũ triumphus de successu Angliæ.

Cùm ita ergo hæretici & istis visitationibus & alijs modis omnibus rem promouissent suã, & secta iam Zuingliana vbique in Anglia dominaretur, ac fides Catholica penè deserta iaceret; exultabant mirificè per totam Europam hostes Ecclesiæ Deumq; collaudabant suum, quòd mundi misertus, tandem aperuisset, ad Euangelij per orbem propagationem, patentissimum ostium; gaudere omnes tantum regnum, non iam per interpolata variarum prouinciarum loca, vt Germaniam, sed absolutè, & insolidum, sectam suam suscepisse; vndique gratulari Anglis quod tantæ spei principem haberent, qui ab incunabilis puram doctrinam hausisset: ad ipsum, hæretici omnium sectarum ac gentium, scribere; libros dedicare; eum Iosiam & Dauidem illorum temporum: Protectorem verò, Gedeonem, Samsonem & quid non, passim appellare: per istos aduenisse in eos regnum Dei; per istos ab Aegiptiaca seruitute, ab inquisitoribus, carceribus, ignibus, ac ab omnibus denique laboribus, Dei cultores conquieturos: illi longissimum denique tranquilissimumque imperium, cùm

precari tum etiam certò ominari non dubitabant: idque eò magis ex animo fecerunt protestantes, quod hoc ipso tempore, quo hæc gerebantur in Anglia, Augustissimus Cæsar Carolus Quintus, hæreticos omnes Germaniæ Principes, diuinitus planè adiutus, ad suam & Ecclesiæ obedientiam reduxisset; Concilij Tridentini decretis se submittere coegisset; ac sacrosanctum altaris sacrificium, vbique ferè locorum per imperium restituisset.

Cæsaris successus in Germania.

Anno 1547.

Sed hanc impiorum de Edouardo & Protectore eius spem & expectationē, intra paucissimos postea annos, vel potius menses, Deo id disponente planè perijsse; & ipsi hæretici cum luctu viderunt; & omnes sapientes iudicia domini recta mirabiliter admirati sunt. Celerrimam etenim Deus, de istorum principum sacrilega iniquitate vindictam sumpsit immittens inter protectorem & fratrem suum primùm; deinde inter cæteros hæresi & impietate sibi coniunctissimos, implacabiles inimicitias: quæ non nisi morte & mortuo sanguine extingui poterāt. In summa, Protector iussit occidi fratrē, Dudlæus Protectorē sustulit; Edouardus non sine suspicione veneni ab eodem Dudleo & Suffolcio Ducibus ad regnum aspirantibus, paulò post extinctus, & demum vterque cum filijs suis per Mariam Reginam iustissimè capite plexi sunt; quæ omnia quatuor tantùm annorum spatio eueniisse, mirabile est planè; sed tamen id vt acciderit breuiter hic commemorabimus.

Hæreticorū fides confusa.

Erat Edouardo Seimero Somersetensi Duci & Re-

& Regis Protectori, Germanus frater Thomas Seimerus mari & Classi regiæ præfectus. Is Catharinam Parram Henrici Regis vltimam vxorẽ, post Henrici mortẽ duxerat. Facta est igitur contentio maxima inter Catharinam Parram & Protectoris vxorem, quænam præiret: illa enim vt Regis demortui vxor, ista vt Protectoris præsentis consors, præcedendi dignitatem postulabat: hæc contentio non quieuit in fœminis, verùm & ad viros transiuit, rem etiam promouente Ioanne Dudlæo Varuicensi Comite, qui vtrumq; Seimerum, hac se ratione euersum sperabat. Cumque æmulatio quotidie crescceret nec protectoris vxor virum quiescere pateretur; eo tandem peruentum est, vt protectorem (qui licet Regem regeret, tamen ab vxore sua non parũ regebatur) oporteret germanum fratrem suum è medio tollere, quo nihil suæ libidini deinceps impedimento esset. Porrò cùm nihil occurreret in Thoma Seimero morte dignum, præter hæresim, quam protector in crimen fratri suo vertere non poterat, ipse authore eiusdem hæresis; necesse erat fingere aliquid. Facile tanquam à Iezabele crimen excogitatum est. At quomodo promugabitur? Itum est ad nouum Apostolum Anglorum Hugonem Latimerum, de qua antea diximus: Egit cum eo protector, vt fratrem suum in concione ad populum velut perduellem traduceret. Hugo Latimerus, cuius Apostolatus in mentiendo constitit, non recusauit officium; prodijt in rostra, narrauit Thomam Seimerum nescio quas insidias in maiestatem

Discordia inter fratres hæreticos.

ieſtatem Regiam & in fratrem molitum; prō
inde meritum eſſe mortem. Non acclamau
populus, vt ſolebat, iam enim puduit ipſu
Apoſtoli ſui, quem videbat calumniam i
nocenti ſtruxiſſe: Thomas verò Seimer
perduellionis damnatus, decimo tertio Ca
das Aprilis iubente fratre, ſecuri percuſſus e

Frater fratrem tollit.

An. 1548.

Catharina autem Parra ex dolore & inuidia b
ipſis etiam diebus expirauit, ita vt non min
Protectrix ab æmula, quàm Protector à frat
iam liber eſſet.

Non longè poſt, ne maior eſſet Protect
cum alienis, quàm cum ſuis pax: variarum pro
uinciarum Populi; maximè verò Cornubien
ac Deuonienſes, moleſtiſſimè ferentes, filio
ſuos non auito & patrio; ſed nouo & inu
dito more baptizari, ac Miſſæ ſacrifici
ficium prorſus auferri; altariaque nō Iouis
Dianæ, ſed omnipotentis Dei & vnius media
toris Ieſu Chriſti, paſſim dirui ac ſubuerti; ſu
conſenſu arma pro fide ſumpſerunt, Exonie
uitatem obſederunt; equites, qui ex Cliuia
ipſos euocabantur, ſagittarum nimbo repule
runt, in quorum onuſtus currus ſiue ab inuitis
ſeu ex propoſito relictos, dum nonnulli teme
rè ſolutis ordinibus incurrunt, ijdem equites
reuerſi eos fugarunt & deleuerunt. Atque in
hoc bellum abſolutum eſt, nullo ſanè alio fru
ctu, quàm quòd credendum ſit, aliquos eorum
ſuas animas ab hæreſi liberaſſe: nam vt fra
tres è ſeruitute diaboli eriperent, illis non ed
datum. Alij etiam multi per vniuerſum An
gliæ regnum, eo tempore, præcipuè autem in
Norfolcienſi, Suffolcienſi, Eboracenſi, ac So
merſe

An. 1549.

Arma pro fide ſumpta.

merſetana prouincijs, partim ob religionem, partim verò ob agros à locupletioribus iniuſtè poſſeſſos, atque ad plebis iniuriam circumſeptos (omnis enim iniuſtitia vna cum hæreſi ſubingreſſa eſt) arma ſumpſerunt; multa nobilium roboraria euulſis palis propalarunt, multorum ſepes diſiecerunt, foſſas impleuerunt, piſcinas emiſerunt; ceruos, damas, cuniculos interceperunt; denique nonnullos bonis, alios etiam vita priuarunt; nec vnquam in Anglia tam breui tempore, tam multiplex tumultuatio audita eſt: quibus Deus exemplis admonitos voluit regni principes, quòd impiè ſeipſos à Pontificum & patrum ſuorum obediẽtia diuiſiſſent. Qui enim ſuo capiti ſubeſſe iniuſtè recuſat: meritò nec à ſuis ſubditis, tanquam ipſorum caput agnoſcitur. Sed cùm optimates nihil horum intelligerent, Deus etiam externos illis hoſtes ſuſcitauit.

Mira tumultuatio.

Galli enim his tumultibus ad ſuum commodum vſuri, eodem tempore inuaſerunt præſidia quædam & arces, oppido Bolonienſi, quod adhuc Angli tenebant, adiacentes. Quam occaſionem reprehendendi Protectoris adminiſtrationem, Ioannes Dudleus Varuicenſis Comes, arripiens, ex aliorum Optimatum conſenſu, edictis publicis Protectorem ob Rempublicam malè geſtam accuſauit. Protector vnà cum Rege ad arcem Vindeſoriam præſidij cauſa confugit.

Gallorum arma.

Sed cùm videret paucos ad ſe, oẽs verò Principes ad Varuicenſem tranſire, vltrò ſe dedidit & in cuſtodiam traditus eſt, pridiè idus Octobris; ex qua tamen poſt quatuor menſes eductus

Dudleus Protectorẽ ſupplantat.

ctus fuit pace, simulatè inter ipsum & Dudle
ium constituta, quæ diu non durauit, licet se
ptimo Calendas Maias, Boloniæ oppidum, vn
dè species inimicitiarum orta videbatur, Ga
lis redditum esset; nec Seimerus posteà Prote
ctoris nomen aut autoritatem vsurpauerit.
Verum * Dudlæus eum volebat extinctum
quod vt commodiùs efficeret, certiusque il
lum in potestatem suam redigeret; principi
bus quibusdam viris quos Catholicos esse in
tellexit, spem certam feciſſe dicitur, si fide
lem ei operam in deturbando Seimero nau
rent, illo semel de gradu summi honoris dest
cto se curaturum, vt hæresi abdicata, fides Ca
tholica in integrum restitueretur. Nec erat cu
Dudlei verbo diffidendum putarent; nam d
tantæ illum potentiæ esse cognouerant, vt p
set hoc præstare; & præterea sciebant eum ha
resi quidem ex animo non fauere, sed vel nul
li admodum, vel soli Catholicę fidei addictu
esse. Itaque interposuerunt omnem suam auto
ritatem, vt Protectorem in ordinem atque ad
eò iterum in carcerem redigerent; Sed cũ Dud
leium datæ fidei posteà commonefacerent, il
toruo vultu respondit, si vitam diligerent C
Catholica vita restituenda nullum amplius
verbum facerent. Hoc tàm graue nonnullis e
orum videbatur, vt illum non pro fœdifrag
tantùm, sed etiam pro tyranno haberent; ac
que adeò Seimero potiùs, qui saltem clemen
tioris ingenij esset, adhærendum sibi iudica
rent. Itaque cum Thomas Arundelius eques
auratus, vir potens & animo Catholicus, Dud
leio prius intimus, ad Seimerum iam è carce
re di-

** Hic pater fuit Comitis Leceſtrenſis qui hodie viuit & tot flagitia perpetrat.*

Dudlæus fœdifragus & tyrannus.

re dimissum, moderationis alicuius obtinendæ causa in religionis negotio, personatus se contulisset, Dudleius rem expiscatus eum non ita multò post vita priuandum curauit.

Dùm hæretici inter se sic armis ac odijs tumultuarentur, ac hæresis [indies hæresim, (vt fit) ad seditionem pareret? accidit vt Zuingli-
anorum istorum patientiam, aliarum etiam sectarum inuentores ac defensores exercerent. Inter cæteros Georgius quidam Parisius, obstinacia incredibili Arrianam hæresim in Anglia tuebatur, & quantum potuit disseminauit; quẽ Zuingliani, contra suam fucatam fictamque lenitatem, & contra falsissimam suam sententiam, qua aliàs asserere solent, huiusmodi homines ad fidem non esse cogendos, publicè combusserunt. Extitit etiam hoc ipso tempore, ex Cantiana prouincia, soror quædam ex Lutheri schola Ioanna Buchera quæ tantum profecerat, vt præter Caluinianã hæresim quam secuta est, negaret vnà cùm Valentino, Christum ex Maria virgine carnem sumpsisse, quem dicebat per illam non nisi velut per canalem transijsse. At cùm videret doctrinam suam Zuinglianis non probari, addebat; olim quoque creditum ab illis fuisse cùm Lutherani essent, quod Christi caro in Eucharistia sub specie panis & vini contineretur, & Annam Ascuam quæ id negabat, pro hæretica nuper ab ipsis habitam & flammis publicè traditã fuisse: nec se dubitare, quin vt nunc Zuingliani ipsi credunt quod Anna tũc docuit quã persequebantur, sic breui etiã credituri sint, quod ipsa iã doceret.

Hæreticorũ inter se dissidia de fide.

Hæretici hæreticos combusserunt.

Com-

Combusta tamen est ipsorum iussu in camp fabrum Londini, quarto idus Maias.

Sed protestantium in rebus paululum adhu progrediamur. Horum cùm tam Superinte dentes, quos vocant quàm ministri, concion tores, & in vniuersum vxorati presbyteri, carnis copulam tàm studiosè antea inuitati, ni sedulò sua sponte illi rei incumberent, spuri que inde prole aliquanto etiam plus quàm pr Reipublicæ commodo, abundare inciperen ex altera autem parte viderẽt vxores suas nul lo in honore apud plebem esse, sed passim pr meretricibus ab omnibus haberi, liberosq illegitimos & nothos censeri: dolore & vx rum clamoribus agitati, ad profanam ciuil um Comitiorum autoritatem confugere tur coacti, & in eisdem suppliciter petere, v beri sui legitimi fierent. Comitia (ordine nim tum coierant) re benè perpensa & exam nata decreuerunt, vt nulla humana lex obst ret, quò minus in posterum presbyterorum li lij legitimi haberentur: id statuerunt, quia de lege diuina non erant adeò solliciti; cùm in ea si quid in contrarium instituto aut libidini su videretur, illud vel contemni, vel aliqua cõ moda interpretatione illudi posset.

Difficultas presbyterorũ de vxoribus.

Comitiorũ decretum de libris presbyterorum.

Cum his difficultatibus ac dissensionibus de religione modoque viuendi, quàm de pos state ac regimine reipublicæ, implicari hære ticos Catholici animaduerterent, maiores om ninò animos ad fidem veram conseruandam, ac propugnandam sumpserunt; maximè qui e rant doctiores ac prudentiores, qui ex hacte igua paucorum annorum experientia, quibus hæ-

Catholici viri maiores animos sumunt.

hæresis Angliæ dominata fuerat euidentissimè perspiciebant, cùm hæreticorum doctorum & magistrorum ignorantiam, ineptias, ac dissolutissimos mores; tum eorum etiam qui gubernabant, impietatem, auaritiam & ambitionem, quorum ob causam tantùm, antiquæ religionis cursum interruperant, hæresimque introduxerant. Vnde nunc tàm Oxonij quàm Cantabrigiæ, duobus ornatissimis Angliæ vniuersitatibus alijsque nonnullis in locis, Catholici excussu metu, manifestiùs exire, & hæreticis doctoribus se opponere cœperũt; ad disputationes etiam & examẽ doctrinam eorum reuocare, fraudes detegere, mendaciaque coram & in os obiectare non timuerunt; quibus rebus hæretici nonnihil territi, se cohibere, timidiùs omnino & diffidentiùs agere cœperũt. Nominatim Petrus Martyr, de quo plurimum omnes sibi pollicebãtur cùm Oxonij prælegeret, ac sæpissimè hoc ipso tempore ad reddendum suæ doctrinę rationem ab alijs etiam multis, potissimum verò à Ricardo Smithæo Theologiæ doctore, qui eandem cathedram prius tenuerat, prouocaretur; nunquàm in disputationem descendere ausus est, donec & Ricardum Coxum ex aula Regia hæreticum, ac perditæ vitæ hominem, qui post tamen Eliensem Episcopatũ inuasit, totius disputationis moderatorem nactus esset, & Ricardũ Smithæum virum doctissimum atque acerrimum disputatorem, ab Oxonio relegatum vidisset. Quibus ita comparatis, de Eucharistia instituitur disputatio, hinc Petro Martyre Zuinglij hæresim sustinente, inde Tressamo & Chedseo Doctori-

Disputatio petita.

Petri Martyris disputatio.

bus Catholicis, eandem oppugnantibus.

In qua disputatione cùm triduò versati essent, Coxus qui disputationibus præerat, videns Petrum Martyrem, multò grauiùs premi, quàm sperauerat, & exibilationibus, manuumque pedem strepitu è cathedra penè explosum cùm & ipse Zuinglianus esset, se Londinum reuocari dixit, nec iam posse diutiùs huic exercitio vacare. Petrum verò Martyrem tanquam victorem miris laudibus extulit? cæteros, vt pacem colerent admonuit, disputationem soluit, qua imprudentia infamiam sibi apud omnes peperit. Postea Petrus Martyr disputationem illam suam mala fide vt solent hæretici impressam edidit. Certè Oxonienſis Academia iudicio bis victus apostata Martyr fuit: primùm, quia omnino ausus non est cum doctissimo viro doctore Smithæo qui eum lacessebat disputationē inire; deindè quia eorum quibus cum disputauit, argumentis nullo modo potuit satisfacere: similis fuit eius disputationis quam Theologi Cantabrigienses cum Bucero habuerunt, exitus.

Tergiuersatio hæretici iam victi.

Nec tantùm in istis Academijs, verùm & aliijs multis in locis instituebantur his diebus quædam publicæ de Eucharistiæ, tàm sacrificio quā Sacramento disputationes; maximè inter Hoperum Superintendentem Gloceſtrenſem, & excellentem Theologiæ Doctorem dominum Fecnamum Vestmonasterij Abbatem; atque etiam inter Harleum Pseudoepiscopum Herefordenſem, & Catholicum presbyterum Henricum Ioliffum: quæ disputatio cùm ad Stephani Episcopi Vintonienſis manus peruenisset,

Disputationes variæ de fide.

nisset, is licet in arce Londinensi conclusus, Harlei friuolas obiectiones solidè statim refellit. Collegerat etiam Petrus Martyr non paucas contra Eucharistiam calumnias, & in vnum eas libellum redegerat; quas omnes idem Stephanus paucis diebus ita confutauit, vt ea confutatio in lucem postea sub Marci Constantij nomine exierit, ne verus autor eo tempore proditus, in multò grauiorem carceris ærumnam conijceretur. Eodem etiam pertinet doctoris Langdalli doctus libellus, quo Ridlei contra Eucharistiam cauillationes dissoluit. Quid dicam de grauissimorum presbyterorum Crispini & Mormanni tàm concionibus, quàm scriptis, imò etiam vinculis? de Henrici Coli tùm eximijs concionibus, tùm diutino carcere ob fidem Catholicam patientissimè tolerato? De Thomæ Vatsoni antequàm Episcopus Lincolnienſis fieret, & collegæ ipsius Doctoris Setoni constantia, & perpessionibus?

Libri scripti

Conciones Catholicæ.

Tempus me deficeret, si omnes enumerarem, qui ob Catholicam fidem illis diebus, ex Ecclesijs aut collegijs suis eiecti; aut alijs dignitatibus, commodisque spoliati, grauiora etiam carcerum ac vinculorum tormenta animosè subierint: adeò iam incalescere cœperat Dei spiritus in Catholicorum præcordijs, vt si diuturna fuissent illa tempora & creuisset persecutio; habuisset Anglia, sine dubio, plurimos martyres & infinitos Confessores: indies enim augebatur tunc, non solùm credentium, verùm etiam & confitentium numerus? & illi qui ab initio parùm viriliter restiterat

Argumenta Catholicorum ex persecutione.

præcipuè Episcopi; modo, euentu rerum i
expectato edocti, consilioque maturiori erro
rum suorum admoniti, pœnitentiam egera
& fortissimos se constantissimosque in cau
Dei tuenda præbuerunt. Hinc est quod Edm
dus Bonerus Londinensis, Stephanus Gardi
rus Vintonienſis, Cuthbertus Tonstallus Du
nelmensis, Nicolaus Hethus Vigornienſis, al
que nonnulli tùm Episcopi tùm Prælati, no
solum dignitatibus exuti, sed & carcerib
mancipati his diebus fuerint.

Episcopi depositi.

Exules propter fidem.

Sed multò maximus cœpit esse numerus eo
rum, qui voluntarium exilium conscientiæ
causa eligebant; quorum ferè primus fuer
Ioannes Storæus vtriusque iuris Doctor, po
stea martyrium sub Elizabetha passus. Hic
publicis regni Comitijs, cùm de fide perpe
tractari cerneret, ausus est tandem cùm Sa
mone exclamare, *Væ tibi terra, cuius Rex pue
est.* Cuius verbi tanta fuit inuidia, vt sibi dein
de in Anglia consistere non esset tutum. Eius
dem exilij incõmoda subierunt, excellẽs art
medicæ Doctor, Græcęq; linguæ peritia clari
simus, Ioannes Clemens; Gulielmus item Ra
allus iurisconsultissimus, cum vtriusque vxo
ribus, fœminis pijssimis; Ioannes præterea
Boxollus, vir omni eruditione ac probitate in
signis, qui posteà Reginæ Mariæ à secretis fu
Angliæ etiam singulare decus Nicolaus Ha
pesfildus, qui regnante Elizabetha carceribu
tandem extinctus est, alijque plurimi, quibu
omnibus, quò animosiores essent, benigniss
mus Deus illis ipsis primis initijs, prouiderat
hospitem locupletem in terra aliena qui

Eccle. 10.

eos

eos ex Aegypto fugientes, non solum libenter, verùm etiam honorificè ac affluenter exciperet.

Vixerat in Anglia ad multos annos, Italus quidam, facilè omnium mercatorum Princeps non solùm ob magnitudinem opum, sed multò magis ob fidei & integritatis laudem patria Lucensis, nomine Antonius Bosuisus. Is Thomæ Moro in omni fortuna, omnium ferè mortalium intimus & maximè dilectus fuerat; adeò vt cùm iam vicinus martyrio esset, & atramento calamisq; omninò destitutus, carbone epistolam Bonuiso latinā exarauit, in qua hæc verba habet.

Antonius Bonuisus Lucensis.

*Amicorum amicissime & meritò mihi charissime, quoniam mihi præsagit animus, fortasse falsò; sed præsagit tamen, haud diu mihi superfuturam ad te scribendi facultatem; decreui dum licet hoc saltem breui epistolio significare, quantum in hoc fortunæ meæ deliquio, amicitiæ tuæ iucunditate reficiar, cùm te conspiciam etiam sublata iam rependendi spe, sic in me amando & demerendo persistere, imò adeò progredi potius, & curso quodam indefesso procurrere; vt pauci sic amicos fortunatos ambiant, quomodo tu prostratum, abiectum, afflictum, & carceribus addictū Morum tuum diligis, amas, foues & obseruas. Ego (mi Antoni mortalium mihi omnium charissime) quod solum nunc possum, Deum Optimum Maximum, qui te mihi prouidit obnixè deprecor, vt * quando tibi talem debitorem dedit qui nunquam soluendo sit futurus, beneficentiam istam quam mihi quotidiè tam effusus impendis, ipse tibi dignetur pro sua benignitate rependere: tum vt*

Thomæ Mori condemnati ad Bonuisum epist. Anno 1535.

**Bonuisus Morum bonis omnibus exutum sustentauerat.*

nos ab hoc ærumnoso ac procelloso sæculo, in suam requiem: pro miseratione perducat; vbi non erit opus epistolis, vbi non distinebit nos paries, vbi non nos acerbit à colloquio ianitor: sed cum Deo patre ingenito, & vnigenito eius filio Domino nostro Iesu Christo, atque vtriusque spiritu ab vtroque procedente paradisi gaudio perfruamur æterno. Cuius interea gaudij desiderio, faxit omnipotēs Deus, vt tibi, (mi Antoni) mihiq; atq; vtinam mortalibus vndecunque omnibus, omnes huius orbis opes, vniuersa mundi gloria, nec non istius quoque dulcedo vitæ vilescat amicorum omnium fidissimè mihiq; dilectissimè, & quod prædicare iamolim soleo, oculi mei pupilla, vale. Familiam tuam totam, herili in me affectui simillimam, Christus Iesus seruet incolumem.

Mori pietas & contemptus mundi.

Subscriptio

Thomas Morus: frustra fecero si adjiciam, tuus: id enim iam nescire non potes, cùm tot beneficijs emeris; nec ego nunc talis sum, vt referat tuus sim. Hæc Morus moriturus ad Bonuisum.

Erat autem Bonuisus partim ex hac intima cum Thoma Moro amicitia, partim ex diuturna in Anglia habitatione, erga Anglos omnes mirificè affectus; maximè quos ob fidei Catholicæ confessionem, cuius ipse erat studiosissimus, afflictos videbat. Cùm ergo vir optimus, toto ferè Henrici Regno meliora tempora in Anglia expectasset, nec post Henrici mortem quicquam quod spei suæ satisfaceret, sed omnia potius in peiora prolabi cerneret: domicilium familiamque suam in Belgium ad ciui-

Bonuisi in Anglos munificentia.

tatem

tatem Louanienſem tranſtulit, non ſanè vt ibi mercaturæ terrenæ, ſed cæleſti vacaret: erat enim is ferè proximus fidei portus, quo Angli ob fidem eiecti, ſe recipere poterant. Collegit ergo ad ſe & fouit lubentiſſimè, quotcunque eo tempore ob fidem exulabant; doluitque vehementer quod plures non aduenirent: nec dubium eſt, quin ſi his aſperrimis Elizabethæ temporibus ſuperueniſſet, & tot egregios viros ac adoleſcentes; non ſolùm in exilium actos, ſed domi etiam vexatos, tortos, & necatos ob fidei teſtimonium vidiſſet, vniuerſos exulantes ipſe ſolus excepiſſet, ſuiſque ſumptibus aluiſſet. ad id enim nec opum, nec animi magnificentia defuit: ob quam inſignem pietatem æterna erit illius apud Anglos memoria.

Atque hæc de Anglis qui Edouardi tempore exulant in Belgio. Romæ verò degebant alij, atque inprimis Reginaldus Polus Cardinalis, Angliæ ſpes, Eccleſiæ etiam Romanæ magnum decus ornamentum ac lumen. Is cùm ad Henricum Regem quatuor doctiſſimos libros pro vnionis Eccleſiaſticæ defenſionis ſcripſiſſet, nec fructum ex ea ſperatum conſecutus eſſet, quintum librum addidit, quem ad Edouardum Angliæ Regem inſcripſit; nihil eorum prætermittens, quæ ad ſalutem Angliæ procurandam putabat pertinere. Is hoc in ipſo tempore, à Concilio Tridentino reuerſus, Viterbienſi in ciuitate legationem obibat, cùm tàm ipſius, quàm bonorum omnium inſigni dolore, PAVLI Tertij Pontificis optimi, (cui Anglia tũ ob ipſum & Roſſenſem crea-

Angli exulates Romæ.

Cardinalis Polus.

Mors Pauli tertij Papæ.

tos Cardinales, tum ob multa alia vera patet-
Anno 1549. næ pietatis officia, plurimum semper debebit
renunciatur mors. Cum autem de more ad
Conclaue deinde ventum esset, vt alius supre-
mus Pastor eligeretur, Polusque tantùm non
duas votorum partes ad Sacerdotij summum
gradum ascendendum suffragantes sibi cogno-
Polus vici- uisset; ac sine controuersia, si cupidum se illi-
nus Papatui us dignitatis declarasset, statim Pontifex, fa-
uente ei Illustrissimo Cardinale Farnesio re-
nunciatus fuisset: non ob aliud magis eo falli-
gio caruisse credendus est, quàm vt simul non
expetitæ summæ præfecturæ abundantius me-
ritum assequeretur; & ad vnitatem Catholicæ
patriæ dulcissimæ, ore ac manibus apprehendi
Julij tertij conseruaretur. Electus fuit verò eius loco, in
electio. summum Pontificem Ioannes, Maria Cardi-
lis Montanus, & Iulius Tertius appellatus. Ie-
ulabat eodem tempore Romæ, Richardus Pe-
tæus Anglus, Vigornienfis Episcopus, Thomas
Golduellus, qui postea ecclesiæ Assaphen.
præfuit; Mauritius etiam Clenocus Bangoren-
sis electus, & alij nonnulli, tum in Italia tum
alibi insignes viri.

Noui Epi- Horum autem aliorumque, qui vel domi
scopi ac pra- patiebantur, vel foris exulabant loco, face-
lati in An- quædam hominum ac quisquiliæ, in Episco-
glia quales. patus, Cathedras ac dignitates substituebatur.
Huiusmodi erant Scoræus, Birdus, Holgatus,
monachi libidinosi, dissoluti apostatæ mere-
tricibus combinati. Barlous, item Harlæus,
Couerdalus, Ridlœus alijque eiusdem farinæ
homines; qui fortunæ famæque naufragio fa-
cto, libidinisque stimulis agitati, ad noui istius

Euan-

Euangelij professionem tanquam ad aliquam cælitus dimissam tabulam, qua ex calamitatum suarum fluctibus enatare possent, confugerunt: quam itidem omnes ære alieno obstricti, legibus obnoxij, sceleribus implicati, infamia notati, inopia pressi, arripuerunt. Opifices etiam quos vel laborare amplius tædebat, vel qui non satis lucrari sibi videbantur, ad noui verbi ministerium se accingebant.

Poynettus Vintoniensis pseudoepiscopus.

Vt autem de præcipuis quibusdam nonnulla dicam; erat Poynettus, qui ejecto Stephano Gardinero splendidissimi accutissimique ingenij viro, Episcopatum amplissimum Vintonienſem occupauerat. Is parùm putans vxorem vnam ducere, cùm esset Episcopus, etiam lanionis cuiusdam adhuc viuentis vxorem abstulit, eaque illi publicis regni legibus euicta & marito restituta est. Itaque cùm postea quidam ex Optimatibus ad Stephanum, partim ioco, partim ironicè dixisset; Fortassis tu speras Episcopatum tuum tibi aliquando restitutum iri: Cur (inquit Gardinerus) minus expectem meum Episcopatum, quàm lanio suam recepit vxorem? Idem enim homo fuit, qui & Gardineri Episcopatum & lanionis coniugem inuaserat.

Hopperus.

Fuit & alter Pseudopropheta, Hopperus, qui ob hipocrisim non minùs quam hæresim malè audiens, cùm adhuc priuatus Catholicos Episcopos traduceret, quòd nimium lautè agerent, nimisque magnis opibus abundarent: idem factus superintendens (ita enim Zuingliani eos latinè vocant quos maiores nostri Græca voce Episcopos nominarunt) duos si-

mul vsurpauit Episcopatus, Gloceſtrenſem & Vigornienſem.

Couerdalus Milo etiam Couerdalus diu in Germania versatus, tàm corporis ex immodico vini vsu, quàm spiritus ebrietatem ex nimio hæresim amore in Angliam retulit. Is audiens Academiam Oxònienſem Catholicæ fidei vehementer addictam esse, nec libenter ad hæresim deflectere; nonnullos præterea extitisse, qui in eum quòd sororem quandam suam circumduceret, iocarentur: magna sibi de seipso pollicens, & plurimorum seductionem animo concipiens, Oxonium venit; in suggestum conscendit: magna fit expectatio; de causa omnium maxima; hoc est, de Sacramento Eucharistiæ aliquid dicturum. Itaque primùm vbi eos ante omnia vehementer reprehendisset, qui in eum stomachati fuissent, quòd vas commoditatis habere (ita enim suam meretriculam appellabat) adiunxit, meritò sibi fidem in hac potissimum Eucharistiæ controuersia adhibendam esse; propterea quòd cùm vidisset Catholicos transubstantiationẽ credere, Lutheranos veri corporis Christi impanationem docere, Zuinglium verò eiusdem corporis typum & figuram, at Caluinum efficaciam preterea & energiam ponere: ipse prorsus neglecta omni autoritate humana, omniq́ue animi affectu & perturbatione deposita, nulli omninò parti addictus veritatem ipsam sinceram & certam, non ex humana traditione, sed ex solis scripturis diuinis, quam per totos iam quatuordecim annos seriò indagasse, compendio traderet.

Ridicula inuentio.

Hæc

Hæc ille magno conatu cùm diceret; sibi sapere, alijs delirare, doctioribus verò etiam insanire videbatur. Cùm enim ipse profiteretur, fidem se Catholicam in domo Dei prædicatam & receptam abiecisse; ac per annos omnino quatuordecim, certa fide in eo mysterio caruisse; ac propterea infidelem ac incredulum tãto spatio perseueraſſe, imò nec magistris suis Luthero, Zuinglio, aut Caluino, nec vlli antiquorum patrum fidem adhibuisse: nonnè insano similis est, si ob hoc ipsum quòd infidelis fuit, fidem suo verbo haberi postulat?

Nota hanc rationem.

Sed huiusmodi hominum ac spiritum feraciſſima erat hæc ætas, ruptis semel Ecclesiæ septis, & laxatis ad omnem opinionum licentiam habenis. Iam in Anglia extiterant (vt supra dictũ est) Matthæus Parisius, qui Christi diuinitatem cum Arrio negabat; & Ioanna Buchera quæ vnà cum Valentino eiusdem incarnationem ex beata Virgine impugnabat, Iam Lutherani, Zuingliani, Caluiniani, & Anabaptistæ, omnes ex eadẽ radice & ab vna schola parùm antè prodeuntes, Per Angliam, Germaniam, aliasque Christiani orbis partes apparere & inter se dimicare cœperunt.

Fanaticorũ spirituum varietas.

* Iam Tholosæ extitit (quæ Galliæ est præclariſſima vniuersitas (qui Ioannis Baptistæ se spiritum habere iactaret; alter Lutetiæ, qui sancti Petri Genio se foueri affirmaret, tertius Basiliæ, qui se Mosis Angelum possidere contenderet. Iam Lutheri coquus Iustum se Ionam prædicabat; Iam Rodolphus à Moshan Deca-

* *Vide Cenebrardum lib. 4. An. 1550.*

Decanus Patauiensis, Lutheranismi & Papatus mediatorem se à Deo dimissum asserebat; Iam denique Dauid Georgius Sartor per Hollandiam & Frisiam, scribebat se verum esse Messiam Regem Regum ac Dei nepotem, & non ex carne sed ex Spiritu sancto natum. Hæc infanda Prodigia vna cum hæresi, in orbem prorupe runt.

Anno 1550.

Monstra & prodigia in Anglia.

Atquè vt in rebus fidei ac religionis, hæc mõstra inaudita quotidiè ferè his temporibus nascebantur; ita etiam alijs in rebus non pauca diuinæ iræ iudicia in Anglia visebantur; prodigiosi enim tam animalium, quàm mulierũ partus frequentissimè habebantur: Tamesis etiam fluuius, quo Londinũ alluitur, ad decimũ sextũ Calendas Ianuarias, intra nouem horas ter, præter omnẽ consuetudinem fluxit & refluxit. Eodem etiam anno Sudatorius quidam pestifer morbus, nunquam antea medicis cognitus, hominuersam Angliam peruasit, & infinitam fere hominum multitudinem prostrauit; adeò vt in vna ciuitate Londinensi intra dies septem, octingẽtos vita priuauerit, & alibi plurima hominum millia suffocarit: nec tamen vllam pestis naturã referebat, sed planè miraculo prodigioque datum est, quod Dei bonitas Anglos admonere voluit, peccati maximi quod in ipsum peccauerant: sed perditis nihil profuit.

Mirus morbus.

Mala Reip. gubernatio.

In rebus etiam publicis ac politicis non minores erant perturbationes, vniuersis qui rerũ potiebantur, auaritiæ, libidini ac ambitioni studentibus: & licet inter se inuidia & odio implacabiliter dissiderent; in eo tamen vno conueniebãt omnes, vt hæresim modis omnibus

bus promouerent, Catholicos expilarent, & vniuersum populum iniustis exactionibus, artificijs, fraudibusque spoliarent: quorum inter reliqua hoc ipsum quod sequitur illustre est exemplum.

Anno quinto Edouardi regni ad diem septimum idus Iulij, cum plebs nihil quicquam tale suspicaretur, inexspectato edicto, quarta pars argenteæ pecuniæ, per vniuersum Angliæ regnum, & quadragesimo postea die, alia quarta pars, omnibus & singulis adempta est. propterea quòd quilibet argenteus as, ad semissē: quilibet solidus & denarius, ad mediam prioris pretij æstimationē publico edicto redigebatur. Quapropter qui centum minas hodiè in pecunia numerata habebat, intra dies quadraginta, ex illis centum, perdidit minas quinquaginta; etiam si neque naufragium feciſſet, neque ab hostibus aut latronibus spoliatus, neq; ab alio quopiam deceptus esset. Tale tributum à seculo non est indictum, vt quilibet absque vlla exceptione dimidiam partem totius argenti sui numerati persoluere cogeretur. Et vulgus quidem non putauit se plus parte dimidia persoluere, cùm interim re vera totum vsque ad minimum teruntium; atque adeò plus toto persolueret. Quòd vt accuratè intelligatur, tota mente repetere oporteret, quod Henricus octauus post inchoatum iā schisma, pecuniam argenteā probæ monetæ in scoriam primus vertit. Porrò qui schisma Henrici auxerunt, etiam de bonitate monetæ quotidiè aliquid detraxerunt, donec assem ferè ad sextantem; hoc est, ad vncias duas redegissent. Ecce autem

Anno 1551.

Fraus in minuendo pecuniæ pretio.

autem cùm vilior & magis adulterina pecunia nullo modo cudi posset, cùm quòd pro asse populo exsoluisset iterum ad æstimationē assis populo recipi quacunque ex causa oportuisset, subitò iubent, quod pro asse exoluerant, pro semisse reddi. Addo etiam, quòd certa pecuniæ genera ad assem à Rege æstimata, pro quadrante atque adeò sextante iterum recepta sunt.

Furtum hæreticorum ingens.

Nunc qui hæc omnia genera fraudum contulerit, facilè deprehendet, vniuersis Anglis ciuibus vniuersam ipsorum pecuniam argenteam intra paucos annos non semel ablatam fuisse, & ereptam. Accedit eodem, quòd concussiones etiam non ferendæ passim à potentioribus committebantur; dum illi soli prævidentes pecuniæ decrementum & diminutionem futuram; (vtpotè cuius rei autores ipsi essent) prius & æs alienum creditoribus solverent, & famulis stipendia numerarent, & prædia coemerent, ea pecunia hodiè numerata, quàm postridiè minus quarta parte valituram præsciebant. Hæc omnia mala, Deus ex infinita clementia sua permisit, vt populus hac saltem ratione intelligeret, quàm iniqui dispensatores gratiæ Dei & donorum cælestium essent, qui nec vrbana quidem negotia sincerè administrarent. Veritas enim ait, *Si iniqui mammona fideles non fuistis, quod verùm est, quis credet vobis?* Itaque veritas Euangelij hæc est, eos qui populum in ijs quæ seculi fuerunt, tàm iniquè fraudarunt; nullo modo potuisse veros & fideles mysteriorum Dei censores existere. Et tamen ijdem illi erant qui sacris omnibus præerant, mirandum vt non sit, si hæresim pro

Luc.16.

fide

fide Catholica populo miniſtrarint.

Sacrilegium hæreticorũ insigne.

Sed non contenti homines impij hoc furto ac latrocinio, voluerunt inſigne ſacrilegij etiam genus adiungere. Emiſſis itaque per vniuerſum regnum quæſtoribus Regijs alijsque miniſtris idoneis; præceperunt; vt vniuerſæ Eccleſiæ theſauros ſuos ac ſuppellectilem, omnia etiam ornamenta, in vſus Regis traderent. Abſtulerunt igitur primùm quicquid erat ex argento vel auro, cruces, calices, pixides, & ſi quid huiuſmodi; quicquid etiam erat in donarijs preciosum vel in ærario. Deinde candelabra cæteraq; quæ vel ex ære, ſtanno, plumbo ac ferro aliàue materia alicuius mométi erat. Veſtes itẽ Sacerdotales & altariũ ornamenta; Campanas præterea quæ erant meliores, vnica (vt plurimum) relicta ad conuocandum pupolum, & vno in quaque Eccleſia calice ad combibendum in communione; & vnica veſte ſacerdotali, ad officia eccleſiaſtica celebranda; qua tamen poſteriores Caluiniſtæ vti recuſarunt. Atque hæc quidem tùm in Anglia fiebant. Iam videamus qua ratione iuſtiſſimus Deus, horum ſcelerum autores paulò pòſt caſtigauerit.

Dudlai cons. ſilium de tollendo Seimero.

Diximus ſuperius de Edouardi Seimeri Somerſeti Ducis, (qui Regis etiam auunculus & Protector erat) cum Ioanne Dudlæo Comite Varuicenſi, ſimultatibus: hic cùm Seimerum in arcem Londinenſem antea conieciſſet, & ex ea re magni animi exiſtimationem acquiſiuiſſet, & nonnullorum etiam Catholicorum ſtudiũ ſibi adiunxiſſet; experientia præterrea

rea didicisset, Seimerũ pusilli animi, abiecti spiritus hominem esse; statuit omninò è medio eum tollere. Quod vt faciliùs efficeret, volu primò amicorum potentium præsidio se mu nire: vnde & illis ipsis diebus quibus Seimer in carcere tenebatur, Ioannem Russellum Gulielmum Pauletum Comites creari curav rat: hunc Viltonien sem, illum Bedfordien sem. Nunc verò cùm Seimerum funditus euersum erat, ad quintum idus Octobris eundem Paule-

Anno 1551. tum Marchionem Vintoniæ renunciari fecit Gulielmum verò Harbertum, Comitem Pem bruchiæ; Henricum Marchionem Dorcestren-

Honores distributi. sem, Ducem Suffolciæ; ipse autem se Northū briæ Ducem, Regis accedente authoritate, qu in manu sua habebat, constituit. Atque horum amicorum potentia auctus, quinto pòst die Se imerum iterum in custodiam tradit, vnà cu vxore ac præcipuis quibusdam amicis, quorum nonnullos postea vna cum eo occidendos cu rauit. Ad decimum enim Calendas Februar Edouardus Seimerus Somerseti Dux, eo nomi ne condemnatus, quòd die quodam Dudlæ-

Seimeri condemnatio & mors. domum & cubiculum occulto thorace muni tus intrasset, eo animo vt ipsum in lecto con foderet, (quanquam id efficere non tenta set,) securi publicè percussus est; & paulò pò Rodolphus Vanus, Milo Partrigrius, Michā Stanhopius, & Thomas Arundelus, equites om nes aurati, vt consiliorum Seimeri participes eadem pœna plectuntur.

Dudlæi consilium de occupando regno. Iamque Dudlæus his fæliciter gestis maiora animo concipere cœpit. Erat enim nunc vna uersa Anglia in sua potestate, præcipuè Rex quo

quo cætera pendebant: quem cum ille vel tabe quadam laborantem, vel ita in manu sua constitutum, vt ad ipsius nutum & arbitrium laborare posset, animaduerteret; inijt cogitationem de occupando regno quod hac ipsa ratione quam nunc dicam consequuturum se sperauit.

Erant Henrico Marchioni Dorcestriæ,(quē nuper Suffolciæ Ducem factum esse meminimus, (filiæ tres ex vxore Franciſca, quæ filia fuerat Mariæ ſororis Henrici Regis Octaui natu minoris, (nam maiorem natu Margaritam Scotorum Regi ante nuptam diximus, hæ tres Ducis Suffolcienſis filiæ, cùm ex Henrici nepte natæ essent (licet ex illegitimo matrimonio vt existimabitur, videbantur proximæ succeſſionis regnādi iure, ſi Henrici liberi non obstarent; nam de Margaritæ maioris natu ſobole, cum in Scotia esset, nullam Anglis habendam esse rationem Dudlæus existimabat. Ineunt ergo consilium duo isti Duces, Suffolcienſis & Northumbrius, de collocandis in matrimonio his tribus filiabus, ac deinde de tollendis Henrici Octaui liberis, (qui tres etiam erant,)vt sic ad has transiret succeſſio; vt autem communicatione huius tanti boni plures colligarentur ad sceleris suscepti defensionem, statuitur, vt duorum potentissimorum Comitum Pembruchiæ & Huntingroniæ filijs primogenitis,duæ Suffolcienſis Ducis filiæ minores,nuptui tradantur; Iana verò ætate maxima, ad quam primo loco, Henrici liberis sublatis, regni hæreditatem cupiebant peruenire Dudlæi filio quartogenito,cui Hilfordi nomen

Ducis Suffolcienſis filiæ.

Tria matrimonia eodem die.

fuit, in vxorem daretur. atque ita factum est vt omnia tria matrimonia eodem die insig pompa Londini celebrata sunt.

Statim verò pòst, ægrotare cœpit Edouard Rex, ac lente tabe consumi; quo perspecto, D dlæus diligentiùs incumbere negotio, ac p mo quoque tẽpore Mariam primogenitam H rici ex Catharina filiam, quam solam timeb (nam de Elizabetha ex Anna Bolena parum rabat) Londinum aduocare, vt in sua pote te esset, ac publica custodia sepire statuit; præceleris Edouardi mors, consilium nõnih impediuit; Maria enim Princeps, cùm Dudl iussu Lõdinum properaret, ac iam ciuitati pro xima esset, admonita à suis, Regem ferè in e tremis esse, ac periculum sibi Londini par deseruit inceptum iter, & ad arcem quam suam minimè munitam, quæ Framingam di tur, omni celeritate se recepit; vbi vigẽsi deinde die ab amicis quibusdam sec retis, q in aula habebat, certior facta, quòd Rex ob set, quanquam adhuc diuulgata res non esse nec ipsa ignoraret quantæ vires contra eam p ratæ essent, omni tamen timore deposito, ac solo Dei iustitiæ ac innocentiæ protecto confisa tubarum sonitu Reginam se promulg uit.

Maria Londinum vocata iugit.

Mortuus est Edouardus pridie nonas Iul ætatis suæ anno decimo sexto, regni verò sep no, eodem prorsus mensis die, quo pater eiu Thomam Morum integritatis & iustitiæ capu capite feriendum ante aliquot annos curau rat; vt omnes qui rectè rationes rerum expe derent facilè perspicerent Henricum tãti vi ri cæ

Edouardi mors.

ri cædem, morte primogeniti sui luisse; nec tamen expiasse, quia pœnitentiam de peccato suo secundum Deum non egit. Eodem pertinet, & ad eandem Dei iustitiam referri debet, quòd nullus planè ex Henrici liberis, (quos ille vt multiplicaret, ac posteritati perpetuaret toties se vxores mutare fingebat) sobolem vllam ex se reliquerit (licet omnes iuuentute florerent) sed steriles transierint sine prole aut germine, ne Patris tàm impia propago, vllas radices ageret Northumbrius ac Suffolciēsis Duces, nōnihil perculsi præmatura Edouardi morte, quam diù cęlari vix posse sperabat, etsi omnia nondum ritè disposita essent, progrediendum tamen rati, ad arcem Londinensem, quamprimū se conferunt: ibi accepto clàm vniuersæ ferè præcipuæ nobilitatis iureiurando, in verba sua ac Ianæ Ducis Suffolciensis filiæ, quæ Regina erat futura; paulò pòst, euocarunt clanculum Prætorem Londinensem & sex præcipuos Senatores, quorum etiam iusiurandum in eandē sententiam postularunt; & tandem interpositis alijs duobus diebus, prædictam Ianam edictis publicis Reginam promulgarunt. Quam rem populus indignissimè se ferre inusitato quodam silentio commonstrauit; nonnulli etiam apertiùs obmurmurare, quorum vnus cui Gilberto Potto nomen fuit, à Domino suo proditus & accusatus, abscissis auriculis publicè castigatus fuit; accusator autem qui Sanderus vocabatur, eodem ipso die per Thamesim vectus, subuersa scapha submersus est. Alij carceribus traditi sunt, eò quòd scripto à DVCIBVS proposito,

De iustitia in Henrici sobolem.

Iana Suffolciensis promulgatur Regina.

contra Mariam subscribere recusassent; quo-

Franciscus Inglesildus.

rum ferè primus ac præcipuus fuit Francisc
Inglesildus eques auratus, summæ fidei ac integritatis vir, qui cùm Catholicus & ex ipsa Ma-
riæ familia esset, maluit fortunas suas omn
& vitam ipsam, summo potiùs periculo obij
re, quàm humano terrore à recto deduci: hic
ergo cum alijs custodiæ traditur, qui omn
certissimam mortem subituri videbantur,
Northumbrius victor extitisset.

Quæ dabãt Dudlæo audaciam.

Erant autem plurima quæ non dubiam v
ctoriæ spem, Northumbrio præbebant; eaq
tam externa quàm domestica: nam vt dom
omnia pro eo faciebat vniuersa nobilitas, vor
ac iureiurando sibi astricta, illiusque animu
confirmabant totius populi (vt videbatur)
uor, vires regni in sua manu positæ, Mariam
us quòd esset fœmina; demortui denique
gis autoritas, cuius vltimam voluntatem scri
to testatam pro se afferebat: ita ab extern
principibus nihil sibi timebat, nec quicquam

Henricus 2. Gallia Rex.

auxilij ad Mariæ partes iuuandas expectar
posse sciebat. Primùm enim cum Henrico II
Galliarum Rege, pacem paulò ante fecerat
reddita ei Bolonienſi ciuitate, & consequenter
etiam cum Scotia, cuius Regina Maria, nup
iam erat Francisco Henrico filio primogen
deinde Carolus Cæsar, à quo solo Maria spe
re potuisset auxilium, tanto impetu bellorum

Principum in Cæsarem conspiratio.

hoc ipso tempore premebatur, vt vix con
stere potuerit. Postquam enim superioribus
annis vniuersa domita Germania Electorem
Saxonem, & Lantgrauium Hessum protestan
tium capita, in suam potestatem redegisset, a
secun

secum captiuos in Belgium abduxisset; tantùm ea res aliorum Principum animos in eum commouit, vt Henricus Galliarum Rex, alioquin maximus hæriticorum hostis, Protectorem libertatis Germanicæ & horum captiuorum vindicé se scripserit, Mauritius etiam Saxo qui Cæsari hactenus fidelis extiterat, ac beneficia infinita ab eo acceperat, cum eodem Rege contra Cæsarem conspirauerit, iunctisque viribus tam illi, quàm Brandeburgicus cæterique Germaniæ Principes bellum ingens Carolo mouerint. Et quod molestissimum & omnium aliorum periculosissimum ipsi fuit; Henricus tres amplissimos Episcopatus, Tullum, Verdunum & Metim, breuissimo tempore Imperio ademit; Mauritius Oenipontana ciuitate in qua Carolus eodem die fuerat, repentè occupata, minimum abfuit, quin ipsum Cæsarem inexpectato aduentu in potestatem redegerit.

Anno 1552.

Mauritius.

Brandeburgicus.

Quæ omnia cùm Northumbrius in Anglia non ignoraret, non mirum, si tempus commodum ratus sit consilia sua fæliciter perficiendi. Itaque cum Londini omnia pro arbitrio constituisset, Ianam Reginam promulgasset, ac in arce Lõdinensi collocasset, optimatum singraphas ac iusiurandum accepisset, populum confirmasset, magistratuum officia distribuisset, & concionatores nonnullos delegisset, quorum primus fuit Ridlæus Pseudoepiscopus Londinensis, qui è suggestis tam Mariæ quam Elizabethæ causam impugnarent; Ianæ verò defenderent, ac populo commendarent id quod illi sedulo pro consuetudine fecerunt, cùm illo-

Dudlæi scelera.

rum institutum sit, ad omnem humanum fauorem, se accommodare, & id populo semper pro Dei verbo proponere, quòd à potentioribus suæ sectæ præscriptum fuerit) his confectis non aliud sibi iam obstare ratus, quã quod Maria in sua potestate non esset; ne procrastinatione sua populus ad illam confluueret, omni celeritate delecto milite, in eam ducit. Suffolciensi Duce ad res Londini conseruandas suo loco relicto.

Concursus ad Mariam

Cæterùm Mariæ causa tam erat perspecta, ac grata vniuersæ plebi, & Northumbrij ambitio odiosa: vt ex omnibus vndiquè partibus ad illam ingens fieret concursus, & minùs quàm decem dierum spacio, supra triginta militum millia secum habuerit, quibus omnibus tamen tanta erat abundantia rerum ad victum necessariarũ, vt cereuisiæ cadus vno Reali Hispanico, quatuor verò panes magni, sexta Realis parte vænierint. Nonnulli etiam ex optimatibus qui Londino abfuerunt, ad illam confluebant: quod cùm Senatores ac reliqui ex nobilitate Londini degentes, intellexissent; quamquàm Northumbrij postulatis cùm præsens esset, refragari non auderent, eum tamen nunc cum exercitu egressum proditorem declarant, ac Ducem Suffolciensem suo loco relictum, vna cum Iana filia, Regina paulò antè declarata, in custodiam tradunt; Mariã honori & regno restituunt, & edictis publicis quicdquid antea vel à se, vel à Northumbrio Ianæ nomine factum fuerat, rescindunt.

Dudleus proditor declaratur.

Dudleus se dedit.

Quibus rebus ad Northumbrium perlatis, cùm milites etiam suas passim à se dilabi & ad

Mariæ

Mariæ partes transire cerneret, animo fractus, Mariã ipse quoq; postridie Cantabrigiæ cõclamat; & deinde magistratui se dedit, die decimo postquã Ianæ imperium tribuisset. Quinto pòst die Lõdinum captiuus ducitur, vnde paulò ante triumphans exierat, ibiq; perduellionis, vna cum quatuor filijs condemnatus, 11. Calendas Septembris securi percutitur, cũ priùs hæresi omni renuntiasset, fidemq; Catholicam sincerè ex consilio Nicolai Hæthi Eboracensis postea Archiepiscopi, fuisset amplexatus; quã semper quidẽ pro ingenij sui acumine, intellexit vnicã & verã esse fidẽ: nisi quod ambitione excæcatus cùm videret per fidei Catholicæ professionẽ prorsus nullã; per simulationem verò hæresis, saltem aliquam spem regni obtinendi offerri; maluit hoc modo ad regnum aspirare, quàm in Catholica fide cuiquam parere.

Dudlai mors.

Ac quatuor quidem eius filijs parcitum est, quorũ duo adhuc viuunt, in magna gratia apud Elizabetham; Ambrosius Varuicẽsis, & Robertus Leceſtrensis, Comites. Ambrosius mitioris naturę ac minùs semper ambitiosæ extitit; Robertus verò tantorum malorum autor habitus deinde fuit, vt nihil optima Maria feciſſe in vniuersa vita Reipub. Christianæ incommodiùs existimetur, quàm quòd illum iustissimè condemnatum, vita donauerit. Quando autem Deus post viginti ferè annorum schisma tam admirabilem victoriam, Mariæ Catholicæ Principi, contra vniuersos penè optimates, sine vlla sanguinis effusione conceſſit, satis manifesto miraculo Catholicæ fidei veritatem, vniuerso mundo commendauit.

Dudlai filij condonati.

DE MARIAE REGNO.

PARS SECVNDA.

MAria igitur Henrici & Catharinæ filia post obtentam cælesti auxilio, tam insignem, & inexpectatam victoriam, ciuitatem & arcē Londinensem more triumphantis ingressa; mox, nullo Senatusconsulto expecto, sed sua sola pietate, prophanum Primatus Ecclesiastici titulum respuit, & è stylo Regio sustulit. Episcopos, Edmundum Londinensem, Stephanum Vintonienſem, Cuthbertum Dunelmēsem, qui ob fidem varijs carceribus vinctī asseruabantur, Thomam item Norfolciæ Ducem, & Edouardum Cortneum Marchionis Exoniensis olim ab Henrici occisi filium (quem Deuoniæ etiam Comitem illa postea creauit) iniustè ad perpetuos carceres damnatos, & libertati & honori pristino restituit: Exilij & perduellionis iniquissimam contra Reginaldum Polum Cardinalem, latam sententiam reuocauit, grauissimum vectigal, populo prius ab Edouardo impositum, condonauit. Et ne adulteratæ pecuniæ permutatione, tàm miserè expilarētur subditi, misericordissimè curauit; vt Rex

Maria in ciuitatem Londinensem ingressus & acta.

vt Rex Regi quid præstet, & hæretico Catholicus quantum intersit, omnes statim viderint, & gauisi sint.

Et quia sanctissima fœmina, publicum bonum suo semper commodo prætulit, cùm hactenus per totam vitam, vsque ad 38. ætatis annum virginitatis amore castissima permansisset; primo quoque tempore suorum suasu de nuptijs cogitauit: id enim Senatus summopere, propter spem prolis quæ ipsi in regno succederet, vrgebat. Primùm verò adiecit animum, ex quorundam Senatorum consilio, in eũ iuuenẽ quem anteà Deuoniæ Comitem ab ea creatum commemorauimus. Sed meliori posteà ac Angliæ magis salutari consilio, Philippo Imperatoris Caroli Quinti filio, cùm alias ob causas grauissimas; tùm maximè, vt potentissimi optimique Principis adiumento, Regnum ad fidem & obedientiam Sedis Apostolicæ restitueret, nupsit. Thomam Viatum equitẽ auratum, magnæ potentiæ virum, vt eas nuptias, regnique ab hæresi reconciliationẽ impediret, turbas in Cantij Prouincia cientem, sua potiùs insigni fide, quã vlla militũ manu deuicit, Ducẽ Suffolciæ paulò ante de vita condonatum, & nunc iterum tumultuantem, Comitem etiam Deuoniæ ob prælatum sibi Philippum, irascentem, & Elizabetham ex Anna Bolena Henrico natã sororem suam, cum Viato (vt Senatui videbatur) contra se ingratissimè conspirantes, in Turrim coniecit; Ducemque Suffolciensem posteà capite plectit; Comitem in Italiam relegat; Elizabetham quæ posteà adepta est regnũ,

Maria de nuptijs cogitat.

Conspirationes in Mariam.

magnorum virorum victa precibus, quodque puella esset ereptam morti, custodiędam Vodstochium mittit. Vt mirum sit quo sensu tàm confidenter Elizabetha, in eo quem de susceptis nuper Belgica expeditione edidit libello, asserat; de sua in sororem Reginam fidelitate, se nunquam, ne in quæstionem quidem vocatam

Maria clementia.

His omnibus, alijsque etiam hæreticis & coniuratis, melioris mentis vllam spem præbentibus, pacifica Regina, & à sanguine abhorrens, lubentissimè parcitum cupiebat. Et sanè nisi viri prudentes, quorum consilijs sepassa est regi, contrarium suasissent, & ipsi Duci Dudlæo, & Ianæ eiusque marito, qui regnum usurpauerant, sicut cæteris Dudlæi filijs perditionis condemnatis pepercit, condonassent. Hoc autem in ea singularis fuit in DEVM & Ecclesiam pietatis argumentum, quòd in se cõmissa peccata, multò facilius remiserit, quàm quæ in Christum & religionem perpetrata deprehendit.

Erant qui cum cæteris conspirauerant, varij Pseudoepiscopi læsæ maiestatis condemnati, sed hoc nomine noluit in quępiam ipsorum Maria secundum leges ciuiles animaduerti, sed ad Ecclesiæ iudicium eorũ causam prorsus deferri mandauit; præsertim in causa Cranmeri Archiepiscopi Cantuariensis, in quem, non nisi secundum mandata Apostolica inquiri, & sententiam dici permisit; vbi non ipsa, nec suæ maiestatis maritus Rex verè Catholicus, iudicũ, sed accusatorũ, corã commissario Apostolico per procuratores, pulcherrimo exemplo

Maria reuerentia in Ecclesiam.

emplo & ordine partes egerunt, sicut ipsi vidimus.

Cranmerus comburitur.

Hic erat ille Cranmerus Cantuariensis, qui sententiam diuortij contra Catharinam iniquissimè tulerat; qui nunc completa mensura nequitiæ suæ, primùm læsæ maiestatis in publicis regni Comitijs, nunc sua propria confessione conuictus; deinde spe vitæ Catholicum se fingens, ac septies & decies se palinodiam canere proprio chirographo attestatus; demũ in illa hypocrisi deprehensus, ab Episcopis Catholicis de gradu omni deiectus Ecclesiastico, & brachio seculari traditus, Oxonji posteà comburitur impœnitens: Legibus enim antiquis de puniendis hæreticis, iterum zelo principe Christiano dignissimo renouatis, non solùm ille, sed aliquod pseudoprophetarum cẽturiæ sunt sublatæ.

Maria modus in restituenda religione.

Sed vt intelligant omnes quanta in coercendis hæreticis, religioneq; Catholica per omnes ditiones suas restituẽda, sit vsa pietate, prudẽtia cõstãtia ac celeritate; quia ad sãctissimę fœminæ immortales laudes, & ad gẽtis peccatricis & infœlicis, tàm facilè posteà ad vomitum redeuntis, pudorem & castigationem pertinet, hæc silenda non censeo.

Ac primùm quidem, vt rem feliciùs ac faciliùs efficeret, de suorum consilio iussit; vt omnes externi, qui neque publicam personam gererent, nec in ciues essent ascripti, ad certum diem grauissima indicta pœna, de Regno exirent. Dicuntur autem ex hoc decreto abijsse, supra triginta millia hæreticorũ, variarum nationum & sectarum: nam omnes in hoc

Anglica-

Anglicanum asylum Edouardi temporibus lubenter confluxerant: De Petro Martyre aliquamdiù deliberatum est in Senatu, vtrum expediret illum in insula flammis tradere, quòd ille inter cæteros, multum damni Reipubl. attulisset: sed itum est in illud, vt quia publica fide venerat, demitteretur potiùs cùm suis. Bucceri verò corpus paulò antè Cãtabrigiæ sepultum, iubebatur secũdum leges, cum Pauli Phagij cadauere, exhumari & comburi; vxoris autẽ Petri Martyris impura ossa, è cœmeterio in sterquilinium Oxonij proijci.

Petrus Martyr.

Bucerus. Phagius.

Officia Catholica fieri cœpta.

Quoad officia sacra ac fidei Catholicæ exercitium, non potuit regina autoritate sua, nec nisi ordinibus conuocatis, ciuibus præcipere: sed & exemplo suo & edicto publico, quo suspendit omnium contrariarum legum ab hæreticis latarum executionem, cunctos cohortata est, vt schismatica Zuinglianorum templa, preces ac communionem, non adirent, sed ad catholicos ritus iterum redirent: Ad quam solam voluntatis suæ declarationem, & tàm pij principis, populum in omni religione præeuntis, imitationem, officia catholica per totum Regnum in omnibus ferè ecclesijs fieri cœpta, sunt. Continuò etiam aperta sunt pulpita Catholicis Ecclesiastis, & ne ampliùs conciones haberent hæretici, prohibitum est.

Edouardi regis exequiæ.

Omnium quæ ritu catholico publicè in Anglia fiebant, primæ fuerunt exequiæ; quas & more maiorum, & peculiari quodam in fratrẽ affectu, pro Edouardo, licet extra ecclesiam secundùm iudicium humanum defuncto, celebrari solemniter voluit. Sed meliùs postea institu-

stituta (etsi suprà quàm dici potest mœrore ex hoc confecta) si ita secundum regulam pietatis & religionis passa est regi, vt ne pro patre Henrico horrenni schismatis & peccati autore ac radice, publicè oraretur, tandē consentiret.

Maria religionis disciplinam affectui in fratrem praefert.

Sed in his primis restituendæ Ecclesijs initijs, grauius à clero passim in eo peccatum est, quod Regina ita (vt dictum est) facultatem exercendæ Catholicæ Religionis concedente, mox multi ex superiore Henrici & Edouardi temporibus schismate, canonum, & regulæ ecclesiasticæ obliti; sine conditionis cuiusq; suæ consideratione, non examinantes, à quibus & qualibus Episcopis, quouè modo fuerant ordinati; vtrum aliquo censuram, vel irregularitatum vinculo aut impedimento innodati ac irretiti, temerè planè ac irreuerenter (ne quid grauius de hominibus, ex canonica disciplina neglecta potius, quàm contempta peccantibus dicam) ad sancta altaria & sacrificia conuolabant: cuius etiam rei in hac nostra historia putauimus, ad aliarum gentium cautelam & cōmonitionem, mentionem facere; ne & ipsæ aliquando, vbi disciplina ecclesiæ est perturbata, in eiusmodi errores incautè labantur.

Error Cleri.

Nota.

Cæterùm ex hac fortasse in clero, maximè illius temporis supina ac irreligiosa negligentia, tàm citò (Deo vindice, qui sancta non nisi sanctè tractari voluit) cum pientissima Principe etiam hoc religionis summum bonum amisimus. Licet hanc culpam suam speramus post totius reipublicæ (vt infra dicetur) Sedi Apostolicæ factam reconciliationem eos omnes grauissimo dolore recogitasse, & pœnitentia purgasse.

Cæterùm

Cæterùm vt ante dicere cœperamus, partim Reginæ mãdato ac suasu, partim paulò post ordinum autoritate effectum est; vt abrogatis cõtra fidem catholicam fratris sui nomine sanciti legibus, deinceps antiquus orandi & sacrificandi mos, per totam Angliam & Hiberniam, reliquaque sibi subiecta loca restitueretur. Neque hæretici ipsi multùm ausi sunt resistere. Solùm vnus reliquis magis furiosus & audax, in eum qui primam catholicam concionem in celebri illo apud S. Paulum suggesto habuit è medio infinitæ multitudinis, extractum pugionem punctim eiaculatus est, qui delatus in columnas ligneas pulpiti, incassum cecidit; sed non sine magno mox hæreticorum astantiam tumultu: quorum furorem vt euaderet ecclesiastes, difficulter è turba & loco quo stabat quorundam opera subductus est. Simili furore alter etiam sclopeto alium ex eodem loco perorantem petijt, sed fustra: & re intellecta, præsidium posteà concionatori donec ille furor deferbuisset, datum est: nec vt in eum statum in quo erant res religionis cùm regnare cœpit Edouardus, alia ferè impedimenta Regina habuit.

Religio Catholica restitueretur.

Hæreticorũ rabies.

Sed quia ad illam immanem à Sedis Apostolicæ & orbis terrarum communione, per Henricum infœlicem patrem suum inuectam separationem resarciẽdam, ditionesque suas ad veterem disciplinam ac obedientiam & subiectionem summi Pontificis in soli dum reuocandas, maiore opus erat molimine & industria; nec id rectè sine suæ sanctitatis gratia & voluntati transigi posse videbatur; illustrissimum

Polus accersitur.

mum Cardinalem Polum multis nominibus sibi chariſſimum, quamprimùm potuit & licuit, accerſendum curauit. Quem & Iulius Tertius Pontifex libenter dimiſit; ampliſſimisque mãdatis inſtructum Legatum de latere ſuo, ad Reges ac Regnum vniuerſum dedit. Sed hæc omnia propter metum grauiorum tumultuũ, qui videbantur exorituri, non niſi ſecretò ab initio fiebant, re cum paucis tantùm ex Epiſcopis ſelectoribus Conſiliarijs communicata. Nec Polus antè Italia excedere conſtituit quàm Anglici Regni conditio ei explorata eſſet; quod ob ſuperiora ſchiſmata pertubatiſſimum eſſe exiſtimabat: atque ne ſe loco adhuc moueret, Cardinalis etiam Dandimus tùm Bruxellis apud Cæſarem Legatus, multas grauiſſimaſque ſibi Cæſarique videri rationes, ad Polum ſcripſit; miſerunt enim Pontificis mandato Ioannem Franciſcum Commendonum tum Papæ è cubiculo, poſtea Cardinalem magno & expedito ingenio virum, in Inſulam, vt de rerum ſtatu Pontificem & legatum certiores quamprimùm faceret. Is tam prudenter ac impigrè rem agit, vt & cætera ommia exploraret, & Reginã ipſam aliquoties clàm alloqueretur, & ab ipſa ſingrapham acciperet; quo obedientiam Apoſtolicæ Sedi pollicebatur, atque à ſchiſmate abſolutionem pro Regno petebat: promittens ſe rebus publicis compoſitis tumultibusque ſedatis, officium ſuum per Oratores facturam. Commendonus cum ijs mandatis Romam rediens, promptam Reginæ voluntatem Pontifici aperuit.

Polus Legatus à latere.

Commendonus in Angliam mittitur.

Polo

Polo autem adhuc in Italia subsistenti, alte-

Polus Legatus ad Cæsarem,

ra cum illa Anglicana, etiam ad Cæsarem, d
pace inter ipsum & Regem Gallorum concil
anda, decernitur legatio. Vtroque munere sus
cepto mox iter ingreditur, scriptis tamen pr
ùs ad Reginam Mariam litteris gratulationis
& consolationis plenis; quibus eam vt in sa
cto Regni sui ad pristinam gloriam & Roma
næ Ecclesiæ obedientiam ac cõmunionem re
uocandi proposito, constanter persistat, dili
gentissimè admonet, suamque operam mag
stati suæ in omnibus offert. Ex quibus literis
sta quæ ad hanc rem maximè pertinent insc
renda duximus. *Mea erga Deum & suam Ec-*

Vnde principium schismatis in Anglia.

clesiam, ac erga Maiestatem tuam pietas mo-
git vnum in hoc Regni tui initio tibi in memo-
reuocare: quod est, vt cùm ita singulare bene-
um à Deo acceperis, diligenter consideres, ex
bus radicibus perturbationes rerum ad iustitiæ
& ad veræ Religionis cultum pertinentium, pu
lularint: quippe cùm illæ indies in isto Regno cu
tanta ruina succreuerint tàm publica quàm pri-
uata, quanta non ignoratur. Atque si hoc ita fe-
ceris, percipies profectò principium & causam o-
mnium malorum tunc pullulasse, cum perpetuus
humani generis aduersarius, patri tuo persuasit
impurum consilium, vt diuortium fieret matri
tuæ optimæ reginæ. Atque illi magnæ in Deum, e
ipsam, in te, in seipsum iniuriæ, maius additum
est scelus, quòd à matre diuortium fecit omnium
Christianorum, à sancta Catholica obedientia, &
ab Apostolica reuerentia. Ex hoc iniquo & impio
semine tot pestiferi fructus nati sunt, vt ita regna
vbique corruperint, vt nullum neque iustitiæ, neq
vera

veræ religionis vestigium aparuerit : relegatæ enim sunt ambæ, quando reuerentia & obedientia Ecclesiæ eiecta fuit; neque prius sunt redituræ, quàm diuina obedientia in animum recepta sit eorum, qui rebus præfuerint. Hoc facilè tua Maiestas illi seruo suo potest credere, qui plurima, & ista, & Maiestatis vestræ causa passus est. Neque vllam defendendæ causæ tuæ rationē prætermisi, vbi aliquod extaret remedium, quo te tuis molestijs subleuarem. Quod si mei labores eum finem consecuti non sunt, quem semper desideraui, sæpius vel vitam ipsam periculis exponens; certè nunc ea de re multo magis lætor, quã ipsi adiutor fuissem, cùm apertissimè cognouerim diuinæ prouidentiæ in Maiestatem tuam propensam voluntatem Nam profectò noluit Deus illa humana te manu adiuuari, neque Pontificis, neque Cæsaris, neque vllius Principis : quamuis nūquam cessauit Pontifex Cæsarem ad opem ferendam cohortari, neque mea defuit diligentia vtrisque ad hoc pium opus sollicitandis; sed diuinitùs res protracta est, donec statutum tempus à Deo aduentarit, quo diuina manu subleuareris. Interim vsus est Deus eadem ratione, qua erga charissimos & dilectissimos vti consueuit, quos nutrit & educat in omni calamitatum ærumnarumq; genere; vt gratiæ suæ semen altiores radices in corde tuo posset extendere, meliusq; floreat, ac nobiliores fructus producat, cùm visum fuerit in pristinam fœlicitatem reuocare. Istud nunc omnes boni expectant; atque ego in primis, cui maior occasio concessa est, dotes animi, quæ diuinitus tibi concessæ sunt à teneris cognoscēdi. Eares me multo etiam magis impellit, vt Maie-

stati tuæ id significem de re tanta, quanta est Ec-
clesiæ obedientia; me magis etiam sollicitum esse
quàm antea, qua mente sis erga religionem, &
quo pacto affecta. Nam cùm circiter trecen-
millia passuum distem ab vrbe Roma, nuper al-
me de rebus Britannicis est delatum, & per li-
teras summi Pontificis certior factus sum te ad
summum imperium esse prouectam, & electus le-
gatus à sancta Sede Apostolica, ad Maiestatem
tuam, & ad Cæsarem, & ad Galliarum Regem,
vt tibi gratularer pro victoria Dei; in hac causa
ipsius Dei. Sed quia quanti res sit intelligo, cen-
sui non inutile fore si Maiestatis tuæ mentem qua
pacto Deus mouerit, priùs percunctatus fuero,
cuius causa præsentem nuncium cum meis litteris
mitto; neque istud quidem quia de optima vo-
luntate tua subdubitem, quoniam te semper pa-
tam erga Deum fuisse cognoui, & acceptorum
non immemorem, legumq; diuinarum obseruan-
tissimam, inter quas obedientia Apostolicæ Sedis
continetur, cui maximè omnium fauere debes.
Nam certè quidem Maiestatis tuæ pater nul-
la alia de causa Apostolicam obedientiam re-
liquit, nisi quia nollet Pontifex Romanus causæ
tuæ fauens, turpi & iniquo eius desiderio assen-
tiri. Sed quoniam tot annos tanta facta est mu-
tatio, tantaq; malitia conata est euellere ex a-
nimis hominũ penitusq; restinguere hanc ipsam
obedientiam & obseruantiam, mihi visum est
non absurdum fore, si ex te ipsa percunctarer,
quod tempus, aut quæ ratio aptior commodiorq;
videretur ad ipsius vicarij Christi legatione per-
fungendum, idq; ad istius regni beneficium &
consolationem: cuius felicitas & quies semper

magn

magis oppressa fuit, ex quo sancta obedientia expugnari cœpta est, coactaq; solùm vertere. Decreui igitur priùs responsum expectare; quod vt expectationi meæ optimè respondeat, ab omnipotente Deo suppliciter peto, omniumq; piorum spei quam habent de Maiestate tua conceptam, idq; ad confirmationem & incrementum felicitatis tuæ & istius regni. Quòd si mihi benignam audientiam concesseris, spero futurum, Dei optimi maximi beneficio, vt intelligas in hac ipsa obedientia Ecclesiæ, consistere & collocatum esse fundamentum & stabilimentum omnium bonorum ipsius regni. Sic igitur rogans omnipotentem Deum, vt pro sua infinita misericordia Maiestatem tuam fortunet in ipso imperio, in quo collocauit, finem scribendi faciam. è Cœnobio Megazeni Benaci idibus Sextilis. 1553.

Maria scribit ad Polū.

Ad has illa amantissimis respondet literis, quibus desiderium aduentus eius & firmum regni sui ad auitam fidem & Romanæ Ecclesiæ obedientiam reuocandi studium significat: porrò ab ipso petens vt humillimū suum obsequium Pontifici offerat & vicissim ab ipso indulgentiam sibi & benedictionem petat.

Ex Italia discedens, Cæsarem de altera delata sibi legatione, & quousq; in itinere processisset certiorem reddit. Cæsar magna cum celeritate nuncium cum litteris mittit, quibus significat fore sibi pergratum, si nō progrederetur alteriùs, donec ab ipso accersatur; quod futurum pollicetur, quamprimùm res matura esset: saltē si regredi ad tempus nollet, ne vltra Leodiū progrediatur, rogat. De his moris aliquoti-

es questus est apud Imperatorem Polus; tamen vt priùs Angliam ingrederetur, quàm nuptiæ cum Philippo filio transactæ essent, veritus ne eius præsentia nouum impedimentum adferret, Cæsar omninò non consensit.

Interea motus in Anglia varij, præcipue coniuratoribus in potestatem Reginæ redactis & supplicio affectis, vtcunque conquieuerunt. Sed hæretici (inquietum & turbulentum genus hominum) quod vi & armis apertis contra nuptias cum Hispaniarum principe, & Regni reconciliationem non poterant, diabolicis tentant efficere artibus. Nam præter priuatas insidias, quas ad tollendam Reginam (pro quibus Gulielmus Thomasus regij Senatus tempore Edouardi scriba, merita morte mulctatus fuit) impiè struxerunt; aliud ad conuendũ Londinẽsem populũ, seditioni tũ & hęresi valdè deditũ, inauditũ adinuenerunt stratagema. Induxerunt quippe quandã puellã octo decim annos natam, hęresi simul & pretio corruptam, in eam improbam simulationem, vt permitteret in abdito inter duos muros cuiusdam domus angulo ad tempus concludi, & per fistulam ad id aptatam eas voces ederet, quas istius strophæ artifices sibi suggererent. nomen puellæ Elizabetha Crofta erat, doli autor Dracus quidam. Ita ergo illa instructa & in loco ad fraudem accommodato collocata, mirabiles emittit continuò ex antro suo voces easq; tàm sonoras, vt per omnes vicinas audiretur. accurrunt vndique ciues, quid sit inquirunt; mirantur, voces non mortalis hominis, sed Angeli esse clamabant; vrbi ac Reipub-

Hæretici seditiones seminant.

Techna Draci & Elizabetha Crofta.

Protestantium Prophetissa.

lica

licæ iſte ſpirituscomminatur miſeriam, ærumnas, mala omnia, ſi nuptias cum Hiſpano, aut communionem cum Papa Romano admittant. Multa item contra ſanctum ſacrificium & reliquam fidem Catholicam, quaſi oracula fundebat: erant ex conſpiratoribus, qui data opera ſe turbis adſtantibus ſemper ingeſſerant, qui huius ſpiritus propheticas & obſcuriores ſententias, ad Religionis euerſionem & ſeditionem mouendam interpretabantur. Magiſtratus autem ad multitudinem compeſcendam & quid rei ſit luſtrandum accedit: fraus difficilimè apparuit: ſed tandem inito conſilio de diffodiendo muro & vicinis parietibus vnde voces reddi conijciebant, miſera puella prodijt; ac examinata quorum ſuaſu & conſilio hoc fecerit, confeſſa eſt ſtatim, ſe à quibuſdam ſeditioſis ſectarijs, ab eo in primis quem nominauimus Draco, adiſtam nequitiam inductam fuiſſe. Autores fugiunt, puellæ publica pœnitentia caſtigatæ reliqua pœna condonata eſt: & ita res tota in riſum & hæreſeos maiorem deteſtationem, quæ tam diabolicis ſuſtentatur artibus, recidit.

Tandem ergo his Hæreticorum fruſtratis conatibus, omniumque ſubditorum animis vtcunque ſedatis, Philippo etiam in Angliam iã ingreſſo, ac nuptijs vtrinque expetitis feliciter peractis Regis ſimul ac Reginæ authoritate, regni reconciliatio ſumma ſedulitate agebatur. Atque ob eam cauſam ad diem duodecimũ Nouembris, ordinum conuentus indictus eſt & Polus è Brabantia quò ante aliquot dies appulerat, miſſis ad eum honoris cauſa duobus pri-

Agitur de Anglia reconciliatione.

marijs viris Regum consiliarijs, in Anglia vocatur; & vigesimo tertio eiusdem mensis in vrbem honorificentissimè deducitur, quinto-que post die venit in consilium statuum, quod Parlamentum ibi vocant, Regibusque præsentibus legationis suæ causam exponit, hortatur-que vt ad Ecclesiæ communionem redeant, sanctissimoque Pontifici Principis Apostolorum successori, debitam authoritatem restituant, qui summam velit ipsis impertire clementiam, ac benignitatem: monet etiam, vt Deo gratias agant, qui talem ipsis Regem dederit atque Reginam. In hanc sententiam locutus egreditur.

Polus in Angliam redit.

Ibi Vintonienſis Episcopus Cansellarios, illius oratione repetita, multisque verbis ad vnionem & concordiam eos hortatus, pro magnas Deo gratias agendas esse dicit, quipp sua immensa misericordia, Prophetam eis ex ipsorum semine suscitarit; amplissimum vide licet Cardinalem, qui totus in ipsorum salute incumbat; Postridiè, cùm orationem & postulata Legati probassent ordines, concepta sunt petitionis formula qua regi supplicāt atq; Reginæ, vt ad illū intercedāt. Eius hæc erat sententia. *Pœnitere se vehemēter schismatis, quod obedientiam sedi Apostolicæ denegarint, & quod decretis factis aduersus illam assenserint. in posterum verò se futuros in ipsius atque Reginæ potestate; & facturos quicquid omninò possint, vt eiusmodi leges omnes atque decreta his comitijs abrogentur: maiorem igitur in modum orare, vt interueniant, & efficiant, vt censuris absoluti, in quas iuxta leges Ecclesiasticas per schisma inciderant, in Ecclesiæ Christi gremium rursus tan-*

Forma petitionis pro reconciliatione.

quam

quam filij pœnitentes recipiantur, vt deinceps in Romanæ & ſedis Pontificum obedientia ſeruire Deo poßint, ad ipſius nominis gloriam & ſuæ ſalutis incrementum.

Altera die, cùm iterum adeſſet Rex, Regina & Legatus, conſurgit Cancellarius, & quid ſuper Legati poſtulato decreuerint ordines, clarè pronunciat: deindè ſupplicem petitionem ordinum, ſcripto comprehenſam & obſignatam Regi tradit atque Reginæ, petens, vt accipiant. Hi, cùm apperuiſſent, Cancelario reddunt vt pronuncietur. Tùm ille rogat ab vniuerſo cœtu (qui totum regnum repreſentat) nùm ratam habeant? illis affirmantibus, Rex atque Regina conſurgunt, eamque Legato tradunt. Is cùm legiſſet, duploma viciſſim ſuæ etiam legationis illis exhibet: mox illud recitatur, vt ipſos abſoluendi poteſtatem ei facta à Pontifice, omnes intelligerent. Poſt, orationē habet, & quàm ſit grata Deo pœnitentia, quantumque de peccatore pœnitente gaudeant Angeli, multis in medium adductis exemplis demonſtrat: Deo gratias agit, qui mentem hanc emendationis cupidam ipſis inſpirauit. Eo facto, conſurgit: idem Rex & Regina faciunt, & in genua ſubſiſtunt. Ibi tùm ille Dei numen atque miſericordiam implorans, obteſtatur, vt populum benignè reſpiciat eique culpam ignoſcat: ſeque Legatum à Pontifice, Chriſti Vicario dicens vt illos abſoluat de more benedicit toti multitudini, ſimulque eam abſoluit. Ad ſacellum deindè ventum eſt: hic Deo ſunt actæ gratiæ ſymphonia cantorum, & feſtæ lætitiæ fuit editum ſignum, vti fieri conſueu t.

Acta in Comitijs pro reconciliatione.

Reconciliationis publicatio.

Secundo verò Decembris, Rex & Legatus cum omnibus penè totius Angliæ proceribus veniunt ad templum sancti Pauli; vbi Stephanus Vintonienſis Cancellarius regni, conſenſo celeberrimo totius gentis ſuggeſto, quod ſit ad crucem S. Pauli, poſt ſacram hortationem edicit populo illius vrbis, quanto ſtudio omnes ſtatus, totius regni nomine, ſe ſubmiſerint Apoſtolicæ ſedis obedientiæ, quantaque vicißim pietate ab illuſtriſ. Legato vice ſanctiſſimi D. noſtri ſint accepti, & à prioribus peccatis & cenſuris abſoluti. Et vt pro tanta gratia Deo, Papæ, & Regibus pientiſſimis gratias agant immortales, monet. Et non ita multò poſt Regum & Reipublicæ nomine, miſſi ſunt Romam Legati, qui officium & obedientiam ſuam Apoſtolicæ pro toto regno ſponderent & præſtarent.

Publica gratiarum actio pro Anglia reconciliata.

Atque in vrbe, propter lætiſſimæ rei nuntium ſupplicationes quoque publicæ factæ, & Deo grates Pontifice ipſo ſacra myſteria celebrante perſolutæ ſunt: & indulgentia ad modum Iubilæi per Chriſtianum orbem in gratiarum actionem publicata eſt. Hæc reconciliatio regni poſt vigeſimum annum in qua infaſtum illud ab Henrico cœptum eſſet ſchiſma incidit in profeſtum ſancti Andreæ: vnde ſynodico poſtea decreto, conſtituit illuſtriſſimus Legatus Polus, non ita multò poſt factus Cantuarienſis Archiepiſcopus, vt ad tanti beneficij immortalem memoriam, feſtum ſancti Andreæ in perpetuũ, principalis duplicis officio (vt tum illic loquebantur) apud Anglos celebraretur: vt totus Clerus ac populus per vni-

Dies reconciliationis feſtum principale Anglis.

vniuersum regnum, in sua quiqui Parochiali Ecclesia, infra certum tempus, absolutionis ac reconciliationis gratiam in genua prouoluti, humiliter postularent ac susciperent; quod & factum est à plebe auidissimè.

In hac tamen restitutione Religionis aliquę quidem graues interuenerunt difficultates, de quibus nisi Legatus seipsum aliosque cum magna prudentia & nonnulla etiam indulgentia expediuisset, non ita promptè in reconciliationem hanc & pontificiæ autoritatis agnitionem consensissent, nec in officio permansissent. *Reconciliationis difficultates.*

Timuerunt nimirum multi, ac ij in primis, qui ex spolijs Ecclesiarum & monasteriorum ad summos in Republica honores & diuitias euecti fuerant, ne Pontificis iussu huiusmodi possessiones ac bona repeterentur. Hunc istorum metum vehementer auxit, deuotissimæ Reginæ in rebus sacris, quas pater fraterque suus arripuerãt retinendis, tanta Religio, vt omniũ decimarũ, primitiarũ, beneficiorũ ac similium prouentus, ærario Regio ante applicatos in illustrissimi Cardinalis manus ac dispositionem resignauerit; eiusq; summi conatus vt ex antiquissimis illis monasterijs aliqua saltem ad Dei gloriam & regni honorem, primo quoque tempore restituerentur: præsertim vt celebre illud Vestmonasterienſe cœnobium Benedictinorum, progenitorum suorum commune sepulchrum in pristinum vsum accommdaretur. Occupabant illud tùm presbyteri quidam seculares (conuerterat enim Henricus in Collegiatam Ecclesiam) qui nec ipsi impiè acqui- *Vestmonasterium instauratur.*

sito iure, nec rogati quidem à sua Maiestate cedere volebãt; quos tamẽ postea sua Maiestas & illustriss. Legatus, partim coactione, partim compensatione, è monachorũ antiquissima & iustissima possessione abegerunt. His itaq; rebus fundorum Ecclesiasticorum occupatores territi, videbãtur aliquid turbarum excitaturi, illoque tempore importunissimo, nisi maturè tototi prospectum fuisset, Eò ergo ventum est, ut

Dispensatio de retinendis bonis Ecclesia.

dinibus id postulantibus ac vrgentibus, vt publico instrumento Pontificis nomine & authoritate edito, omnes de huiusmodi bonis ac possessionibus monasticis in schismatis acquisitis quoad pœnas & censuras canonicas, in perpetuum securos & absolutos Legatus declaret. In quo tamen omnes huiusmodi occupantes grauissimè admonet, vt eorum qui in scripta sacris de hoc genere sacrilegij notantur metuant exitus, ac Dei omnipotentis in tales severissima iudicia non obliuiscantur; licet Ecclesia suum ius secundum canones non persequatur. In eodem scripto cum omnibus infra gradus ab Ecclesia prohibitos coniugatis (quia innumeri erant nec sine magna rerum perturbatione separari poterant) dispensat; iubens matrimonium & prolem esse legitima: Episcopos omnes qui sententia religionis erant Catholici, in priori schismate factos, ac ipsos nouos Episcopatus (nam Henricus tempore schismatis sex erexerat) confirmauit. Et hoc scriptum legi parlamentariæ coniunctum, cum cæteris illorum comitiorum decretis publicatum est, & animi istorum pacati sunt. Quæ omnia Pauli quarti Pontificis Maximi literis postea fue-

Dispensatio de matrimonijs.

Episcopi facti in schisti confirmantur.

fuerunt ſtabilita & confirmata.

Cæterùm Epiſcopi illis iniquiſſimis temporibus extra Eccleſiam creati, quos iam ſchiſmatis ſui ex animo pœnituerat, hac communi diſpenſatione ac confirmatione non contenti, ſinguli (vno tantum Landaffenſi excepto qui illud negligentia potiùs quàm malitia prætermittens, ſolus poſteà ſub Eliſabetha, Dei vt interpretamur iudicio, in ſchiſma relapſus eſt) peculiariter petierunt à ſede Apoſtolica veniam prioris grauiſſimæ culpæ, & confirmationem in ſuo cuiuſque Epiſcopatu; quam ſingulari ſuæ ſanctitatis fauore etiam in ſcripto conſequuti ſunt.

Poli cura de Academijs.

Iam verò Illuſtriſſimus Cardinalis deinceps ad Cleri & maximè Academiarum reformationem, animum adiecit: in eo paulò indulgentior, vt à multis obſeruatum fuit, quòd in ſacerdotes ac religioſos vxoratos, non animadverterit ſatis; ſed à prætenſis vxoribus tantum ſeparatos, atque beneficijs prioribus priuatos, mox ad alia maiora ſacerdotia nimis citò admiſerit. Sed vt illud fieret, presbyterorum magnæ tum penuriæ indultum dicebatur. Ad Academias autem in antiquum ſplendorem, & diſciplinã reſtituendas, præter cæteros viſitatores Anglos, miſit Nicolaum Ormonetum Patauium poſteà Epiſcopum, virum grauem, prudentem, à zelo domus Dei inprimis præditum. Hic Oxonij & Cantabrigiæ Collegia omnia ad normam prioris à fundatoribus inſtitutæ gubernationis, quantum fieri potuit reduxit, hæreſios ſuſpectos abegit, Catholicosq; cùm

Ormonetus cum alijs viſitat. Academias.

cùm Professores tùm administratores vbiq
constituendos curauit.

Id verò summum erat Catholicorum R
gum nostrorum, ac illustrissimi Cardinalis
vniuersitatem Oxoniensem beneficium, quo
Petrum à Soto ordinis Sancti Dominici exce
lètissimum Theologum Hispanum, in Insula
accersitum, illic Professorem constituerint;
à Petro Martyre omnia paulò antè diruta rea
dificaret, Scolasticen restitueret, ac meretric
um illum Hæreticorum in docendo & decip
endo fucum, Gymnasijs pelleret, Quod ip
accitis aliquot alijs ex Hispania ac Germani
sui ordinis doctissimis collegis, breuissimo
tempore perfecit. Horum enim opera factum
est, vt iuuentus ferè vniuersa, Catholicæ &
Scholasticæ, solidęque doctrinæ, & capax &co
pida, quàm citissimè redderetur. Atque hunc
Petrum à Soto præceptorem iam suum, ita p
ori pseudoapostolo Petro Martyri comparat
(probè enim memini) sicut D. Augustinus
Lib. 5. Cõf. cap. 13. Faustum Manichæum magistrum anteà suum A
ambrosio olim comparauit; nimirum Martyr
rem dictionis meretriciæ, orationisque magn
hilarescentis ac mulcentis ornamentis, Sotum
facilè superasse; sed illum ab isto vicissim, re
rum sacrarum scientia & iudicio ita superar
vt ipsius, hæreticorumque omnium læuissim
& fallacissimæ institutionis, imposterum te
deret ac puderet. Certè his magistris sapient
simis ita profecit Academia, vt non aliunde
hoc Catholicæ fidei semen, quod Deus in tam
diuturna subsequente schismate & tam imma
ni persequutionis nobis reliquit, extitisse vi
deatur.

Ita ergo Academijs & reliqua Republica ab hæreseos fæcibus, quantùm tam breui fieri potuit spatio purgatis, restituuntur ac ornantur passim Ecclesiæ, altaria eriguntur & cõsecrantur, collegia noua ampliſſima dote fundantur, cœnobia Benedictinorũ, Carthusianorum, Brigitensium, Dominicanorum, Obseruantium, ac aliorum ordinum à deuotis personis reædificãtur; catholicis Regibus in hoc genere pietatis subditis omnibus prælucentibus.

Restauratio rerum sacrarum.

Ad sanctum sacrificium, confessionem, cõmunionem, publicas preces plebs alacri studio concurrit: & ad sacramentum quidem confirmationis, quod in illo gente supra, quàm in vlla alia natione colitur & frequenatatur (antiquissima enim illic traditione & lege tenentur parentes & patrini ad eum Episcopum qui primus post suorum baptismum intra septem milliaria venerit, paruulos confirmandos deferre: & cõmuni omnes Episcopi consensu ad huius Sacramenti administrationem in quamcunque diœcesin, vel locum diuerterint sibi mutuò & facultatem tribuunt & operam semper præstant) ad hoc, inquam, Sacramentum, quia per totum ferè sexennium quo Edouardus regnauit legitimè non administrabatur, tam innumerabilis paruulorum ex omnibus vrbibus, oppidis, pagis, agris, turba deferebatur (nã infame ibi, irreligiosum & legibus puniendũ est, non esse sacro chrismati ab Episcopo delibutum ante septennium) vt Episcopi varijs locis penè opprimerentur: & nominatim Reuerendissimus Cestrensis dum in agro Lancastrensi sub dio in planitie maxima (quòd nulla Eccle-

Feruor populi in Religione.

Ecclesia nec cœmiterium multitudini capiendæ esset satis) cùm necirruentium populorum vim ferre, nec omnibus satisfacere potuerit, vix & non nisi cum magna superuenientis ciuilis Magistratus diligentia, à tumultuantis plebis concussione liberatus est. Atque ita quidem religionis Catholicæ studio omnia feruebant.

Forma religionis reformandæ.

Et illustrissimus Cardinalis Legatus iuxta decreta illius synodi quam antè coegerat, religionis restituendæ ac reformandæ formulam, à summo Pontifice prius visam & approbatam, publicauit, atque ab omnibus ordinibus seruari iussit. Cæterùm illud ad cohibendum Cleri corum in victu nimium luxum, de certo ad mensam ferculorum numero, multi ægrè tulerunt, nec facilè illis locis & temporibus obseruari potuit. Ambitio quoque, plurimaque beneficia congerendi infinitum studium (quod ab Ecclesia & Clero, paulò antè propter hæc & huiusmodi peccata tam acriter castigatis, & tàm recens in gratiam receptis, longiùs etiam quam à cæteris Ecclesijs abesse debuit) in multis vix potuit retardari vel extingui. Vnde iam tùm, homines aliquot verè pij, & secundum Deum prudentes timuerunt, ne iterum à domino grauioribus quàm antè flagellis, vapularemus.

Nota.

Siue istud fuerit, siue aliud huius olim Dei dilectæ gentis peccatum; siue illa denique Henrici scelera & sacrilegia, quæ forsan grauiora fuerant, quam vt tam leuiter expiari potuerint, subitò tanto Catholicæ religionis bono priuati sumus. Nam ecce tibi, lectissima Regina cùm quinquennio & quatuor mẽsibus regnasset,

gnasset hanc vitam æterna commutauit; in hoc primùm infœlix, quòd cùm Henrici octaui fuisset filia, ob id ipsum nullam sobolem ex se relinquere posset. Secundo, multò etiam sua opinione infœlicior, quòd Elizabetham non modò æmulam ex illicita & ter dānata copula prognatam; sed de fide quoque, quantumcunque tùm dissimulauerit, sibi semper suspectam, & quam Reipublicæ ac religioni pestem futuram summè semper metuerat, ad regni gubernaculum relinquere coacta fuerit. Quomodo autem, quoùe iure aut titulo isti regnum obuenerit, paucis etiam hoc loco cōmemorandum videtur.

Mors Mariæ Reginæ.

Anno 1558.

Sæpe quidem conata est Maria illam ab omni successionis sorte, vel propter hęresim vel propter crimen læsæ maiestatis (multa enim contra sororem & Rempublicam commiserat) vel quòd magis constabat, propter impurissimos natales, excludere. Nam ex Clementis Septimi sententia iuridica, prætensum Henrici cum Anna matrimonium, & proles ex illa concepta, expresè (vt suprà commemoratum est) definiūtur esse illegitima. Idemq; Hēricus postea à perturbatione factus liberior, in publicis regni comitijs decerni curauit, omnesque sibi subditos à iuramento quod Annæ Bolenæ vel eius soboli priùs præstiterant absolui iussit; porrò contestatus in senatu suorum, Annam illam nec fuisse, sed nec esse potuisse vxorem suam, propter certam causam, quam dixit se Cantuariensi Episcopo secretò insinuasse.

Mariæ de Elizabetha cogitationes.

Henrici testimonium de Anna.

Et

Quo iure Elizabetha regnum Angliæ teneat.

Et licet Henricus anno trigesimo quinto regni sui, impetrata potestate ab ordinibus nominãdi successores suos, voluerit etiam Elizabetham habere in ordine regnandi locum quod & illorum comitiorum decreto approbari fecit, (ex quo solo parlamentario edicto & nullo natiuitatis iure ista est postea adepta imperium, & ita in hunc diem tenet) tamen nec ab Henrico patre, nec à seipsa, vllo statutum decreto, aut matris cum patre coniunctio aut natales ipsius fuerunt vnquam postea approbati aut facti legitimi.

Quin & ordines primo anno reginæ Mariæ, lege perpetua approbarunt coniugium Henrici cũ Catharina, & prolem ex eo genitã, omni diuino & humano iure legitimam fuisse declararunt; omnia contraria acta, processus, & sententias abrogantes: vt proindè altera Anna, Catharina adhuc superstite, veræ nuptæ esse non potuerint, nec ex illis suscepta soboles, legitima, aut Anglicani sceptri, secundum leges municipales quæ spurios non admittunt vel natura, vel vlla prærogatiua capax esset quod tamen Senatusconsultum nec ab ipsa Elizabetha rescissum est hactenus. Quæ licet ius regnandi vendicet, regnumque sibi debere omnibus in primis regni sui comitijs agnoscit voluerit; tamen nusquàm ius suum naturæ parlamento prædicto ascribit: hoc præterea varijs postea decretis cauens, ne quispiam pœna capitis affirmet; non esse in potestate Principis & statuum positum vt quem velint regem designent. De natalibus autẽ suis probandis aut reformãdis nullus sermo, sed altissimum vbique silentium.

Sed vt eò vndè digressi sumus, redeamus: Maria quæ probè cognouerat ex Henrici cum Anna Bolena plusquam adulterino coniugio, prolẽ prorsus esse imperio indignam, nunquã illi Senatusconsulto ex quo Elizabetha regnãdi ius & locum proximum prętendebat, animo acquieuit; sed cùm id sola, sine suorum optimatum populiq́ue suffragijs abrogare non potuisset; aduertissetq́ue eã fuisse multorum iniquissimam ac pernicioſissimam opinionem, vt non tantum illegitimùm, sed & hæreticum regem, modò ciuem ac domesticum, quàm peregrinũ ac externum, quãtumuis legitimum bonumq;, mallent (cuius præposteri iudicij humani, & Anglia sæpè, & multæ florentissimæ prouinciæ grauissimas Deo pœnas dederunt) quod in tali causa optimum factu restabat, prudentissimè fecit, vt instante mortis suæ hora, certos Principes viros ad Elizabetham ablegaret; qui tùm alia quædam, tùm in primis hæc duo ab ea peterẽt: alterum, vt mutuum quod à subditis suis Maria sub fide regia reddendum sumpserat, inq́ue publicam rem cõuerterat, Elizabetha reddendum curaret; alterum, vt Catholicam religionem in Anglia iam constitutam & stabilitam subuerti aut labefactari ne permiteret. Elizabetha (quæ dum Maria regnabat, semper se Catholicam finxerat, ac ni verè ita esset vt telus ipsi dehiscceret, coram Senatoribus aliquot aliquando optauerat) solita hypocrisi sua; vtrumque sanctissimè promisit, neutrũm re vera præstitit.

Mariæ morientis ad Elizabethã legatio.

Mortua igitur sanctissima fœmina Maria, quam Deus in medio schismatis Anglicani, ve-

lut signum quoddam fidele, ad ingentem C
tholicorum consolationem erexerat, ne al
qui animis suis defatigati, & vltrà quàm fer
possent, hæresum onere depressi fuissent: qu
& Cardinale Polo, post duodecim ferè hor
eodem ipso die, ex hac vita migrante,
mox hora Satanæ & potestas te-
nebrarum Angliam oc-
cupauit.

Cardinalis Poli mors.

Libri Secundi finis.

DE SCHISMATE RENOVATO ET IN HAERESIM Caluinianam commutato per Elizabetham, DEQVE EIVS ECCLESIASTICO regimine.

LIBER TERTIVS.

PRAEFATIO.

PRioris Historiæ autor in annos etiam Elizabethæ aliquot processerat ; sed quia ipso iam defuncto, ab alijs instituitur exactior de vita, moribus & regimine huius fœminæ commentarius, qui suo tempore edetur, epitomen tantùm rerum ab ipsa contra Ecclesiam gestarum ad tempus damus; vt ex istis vnguibus, Lænam nostram pleniùs postea describendam omnes agnoscant. *Intentio autoris.*

Cùm ergò Anglicani protestantes, Ecclesiæ gubernationem, quam Christus Apostolis eorumque successoribus, & in primis cæterorum

rum omnium summo presbytero ac Pontifi
Petro commiserat, ad laicos, pro singulis qu
bus præerant prouincijs transferri debere co
tenderent; Deus quo istorum hæresim rebu
psis confutaret, fecit, vt primùm non ad alie
laicũ ea gubernatio in Anglia perueniret, q
ad impijssimum tyrannum & sacrilegum He
ricum: Deinde vt ab illo ad puerum Edoua
dum: denique vt à puero ad fœminam Elizabe
tham deduceretur.

Mirabilis Dei prouidentia.

Henricus non quidem fuit, sed per sexu
atque ætatem poterat fuisse diuini verbi, qu
potissimum Ecclesia regitur, rerumque ac
gum sacrarum, administer. Edouardus nec
it, nec adhuc per ætatem poterat esse minister
verbi, quanquam per sexum potuisset. Elizabe
tha verò ne per sexum quidem poterat, vtpo
Dei sine quo Ecclesia nullo pacto regitur, ad
ministrare. Itaque eò res deducta est, vt pro
stantes dicant illam obtinere iam summum
Ecclesia gubernanda gradum, quæ non modò
nullum re vera obtinet (quòd etiam ei cũ He
rico & Edouardo commune est) sed nec pote
quidem vnquam obtinere, id quod soli Eliza
bethæ propriæ conuenit: quod D. Chrysosto
mus hac insigni sentẽtia notauit, cùm ait: *Quã
do de Ecclesiæ præfectura agitur, vniuersa quæ
muliebris natura functionis istius moli ac magni
tudini cedat oportet.* Cum enim Ecclesia nõ mi
nus ex viris quàm mulieribus consistat; Deus
autem mulierem tùm ex viro, tùm propter vi
rum ab initio fecerit (vnde per naturæ legem,
vir caput mulieris dicitur, sicut & Christus
caput vir, & Deus caput Christi;) quemadmo
dum

Henricus.

Edouardus.

Elizabetha.

1. Cor. 14.
2. Tim. 2.

Lib. 2. de sacerdotio.

Nota rationem quare mulier præesse non potest in diuinis.

dum nullo vnquam tempore euenire potest, vt vel Christus Deum, vel vir quispiam Christū regat: sic neque fieri aliquando poterit, vt mulier in ijs quæ Dei & Christi sunt, aut virum, aut Christi Ecclesiam in qua semper viri sunt, ritè atque ordine gubernet.

Diabolus quidē sanctum Dei ordinem perturbaturus mulierem primam in ijs quæ Dei erant violandis, ducem viro suo constituit, sacrorumque magistram ac præsidem ad totius humani generis pestem atque interitum, fecit. Sed filius Dei iudex & instaurator omnium à patre constitutus, iterū iussit mulierem in potestate viri esse, quod ius D. Paulus Apostolus tùm legem vocat, tùm in rebus Ecclesiasticis locum habere statuit, dicens: *Non permittitur mulieribus in ecclesiis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit.* Si ergo lex non Mosaica, sed diuina in Paradiso promulgata, iubet mulierem in Ecclesia subditam esse; quomodo Ecclesiam ipsam in qua subdita esse debet, gubernare potest? Quin etiam Apostolus in perpetuum eiusdem subiectionis signum præscribit, secundū naturæ legem *ne mulier oret aut Prophetet, nisi velato capite*; Vt videlicet ceremoniæ ipsius ritu admoneatur, sexum muliebrē in rerum sacrarum administratione nullam autoritatē habere sed veletā semper in ijs quæ Dei sūt peragendis, esse debere: Alioqui (ait Apostolus) *Si non velatur mulier, tondeatur*; Si verò turpè est mulieri tonderi aut decaluari, velet caput suū, idque si non propter viros (qui ferè in Ecclesijs absunt) saltem propter Angelos, qui nunquam absūt; siue per angelos intelligamus ministros

Genes. 3.

Diabolus mulierem diuinis præfecit.

1. Cor. 4.

Genes. 3.

1. Cor. 11.

Christi & dispensatores mysteriorum eius (vt D. Ambrosius admonet,) seu Beatos Spiritus qui semper Ecclesiam velut Dei castra ornant & cingunt.

1. Corin. 14. Malach. 1.

At Protestantes docent mulierem quæ est viro & propter virum facta, per solum diabolum viro in rebus Dei præponitur, per Christum verò iterum viro in ijs quæ Dei sunt subijcitur, quæque propter Angelos potissimum velari iubetur; non solum alijs viris qui sunt in Ecclesia, sed etiam ipsis Dei Angelis, quorum labia scientiam Dei custodiunt, & ex quorum ore lex Dei requiritur; id est, Dei sacerdotibus in ipsis rebus Ecclesiasticis moderandis præponi debere; idque non in gradu infimo, non in secundis tertijsue, sed planè, in summo gradu proximè secundum Christum ipsum.

Protestantium absurditas.

Malac. 2.

Quæ vnquàm fuit blasphemia si hæc non est? Non sine causa Apostolus notauit fœminas vanitatis peccatis, ab hæreticis præ alijs decipi. Experientia docet hunc sexum vbi vehementis est in alterutram, præsertim in peiorem partem, maioribus illecebris ac violentia, quæ viros rem suam persequi, virosque à fœminis in omni genere pernicioßissimè facillimeque inescari atque capi. Hieronymus etiam ex omni antiquitate probauit, singulas ferè hæreses quarundam in primis illustrium mulierum opera ac patrocinio propagatas, ipsarumq; affectas pro deabus eas veneratos esse. Legimus Peputzianos impurissimos hæreticos tantùm triumphuisse suæ sectæ mulieribus, vt earum solùm in Sacramentorum rerumque diuinarum administratione vsi sint ministerio; denique hoc in-

Fœminarũ iniquitas apta hæreticis.

Ep. ad Ctesiphontem contra Pelag.

Aug. lib. de hæres. c. 27.

fœlix

fœlix fæculum, & istam sectam turpissimam habere Athalias, Machas, Iezebelas, Herodiadas, Selenes, Constantias, Eudoxias, omnes vidēt. Sed tu Elizabetha supergressa es vniuersas, quæ te summam in his quæ sunt ad Deum, etiam super omnes Pontifices & Sacerdotes constituisti; de tuo ergò Ecclesiastico regimine & Primatu, quem supra sexus conditionem, contra omnes leges Christi & Ecclesiæ, prẹter omnem piorum principum consuetudinem tibi arrogasti, pauca adnotabimus. *Elizabethæ prærogatiua*

DE ELIZABETHAE REGNO.

MOrtua ergò Maria, Henricus Galliarum Rex, Elizabetham pro spuria habens, nurum suam Scotorum Reginam Henrici Octaui proneptem, Parisijs pro concione Angliæ quoque & Hyberniæ Reginam declarandam curauit, horumque regnorum insignia, in ipsius vasis, tapetibus, ac reliquis vtensilibus, simul intertexi ac insculpi iubet: Sed rerum potira-ẽt Elizabetha, Henrici Octaui ex superinducta Anna Bolena, priore adhuc superstite, sed repudiata vxore Catharina; altera filia. Quæ licet sorore regnante se Catholicæ fidei in omnibus cultricem præbuerit; tamen verita (hunc enim illi metum iniecerant subdoli quidam hæretici, quos in consilium asciuerat) ne de quo nata est matrimonio,

Causa mutandæ religionis.

summi Pontificis Ecclesiæque iudicio antea damnato, de natalibus etiam suis iureque regnandi, ex sacris canonibus aliqua oriretur dubitatio, Ecclesiasticis legibus subesse detrectauit, & de mutãda religionis Ecclesiasticæ regiminis forma, primo quoque tempore cogitauit.

Silentium indictum concionatoribus Cathol.

Animum in ea re suum statim patefecit & alijs multis modis, tùm maximè quòd Catholicis concionatoribus mox silentium indixerit; hæreticos in regnum, ex varijs vbi exulauerant locis redire permiserit; Episcopoque cuidam coram se facturo sacrum, iamque ad altare sacris vestibus induto præceperit, non eleuare consecratam hostiam. Vndè factum est vt Archiepiscopus Eboracensis, cui tum eo officio (defunctus priùs Cardinale Polo Cantuariensi Primate) munus ipsam in Reginam inungendi & consecrandi obuenit, negauerit operam suam; negarent quoque cæteri Episcopi, præter vnum, eumque pænè vltimum, omnes.

Episcopi recusant consecrare.

Elizabetha iuramentũ de fidei Cathol. defensione.

Iusiurandum tamen Christianis Regibus lege & more maiorum præscriptum de fidei Catholicæ defensione, priuilegiorumque ac libertatum Ecclesiasticarum conseruatione, ne fortè de regno minùs ritè sibi adepto postea fieret quæstio suorum suasu, qui regni causa quiduis simulandum, dissimulandum, iurandum, peierandum senserant, in sua inauguratione solenniter præstitit: permisit se quoque oleo liniri, sed non sine irrisione & fastidio; nam sub papilionem parumper pro more ad regales induendas vestes diuertens, nobilioribus

Lenitur sacro oleo.

bus circumstantibus ancillis dixisse fertur: Abite, ne fœtor huius olei vos offendat.

Habebat anteà in familia quosdam vel nouæ vel nullius religionis, in ijs erat Gulielmus Cecilius Edouardo sexto à secretis, versatilis ingenij, consilij, conscientiæ vir, qui fidem Catholicam paulò antè tam artificiosè simulauerat, vt & Reginæ Mariæ & Cardinalis Polo operam suam ambitiosissimè venditauerit, à quibus reiectus, ibat ad Elizabetham, cuius iã noui principatus occasione fore sperabat vt ad summos in Republica honores; præsertim si abrogata veteri religione, spretisque antiquæ nobilitatis procerum ac præsulum consilijs, sibi suisque obtemperare vellet; euehere-tur. Illa infœlix, morem gessit. Iste ascito in adiutorium sibi Nicolao Bacano iurisconsulto affine suo, maximi pessimique consilij viro, & in supremum magistratum euecto, facilè se suumque sodalem infinitis opibus & possessionibus hoc modo auxit, regni rationes in hunc vsque diem magis magisque implicatas, vel potiùs planè desperatas reddidit, seq; ipsum & dominam patriamque suam, ex hac cupiditate inseruit doloribus multis, vt quo se vertant, non habeant. *Cecilius.*

Atque ij duo in consilio rerumque omnium administrationem, primi erant, sed in aula & cubiculo, contra omnium expectationem, spreto Gulielmo Piccaringo equite aurato, qui antè in sũmis Elizabethæ delitijs erat, Robertus Dudlæus ex Northumbriæ Ducis filijs, quib. de perduellionis crimine à Maria parcitũ esse diximus, vnus, ita dominabatur, vt in spem

maximam Reginæ etiam in matrimonio potiundæ venerit, ipsius vxore oportunissime ad eam rem tempore, miserabili quidem & subito, sed Dudlæo non inexpectato casu interempta.

Primum Parlamentum.

Paulò igitur pòst, istorum maximè consilio, conuocatis ordinibus ad Parlamentum (vt vocant) cùm fœmina sit, voluit communi decreto esse & vocari suprema ecclesiæ regnorúm suorum, etiam in causis spiritualibus, gubernatrix; omnesque exceptis proceribus laicis, id solenni iuramento profiteri, adiguntur. Caput enim Ecclesiæ, quia id Caluinus in Henrico patre suo non probauit, non videbatur appellanda. Forma execrabilis sacramenti est illa.

Forma iuramenti schismatici.

Ego A. B. Prorsus testificor & declaro in mea scientia, Reginam esse solam supremam gubernatricem & istius regni Angliæ & aliorũ omniũ suæ Maiestatis dominiorũ & regionũ, non minùs in omnibus spiritualibus atque ecclesiasticis rebus vel causis, quàm temporalibus; & quod nemo externus princeps, persona, prælatus, status, vel potentatus, aut facto aut iure, habet aliquam iuris dictionem, potestatem, superioritatem, præeminentiam, vel authoritatem Ecclesiasticam aut spiritualem, in hoc regno. Ideoq; plane renuncio & repudio omnes externas iurisdictiones, potestates, superioritates atque autoritates.

Pœna iuramentum recusantium.

Secundùm hanc formam præter cæteros, tenentur nominatim omnes Archiepiscopi, Episcopi, Prælati totusque clerus iurare; qui facere reculat, prima vice beneficia & bona eius omnia fisco cedent, perpetuoq; carceris subibit

bibit: altera vice qui recusauerit, pœnam capitis perduellium more sustinebit. In hac iurisiurandi formula, cùm secundùm prius comitiale decretum, *supremi Capitis* appellationem indoctiores omissam viderent, pro simplicitate sua, lætabantur non eo vsque progressum esse, vt id sexui fœmineo tribueretur, quod antea viris Henrico & Edouardo honestiùs concedi posse videbatur; ex eoque plurimi non modo Caluinistæ, sed aliquod etiam vtcunque Catholici putabant magis excusabile, si hoc iuramentum præstarent.

Varia iuramenti interpretatio.

Alij, acutiùs fraudem an imperitiam dicam legislatorum, animaduertentes, *Caput* an *Gubernatricem Ecclesiæ* Reginam voces, nihil ad sensum prorsus interesse notarunt; cùm idem vtroque vocabulo omninò designetur: imò iuramenti formulam hanc, impietatem & vsurpationem Ecclesiasticæ iurisdictionis supremæ, longè explicatius continere, quàm nudum *Capitis* nomen, quod prioribus duobus regibus tribuebatur; cùm hic Reginam non minorem habere potestatem in res spirituales ac causas Ecclesiasticas, quam in sui regni res terrenas, confiteri & iurare oporteat; adeò quidem, vt multi putarint Elizabetham posse sibi ex hoc decreto omnem etiam in administrandis Sacramentis sacerdotalem potestatem arrogare. Quem scrupulum cùm videret Regina aliquos de non præstando iuramento causari, iussit in prima cleri visitatione sua, publicari quandam huius iurisiurandi seu expositionem seu correctionem, nimirum se non aliud hic velle aut vendicare, quàm quod prius patri

Fraus legislatorum detegitur.

Magnus scrupulus.

tri fratrique, nomine *capitis Ecclesiæ* ab ordinibus concessum esset. Ita, quod paulò antè turpe ac absurdum videbatur fœminæ ascribere, vt dicatur *Caput Ecclesiæ*; nunc mitiùs ac moderatiùs visum est, quàm hoc ipsum quod illius appellationis loco substitutum erat. Sic homines politici cùm res diuinas tractari præsumunt, ostendunt se nescire quid aut de quibus loquantur.

Ridicula correctio.

Sed in quibus rebus hæc spiritualis seu Ecclesiastica potestas, isti fœminæ regibusq; duobus prioribus concessa, maximè constat, ex ipsis legibus & decretis parlamentarijs breuiter commemorabimus, vt exteri qui rerum nostrarum vsum non habent, qui sit Reipublicæ præsentis status facilè cernant.

Leges de potestate regia in rebus Ecclesiasticis.

In primis ita habet lex, *Omnia priuilegia, præeminentiæ, prærogatiuæ, superioritates spirituales, quæ ab vlla potestate, vel humano, vel Ecclesiastico iure, haberi aut exerceri possunt, quæ ad visitationem, correctionem, seu reformationem cleri totius, sed quarumcunque personarum Ecclesiasticarum; ad cognationem etiam ac punitionem omnium errorum, hæresum, schismatum, abusuum, &c. Volumus in posterum quòd Regio sceptro in perpetuum sint annexa.*

An. 1. Eliza bethæ 1. Regina prælata regatiua.

Decernimusq; Reginam suosq; hæredes ac in regali dignitate successores, habere habituros q; esse deinceps omnimodam potestatem nominandi & substituendi quoscunque voluerint, qui eorundem vice ac autoritate, eandem iurisdictionem Ecclesiasticam exerceant pro beneplacito suo; personas visitent, hæreses, schismata, errores & abusus castigent; aliud ne quid vis iuris vel potestatis

2. Potestas delegandi.

statis exerceant, quod ab vllo vnquam Ecclesiastico magistratu exerceri potuit aut oportuit.

Decernitur idem, ne clerus ad synodum vllam, aliorum quàm regijs literis & mandatis conueniat; neue vllum canonem, legem, constitutionem synodalem seu prouincialem, vel faciat, vel exequatur, sine expresso maiestatis suæ consensu & licentia huiusmodi canones faciendi promulgandi vel exequendi, sub pœna carceris & mulctæ pro Reginæ arbitrio imponendæ.

Synodis præsidendi.

Decernitur ne quis exeat regnum ditionesq; suæ maiestatis, ad vllam visitationem, Concilium, conuentum aut congregationem, quæ religionis causa vspiam fiet; sed vt talia omnia, regia autoritate infra regnum fiant.

4.

Ne quis è regno exeat ad synodum vllam.

Item, ne Episcopi, vel vllius nominatione vel electione, vel vlla autoritate alia quàm regia creentur; neue iurisdictionem potestatem q; Episcopalem teneant aut exerceant, nisi ad beneplacitum Reginæ; nec aliter nisi per ipsam, & à regali maiestate deriuatam autoritatem.

5.

Episcopos creandi autoritas.

Non solùm autē Episcopos suos aut personas Ecclesiasticas, hac vicaria donat sub sede omnibus rebus ac personis spiritualibus iuris dicendi potestate; sed ex laicis quos volet etiam constituit commissarios seu vicarios, qui omnimodam exerceant spiritualem iurisdictionem, ad quos sæpè ab ipsis Episcopis prouocatur. Et quomodo quidem tam isti vicarij quàm ipsi etiam Episcopi dependeant omnino quo ad iurisdictionem potestatem q; omnem spiritualem ab autoritate huius fœminæ, ex literis ad eos formatis, quarum exempla superiori-

Spiritualis iurisdictio laicis delegata.

riori libro in schismatis Edouardi historia interseruimus, videre licet.

Absurditas horum decretorum.

Quorum absurdissimorum decretorum, iampridem etiam ipsos protestantes puduit ita vt legum suarum turpitudinem apud rerū Anglicarum imperitos tegere sint conati, affirmantes his legibus nihil aliud contineri, quàm Regem seu Reginam esse non minùs Ecclesiasticorum, quam laicarum personarum principem & dominum. Sed istud malitiæ velamen, ea quæ recitauimus facilè tollunt; cùm videamus his decretis non tantum Reginæ dari, vt in rebus ciuilibus sit omnibus subditis suis cuiuscunque ordinis superior; sed vt personis etiam Ecclesiasticis in ijs quæ sunt ad Deum, non minùs præsit, quàm ciuili magistratui in rebus ad pacem & politiam pertinentibus. Quodque est magis absurdum, hanc facultatem spiritualem asserunt esse partem regalis potestatis; eamque non nunc primum his legibus dari, sed vt ius antiquum coronæ Anglicanæ reddi & restitui. Quasi verò principes Ethnici sine ista potestate spirituali, veri reges non essent; aut Catholici reges, qui vel nũc sunt in alijs Christianis prouincijs vel in Anglia ante hoc schisma fuerunt, dimidiati tantum, & non integri absolutique principes essent; aut Christus non distinxisset ea quæ sunt Dei, ab ijs quæ sunt Cæsaris: vel nihil esset discriminis inter iura regalia & sacerdotalia; inter Ecclesiam, quæ est corpus Christi mysticum, & ciuilem hominum multitudinem, vel tandem inter eos quos spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, & humanam

Actor. 14.

nam creaturam, quæ ad huius vitæ commoditatem & tranquillitatem, propriè est instituta. Sed hæc omittamus, & Deo permittamus, vti discernat causam Ecclesiæ suæ, & ponat principes istos sicut Oreb & Zeb & Zebee & Salmana, qui dixerunt, *Hæreditate possideamus sanctuarium Dei.*

Elizabetha verò hac sibi hæredibusque suis arrepta potestate, simulque abrogata Sedis Apostolicæ autoritate, sibi, vt in eis quæ sunt ad Deum summæ ministræ, applicat omnium spiritualium prouentuum perpetuas decimas & primitias; id est, primi anni cuiusque beneficij adepti integros fructus, omnesque religiosorum possessiones, antè sacris vsibus à sorore restitutas, sibi reperit; vicarios & commissarios in spiritualibus constituit; sigillum ad causas Ecclesiasticas peculiare cudit; de puniendis hæreticis antiquas leges (quod ad rem valdè pertinebat) abrogat; nullum vult pro hæretico haberi, nec aliquam sententiam seu opinionem pro hæresi damnari, nisi secundùm iudicium quatuor primorum generalium Conciliorum, vel saltem alterius synode, quæ per scripturas, de tota causa rectè iudicauerit, vel (quod caput est) in conuentu statuum, id est, in Parlamento, ita fuerit decretũ. Postremò de fidei & religionis formula immutanda, prosuo suorũq; arbitratu idq; laicorũ solùm suffragijs decernit; omnibus ad vnũ Episcopis, qui primi sententias in Anglicanis comitijs ac iure dicũt, & certè soli in causis fidei dicere deberent, reclamantibus, ac toto prætereà tùm Clero Londini in Synodum Cantuarienſis prouinciæ coacto

Elizabetha arripit Ecclesiasticos prouentus.

Soli laici de fide decernunt.

acto, non solum refragante, sed peculiari scripto Reginæ ac parlamẽto porrecto, conscientiam suam communi omnium nomine attestante & vehemẽter obtestante, ne in illo concilio sæculari, de rebus religionis quicquam decerneretur.

Tremendum missæ sacrificium, cum reliquo omni sanctissimo ritu precandi, & sacramenta administrandi, abolet; & noua sacra ceremonias, precesque in lingua vulgari ad normam maximè Lutheranorum (hoc solo excepto, quod imagines sacras sustulerit) prescribit; licet fides Caluini magis tùm, & deinceps ab istis legis latoribus eorumque ministris & sectatoribus sit approbata.

Quomodo Elizabetha ordines deceperit.

Sed quia istud peculiare est, ferè hoc tempore huic genti, vt non popularibus tumultibus, sicut in Francia, Scotia, Belgica, cæterisque locis factum videmus sed principum mandato & legum prætextu, hæreses ac sectæ perditionis introducantur; operæpretium fortè erit hoc loco annotasse, quomodo ordinum consensum, ad eam rem Elizabetha procurauerit: nam sine ipsorum suffragijs non potuit illa quicquam in religione mutare.

Modus parlamenti Anglicani.

Sunt autem in istis comitijs Anglicanis duæ curiæ, vna optimatum & patritiorum; id est Episcoporum & procerum laicorum; & appellatur aula seu concessus superior: altera, partim hominum equestris ordinis, qui sunt prouinciarum Vicarij, partim decurionum, qui nomine ciuitatum ac oppidorum magis illustrium coeunt, plebisque personam sustinent; hæc vocatur domus inferior. Cùm er-

gò

gò adhibita esset opera, vt ex singulis ciuitatibus & prouincijs ij maximè cooptarẽtur in istã secundam comitiorum curiam, qui nouis rebus in fide & religione studerent, facilè obtentum est vt quicquid Regina proposuisset, in hac secunda curia comprobaretur. In prima autem curia præter Episcopos, omnes quidem doctissimos & constantissimos confessores, quorum grauissimis sententijs & suasionibus plurimi mouebãtur, cõsidebãt principes multi, ex priori Mariæ tẽporibus institutione adhuc Catholici, quos suppuduit post communem fidei & obdientiæ professionem in illo ipso loco, ante triennium tantùm coram suæ Sanctitatis Legato, totius regni nomine factam, tàm citò, ad vnius fœminæ vocem & voluntatem resilire. Aderant quoque ipsi, qui non ita multò antè regni reconsiliandi causa legationem Romanam obierant; qui grauissima oratione collegas suos admonuerunt, ne à fide ac societate omnium gentium maiorumque suorum secundò se abduci sinerent; nevè vnquam committerent, vt huius inconstantiæ ac in rebus, ad salutem pertinentibus leuitatis, æterno dedecore notarentur.

Episcopi.

Laici.

Itaque diu restitum est, & in hoc superiori Senatu tam difficulter est impetratum, vt nisi Elizabetha tacitam nuptiarum suarum spem * vni ex optimatibus suis faciens; * alteri in causa coniugij dispensationem, quam à Papa tàm expeditè habere non poterat, offerens, alijs aliter blanditijs, promissis ac muneribus gratificãs, tàm eos quàm alios principes istis necessitudine coniunctos, hoc modo in partes suas

**Comiti Arundeliæ.*

** Norfolciæ Duci.*

attraxisset; euerti non potuisset Catholica re-
ligio. Nam ne sic quidem schismatica pars
Catholicã pluspuam trium suffragiorum nu-
mero excessit. Elizabetha voto suo potita, pro-
cum illum neglexit, & turpiter ludificauit, si-
cut alios postea plurimos, seque dixit virgi-
permansuram, ac velle, vt in in marmore
quo sepulta iaceret, inscriberetur; *Ibi sita*
Elizabethã quæ & tot annis Regina, & tota
sua virgo extitisset.

Elizabetha Virginis epitaphium & gratitudo in amicos.

Alium quoq; summum Principem (Duce
videlicet Norfolciæ) quem in partem sua
blanditijs allexerat, varijs postea contume-
cotinuò vexatum, tandem per calumniam ac-
cusatum, vita etiam priuauit. Quod iusto De
iudicio multi factum interpretabantur, quod
illius præcipuè autoritate, religio Catholica
euersa fuisset: sane matrona quædam Lon-
dinensis pia in primis & grauis, ad istum Prin-
cipem veniisse, ac liberè dixisse fertur: Quo-
do (inquit) tua Excellentia suffragium quo
anteà dabat & debebat Ecclesiæ & Catholicæ
fidei defensioni, cõmodabat hæreticis ad reli-
gionis destructionem, nõ meminit puto, quod
sua illustrissima familia & persona, per hæreti-
cos anteà penè extincta & perdita, per sanctis-
simæ memoriæ Reginã Mariam fuerit restitu-
ta, atque in hunc excelsum dignitatis gradum
quem nunc tenet, euecta: sed quia hoc fecisti
& dilexisti magis gloriam hominũ, quàm Dei,
Deus te, reliquamque nobilitatem antiquam
huius peccati participem, puniet per istos no-
uos homines & hæreticos. Sic illum affata est
& luctuosus rerum euentus, vera esse quæ dixit

Libera admonitio mulieris Catholicæ.

com-

comprobauit. Sed his modis, quod voluit de mutãda religione,& primatu suo Ecclesiastico stabiliendo,tandem assecuta est Elizabetha.

Id verò in primis ipsam iuuit, quò optimatibus cùm alia multa allegantibus, tùm maximè quòd salua conscientia illud de suprema illius in rebus Ecclesiasticis potestate iusiurandum præstare non potuerint, curauit vt laici Principes omnes exciperentur, modò suis suffragijs Episcopos saltem clericosque, & alios nonnullos ad hoc sacramentum lege compelli permitterent.Ita multi ex magnatibus hac cautione sibi pulchrè prospectum putantes,de Episcopis pastoris pastoribusque suis nõ ita multùm curarunt, sed istis irreligiosis legibus obnoxios reliquerunt. Ita fit,quando res diuinæ in humanis & prophanis tribunalibus tractantur, quibus Deus non promisit spiritum veritatis,iudicij & iustitiæ.Memoriæ proditum est Henricum Octauum, tùm, cùm ad monasteriorum religiosorumque bona animũ applicuisset, facilè effeciſſe quod voluit in comitijs,non solùm per Principes laicos,verumetiam & prælatos Ecclesiasticos sæculares,qui ferè sua parum interesse putabant,quidquid de religiosos personis rebusue monasticis statueretur; & ita deserti religiosi ab alijs Ecclesiasticorum ordinibus, mox in prædam tyranno dati sunt. Posteà verò, & in his maximè sub Elizabetha comitijs,impetitis Episcopis ac clero vniuerso,Deus permisit, facileq; curatũ est, vt identidem prælati Ecclesiastici à proceribus laicis magna ex parte derelicti, ad prioris iniuriæ & peccati vindictã Elizabethæ upiditati

Fraus egregia.

Principes laici à iuramento excipiuntur.

Ecclesiastici à laicis derelicti.

permitterent, & religio omnis turpissimè pro-
stitueretur. Quam autem pœnam postea pe-
penderint laici ordines: partim iam vidimus,
& posteritas nostra clariùs videbit & mirabi-
tur.

Dum ista in comitijs prophanis, non mo-
An. 1559. non consentientibus, sed constantissimè resi-
Hæreticorũ stentibus omnibus ad vnum Prælatis, com-
astutia. religionem & cultum Catholicum statuunt
ne Catholici, qui omnium ordinum infinitos
rant, mirarentur ac conquererentur (vt cert
meritò fecerunt) de spiritualibus, ac ad ani-
marum vel salutem, vel damnationem aeter-
nam pertinentibus, contra voluntatem eorum,
quibus secundùm scripturas animarum cura
totiusque Ecclesiæ administratio commissa
est, transigi; vt aliquo vsque vel imperiti Sa-
tem fieret satis, dicunt suam Maiestatem cur-
turam, vt publica institueretur quorundã
doctorum protestãtium cum Episcopis & pra-
latis disputatio, vt cùm omnes viderint illa ca-
pita, de quibus in Parlamento deliberatum, n
contra voluntatem Cleri constitutum est, ab
istis nouis concionatoribus secundum Ver-
bum Dei defendi, ac certissimis rationibus
contra Episcopos aut alios quoscunque Papi-
stas probari, minùs mirentur aut ægrè ferant
etiam inuito clero ista decerni.

Et sanè quàmprimùm admonẽt Episcopos
Disputatio- nomine suæ maiestatis, vt vel ipsi se ad disput
nes inter Ca- tationem cum quibusdam Protestantibus pa
tholicos & rent, vel alios è suo clero qui hanc prouinciam
hæreticos. obire velint, substituant. Respondentibus Ep
piscopis, æquum non esse, vt ea quæ iam à mul-
tis

tis sæculis, tot & tam celebribus Pontificum, Conciliorum, ac Patrum iudicijs, definita sunt, in quæstionem ac disputationem veniant; multoque minùs, vt ea quæ in Academijs certo ordine, coram doctis ac iudicio valentibus agitari deberent, coram imperito ac nouitatis studioso populo, qui clamoribus potiùs quã argumentis rem omnem definere solet, tractentur: denique asserentibus cõtra contẽtiosos, & Ecclesiæ iudicio non acquiescẽtes, parum profici disputationibus, nihil egerũt; quia Protestãtes omninò voluerunt vt disputarent, propositis in quæstionẽ (vt fit) eis articulis qui videbãtur habere maiorẽ pro hæreticis in scripturis probationis speciem; vt de communione sub vtraque specie; de publicis precibus habendis in lingua vulgari & similibus.

Dies ergo & locus disputationi designati sũt; personæ vtrinque selectæ; iudex sit (si dies placet) Nicolaus Baconus, homo laicus, hæreticus, ac rerum diuinarum prorsus imperitus, assistente ad speciem tantùm, Reuerendissimo Archiepiscopo Eboracensi. Dies aduenit qui fuit tertius Aprilis, infiniti confluxerunt, iniquæ disputandi leges ab hæreticis tantùm præscribuntur, nihil ordine & ratione factum, declamationibus hinc inde tempus elabitur, prophanus iudex omnia vt volebat moderatur, res ad nihilum redit, hæretici in insania pergunt. Atque hic certè Episcopi tantam animi magnitudinem ostendebant, quantam in tam repentina hæresis irruptione optare quisquam poterat. Sua enim priuata pericula adeò neglexerunt, vt eorum plærique excommunicationis

Iudex laicus in disputationibus de fide.

Anno 1559.

Episcoporũ magnitudo animi.

cationis censuram aduersus Reginam alios[que] nonnullos adhibendam censerent, qui duca illi autoresque fuerunt tam periculosæ defe ctionis, totique regno ignominiosæ; Regi (inquam) illi, quòd tam paucis antè annis fue rat Sedi Apostolicæ reconciliatum, quodq[ue] sacrosanctis omnium ordinum iuramentis co firmauerat, se deinceps perpetuò in eius com munione permansurum.

Verùm prudentiores Episcopi, vel cert mãsuetiores, propositis quæ ex eo facto sequ tura videbantur magnis incommodis, contra riam sententiam prætulerunt. Itaque rem eam Romano Pontifici totius Catholicæ Christi Ecclesiæ Pastori, committendam potius statu erunt, quam ab illis qui Reginæ erant fabrica attentandam: quia factum illud nescio quo fortasse tumultus & scandala totiusque ord nis Ecclesiastici perturbationem, ac etiam pe sequutionem posset probabiliter excitare.

Non est enim dubium, quin aduersarij fid persuasissent, excommunicationem hanc emis sam ab Episcopis, tumultuandi potius studio quàm amore & charitate officijque fungend zelo; vnde tamen omnes huiusmodi censur re vera proficiscuntur, quocunque tãdem mo do, ij in quos feruntur, malè videlicet affec & morbis animi grauioribus sæpenumero l borantes, Principes præsertim, nisi in tim Dei multum profecerint, eas interpretent Cùm sæpè legamus multos Episcopos propt reà à multis Regibus eueſtigio iugulatos.

Rebus ita ordinum autoritate cõfectis, p certam diem, id est, festum Sancti Ioannis B

ptistæ], Anno 1559. Missam facientibus aut audientibus, aliudue quodcunque officium Ecclesiasticum ritu veteri procurantibus, Sacramentumue aliquod ROMANO more administrantibus, grauis indicitur multa; nimirum, vt qui hanc legem prima vice committeret, vel ducentos aureos penderet, vel sex mensibus in vinculis ageret; secunda vice, quadringentos aureos aut vnius anni vincula exolueret; tertia demum vice, perpetuis carceribus addiceretur, omnibusque bonis excideret. Quo factum est, vt ad præscriptum diem cessarent sacra publicè fieri per totum regnum.

Anno 1559.

Mulcta missam vel audientibus. vel facientibus indicta.

Quia verò his impietatibus Episcopi (vt dictum est) consentire noluerunt, nec iureiurando affirmare se in conscientia credere, solùm Reginam sub Christo esse Anglicanæ Ecclęsiæ supremam gubernatricem, præter vnum omnes sunt paulò post de gradu & dignitate sua depositi, ac carceribus varijsque custodijs commissi, vndè omnes hodiè longo miseriarum tędio extincti sunt. Quorum glorioſissimorum Confessorum nomina ad æternam rei memoriam apponam. In primis Nicolaus Eboracensis Archiepiscopus, paulò antè Anglię Cancellarius, deindè Edmũdus Londinẽsis Episcopus, Tõstallus Dunelmensis, Ioannes Vintonienſis, Thomas Licolnienſis, Thurlbeus Elienſis, Turbaruilus Exonienſis, Burnus Bathonienſis, Polus Petroburgenſis, Baynus Litchfildenſis, Cuthubertus Cestrenſis, Ogletrhopus Carliolenſis, Thomas autẽ Golduellus Assapiẽsis, plenus pietatis & dierũ, 26. postea annos Romæ vixit,

Episcopi de gradu deiecti.

& non ita pridè fœliciſſimè ac ſanctiſſimè in domino obijt. Quibus propter ſummam conſtantiam & vinculorum ſocietatem, Feckna-

Anno 1585. mum occidentalis Monaſterij Abbatem adiungere licet, qui hoc tantum anno præclara confeſſione perfunctus, fœliciter requieuit in Domino.

Exules ex omni hominum genere pro fide.

Horum inſignium paſtorum & prælatorum ſuorum exempla, ex clero melior pars imitata eſt; plurimis eorum qui primarias Eccleſiæ dignitates obtinebant, vel in cuſtodiam datis, vel extra patriam fugatis; hæreticis miniſtris ipſorum loca & honores inuadentibus. Solum verterunt etiam religioſi variorum ordinum plurimi; ac conuentus etiam vtriuſque ſexus integri tres; ſecuti ſunt quoque nobiles laici vtriuſque ſexus permulti, etiam vſque ad carceres & bonorum rapinam; Vtriuſque inſuper Vniuerſitatis (duas enim Anglia Academias Oxonienſem & Cantabrigienſem habet (hinc ipſe, in exteras regiones quaſi turbine delatus & diſperſus eſt, circiter autem trecenti omnium ordinum ab initio commigrarunt in varias Europæ partes, ſed maximè in Belgicas Vniuerſitates, quò etiam multò plures poſtea confluxerũt; vnde Anglicani agri deſerti, magna deinde ſementis copioſiſſimaque meſſis extitit, futura tandem (vti ſperatur) ad totius nationis ſalutem.

Libri à Catholicis ſcripti.

Horum aliqui, vtiliſſimis tàm ſua, quàm latina lingua poſtea ſcriptis libris, varias Catholicæ religionis partes fortiter contra hæreticos defenderunt & egregiè illuſtrarunt. In his ſunt præcipui, Nicolaus Harpesfeldus, qui

qui etiam in carcere egregium opus contra Magdeburgenſes, Copi nomine editum, multaque alia adornauit; Thomas Hardingus; Nicolaus Sanderus; & qui adhuc viuunt, Gulielmus Alanus & Thomas Stapeltonus, alijque nonnulli quorum opera innumeræ animæ ſuorum deceptæ, ad gremiũ Eccleſiæ indies per Chriſti gratiam redire noſcuntur.

Occaſio prima ſcribendi libros Catholicos.

Non erit autem fortaſſe à propoſito noſtro alienum, hoc ipſo loco ſubiungere occaſionẽ primam, quam Dei prouidentia his libris ſcribendis dedit. Cùm enim primis illis initijs, non tanta hominum multitudo, præſertim dictionum, ad nouitatem illam amplectendã adduci potuiſſet, quantam hæretici ſperabant, frequenſque omnibus in ore eſſet, antiquitatẽ venerandam ac primorum Patrum ſacroſanctam autoritatem, tàm leuiter non eſſe à poſteris reijciendam, vt huic malo remedium aliquod tempeſtiuũ adhiberetur, Ioannes Iuellus Superintendens factus Sarisburienſis, qui ſingulari eloquentiæ opinione apud ſuos florebat, celeberrimum Sancti Pauli ſuggeſtum Londini cõſcendit maxima hominum frequẽtia, ibique conciones aliquot in laudem antiquitatis habuit; vehementer aſſerens, Proteſtantes nihil præter antiquitatem quærere; nihil præter ſcripturæ ſacræ & antiquiſſimorũ Patrum, Doctorum, ac Conciliorum autoritatem tueri; nihil impugnare præter nouos errores; denique, hanc eſſe ſolam litem ac controuerſiam inter ipſos ac nos, quòd ipſi vetera, nos noua defendamus. Quæ cùm maxima contentione & hypocriſi dixiſſet, tum obortis

Iuelli hypocriſis ac iactantia.

etiam lachrymis hac apostrophe vsus est. O sa-

Iuelli apostrophe.

cri patres, quid aliud facimus, quam vt vos de-fendamus? ô sancti Apostoli, quam aliam quam vestram doctrinam propagamus? ô Gregori, ô Augustine, ô Hieronyme, ô Ambrosi; ô Cypriane; ô Basili, ô Petre, ô Paule, ô Christe; si nos fallimur, vos nos decepistis; si nos erramus, vos in errorem nos induxistis: nos enim verba vestra exactissime sequimur, vestigijs vestris diligentissimè insistimus; nec errare possumus, nisi vos errauerit-tis: nec quenquam decipere, nisi vos nos deceperitis: quod alienissimum tamen est à sanctitate vestra. Deinde enumeratis non paucis Catholicæ fidei capitibus de quibus controuertebatur, hanc protestationẽ solemnẽ verbis adiunxit. *Si quis est aduersariorum nostrorum in vniuerso mundo, (neminẽ enim excipio) qui pro quouis istorum articulorum quos enumeraui, confirmando vel probando locum aliquem vnum; vel vnicam tantum sententiam, ex aliqua scriptura Canonica, vel ex aliquo Concilio generali, vel ex aliquo sanctorũ Patrum qui intra sexcentos annos à Christo vixerint (non loquar auditoribus Deus scit, hyperbolicè, inquit; sed sincere, ac simpliciter,) si aliquã vnam sententiam vel clausulam, locum vnũ vel autoritatem vnicam perspicuam, ex aliquo autorum quos dixi, attulerit; Ego firmiter promitto vniuersæ me fidei Papistarũ subscripturum, nec nobis aut huic Reipublicæ erit quicquam gratius, quàm vt qui inter eos doctiores sint, huic meæ postulationi æquissimæ satisfaciant.*

Iuelli protestatio ac prouocatio.

His dictis, articulorũ capita in vulgus proiecit, & eadem paulò pòst impressa etiam prodierunt, ingenti sanè hæreticorum applausu,

Catholicorũ responsa.

& non

& non paruo aliorum ſtupore, qui impudentiſſimam hominis inſaniam ſatis mirari non poterant. Sed cùm non multis deinde menſibus; Catholicorum libri comparuiſſent, quibus non ſolùm vnus vel alter, vt poſtulabatur; ſed infiniti ferè ſacræ ſcripturæ, ſanctorum Conciliorum, ac antiquorum Patrum loci manifeſtiſſimi producebantur, quibus impij hæreticorum errores euidentiſſimè conuincerentur; nec Iuellus ipſe alium reſpondendi modum inueniret, quàm vt autoritates propoſitas, vel corrumpendo peruerteret, vel illudendo pernegaret: tùm pudere cœpit Proteſtates iſtius ſtultæ iactantiæ, accuſare Iuellũ temeritatis ac inconſiderantiæ, interpretari varijs modis prouocationem ab eo factam, inſimulare Catholicos nimiæ acerbitatis, ac ſeditionis mouendæ ſtudij in reſpondendo: Denique edictis legibus ſeueriſſimis prohibuerunt, nec amplius libri à Catholicis ſcriberentur, aut à quoquam intra reginæ ditiones legerentur. Sed hoc neque hos, neque illos ab incœpto deterruit: maximo enim fructu & ſcripti & lecti fuerunt deinceps ſemper libri Catholici, eique rei tribuitur pars magna illius incrementi ac progreſſus in fide Catholica, quem poſterioribus his annis in Anglia vidimus. Sed iã incœptam hiſtoriã proſequamur.

Proteſtantium tergiuerſationes.

Habet Anglia præter duas illas quas nominauimns Academias antiquiſſimas, olimque maximarũ artiũ, ac præſertim Theologiæ ſtudioſis florentiſſimas, nunc verò (vt temporibus ſectarum fit) nouorum oratorum & grammaticorũ tãtùm nutrices, quædam Londini gymnaſia

Legiſtarum Collegia Londini.

nasia ampliſſima, in quibus principum, nobiliū ac ditiorum ferè hominū filij ius Britannicum ac leges municipales addiſcunt, ex quibus fere prodeunt ij, qui populo ius dicunt & Rempub. adminiſtrant: genus hominum in illa gente, ſi quod aliud, prudens, graue & honoratum. Hi ita deteſtabantur iſtam religionis mutationē quam ſua prudentia ſtatui & Reipub. perniciosiſſimam fore præſagiebant; vt propterea plurimi, fidei & antiquitatis amantiores, à cauſarū patrocinio, iure dicūdo & publicis muneribus fuerint tùm, & non ita multò pòſt amoti, alijs in eorum loca ſuffectis; non quidem qui hæretici eſſent (nam eius ordinis pauciſſimi ſemper fuerunt) ſed qui nouerant cedere Cæſari & tempori, ac ſecundas partes dare Deo. Quod in omnibus ordinibus fecerūt multi, vnde maior ferè ſemper quam ab ipſis hæreticis, Reipublicæ pernicies eſt ſequuta.

Maior pars Angliæ Catholici fidei addicta.

Diuiſa autem omni Anglia in tres partes ex tribus vna non erat eo tempore hæretica, nec cupiebat aut probabat mutationem religionis, nedum poſteà, cùm ſectæ pernicie eſſet experta. Nam præter plurimos ex optimatibus præcipuis, de quibus diximus, pars maior inferioris nobilitatis erat planè Catholica; plebs quoque, qui agriculturam per totum regnum exercet (honeſtum & opulentum in illa inſula genus hominum) nouitatem iſtam imprimis deteſtabatur nec regni illius prouinciæ aliæ, quàm quæ ſunt propè Londinum & aulam; nec ciuitates ferè, niſi maritimæ, atque in iſtis præ cæteris otio & delitijs affluentes adoleſcentes, bonorum decoctores, mulieres onuſtæ peccatis,

tis, cæteriq́ue similis farinæ miselli, vltrò hæresim amplexabantur. Hoc enim nobis pueris obseruatũ est, maximè in vniuersitatibus, quẽque eò esse in hæresim natura procliuiorem; quo esset præ cæteris, magistris magis immorigerus, parentibus ac superioribus inobediens, dominis infidelis, aut de aliquo alio graui peccato notatus. Præter istos ergò licet cæteri ferè essent corde catholici, tamẽ putabant aliquousque exteriori vita, & obediendum legibus, & regiæ voluntati cedendum: & si quid in ea re peccetur, id tribuendum principi vel magistratui & non sibi, qui iudicabant se vtcumque hac necessitate excusari.

Qui sunt ad hæresim procliuiores.

Venerunt quoque in hanc ipsam sententiã nonnulli ex inferiori clero presbyteri & parochi, ecclesiarumque cathedralium vel collegiatarum Canonici non pauci, qui ex animo sectam damnabant, & aliquandiu etiam à faciendis istis nouis officijs propter conscientiã abstinebant; adeò quidem vt post diẽ à lege præscriptum, in quo vera sacra cessare, falsa ista inchoare oportuit, multa essent per totum regnum ad aliquod menses clausa templa; cũ presbyteri veteres, schismatica sacra non lubenter facerent, & nouorum ministrorum non esset adhuc tanta copia, vt tot locis inseruirent.

Sacra hæretica egrè primo recepta.

Sed cùm Elizabetha paulò pòst, pro sua scilicet omnium ecclesiarum solicitudine, visitationem cleri fecisset, ac in parochos qui ritus parlamentarios in parochijs suis ad diẽ à lege præscriptũ nõ obibant, diligenter inquisiuisset; plurimi metu amissionis bonorum & beneficiorum ad noua ista sacra se accommodabant.

Visitatio cleri per Elizabetham

bant. Si qui autem essent qui constantius resi-
sterent aut non assentirentur, his alios ex nouo
sua creatione substituebat ministros, qui illos
fungerentur munere; plebem etiam compel-
lebat, in singula capita, si festis diebus abesset,
secundum comitiorum edictum, duodecim al-
sium indicta mulcta, vt Ecclesias sicut prius
frequentent; quæ pœna postea grauissimè est
aucta, vt suo loco dicetur.

Prima mulcta recusantibus adire ecclesias hæreticorum.

Atque ita vel vi vel arte factum est, vt ma-
ma catholicorum pars, vsque adeò his primis
initijs nõ perspecto rei periculo, hostibus pas-
latim cederet, vt schismaticorum ecclesias,
conciones, communionem ac conuenticula,
aliquando publicè adire non recusarent. Itta-
men vt interim Missas secretò domi per eos-
dem sæpè presbyteros, qui adulterina hære-
corum sacra in templis publicè peragebant,
aliquando per alios non ita schismate con-
minatos, celebrari curarent; sæpeque & me-
sæ domini, ac calicis dæmoniorum; hoc est, sa-
cro sanctæ Eucharistiæ, & cœnæ Caluinica,
vno, eodẽque die, illo luctuoso tempore par-
cipes fierent. Imò quòd magis mirum ac mise-
rum erat, sacerdos nonnunquam priùs rem sa-
cram domi faciens, deferebat pro catholicis,
quos ipse id desiderare cognouerat, hostias se-
cundum formam ab Ecclesia vsitatam conse-
cratas, quas eodem tempore ijsdem dispensa-
bat quo panes hæreticorum ritu confectos, cæ-
teris Catholicæ fidei minùs studiosis, distribue-
bat. Atque hæc mando literis, vt cæteræ natio-
nes nostro exemplo edoctæ, & hæreseos prin-
cipia ac progressus videant, & tempestiuè sibi

Damnanda Catholicorũ dissimulatio

Nota.

ab hu-

ab huiusmodi pestibus caueant.

Interim Regina & sui, ab initio prçclarè secum agi existimarunt; quòd cùm tot essent antiquæ fidei in regno cultores, plerosque tamen scirent, ritus à se præscriptos publicè vel amplexari, vel præsentia sua vtcunque exteriùs approbare; licet interiùs aliam fidem de qua ipsi nõ adeò curabant, aut certè ad tempus dissimulandum censebant, colerent. Ac ne sacerdotes quidem quosdam ab illis adminstrandis abhorrere, gaudebant non mediocriter: timebant enim, ne contra exemplum & mandatum omnium Episcoporum ac prælatorum suorum, ac contra conscientiam suam adduci non possent, vt id facerent. Neque enim adhuc habebant pro triginta & amplius parochiarum millibus, nouos ministros, turpeque iudicabant maximam templorum partem subitò claudi, omnique sacramentorum vsu destitui; & (quod est hæreticorum omnium proprium) maluerunt ab initio, ad faciliorem populi deceptionem, vti veris sacerdotibus quàm pseudopresbyteris suis. Atque ita quidem res istæ in Anglia gerebantur, & paulò pòst in illis etiam Hiberniæ locis quæ Elizabethæ parent; vbi itidẽ hoc hæreseos iugum populis imposuit, repugnante maximè conscientia cùm illius gentis homines permulti sint catholici.

Gaudium Hæreticorũ, de Catholicorum dissimulationẽ.

Hic quoque sectarij, volentes fratrum suorum Mariæ & aliorum Catholicorum Regum temporibus combustorum, damnatæ memoriæ vtcunque succurrere, martyrologia & Calendaria noua edunt; vbi abolitis antiquis martyribus, Confessoribus, & virginibus, dies anni

Martyrologia & Calẽdaria Hæreticorum.

anni nouis sanctis attribuunt, & ita distribuunt; Henricum Octauum, Edouardum sextum, Erasmum, Lutherum, Petrum Martyrem & similes, Confessorum nomine insigniant; Hussum, Vicleffum, Latimerum, Cranmerum & eius farinæ aliquot, martyrum titulo, idque sæpè maiusculis ac rubris literis notant. Virgines verò in ista Ecclesia & Calendario non habentur.

Confessores.

Martyres.

Buceri autem & sodalis sui; quos diximus Cantabrigiæ exhumatos, non ita multò ante concrematos fuisse; etiam cineribus vel potiùs vmbris honorem restitui volebant, publicis ac celeberrimis illis denuò peractis iustitijs sicut Oxonij meretriciæ Petri Martyris coniugis ossa, è sterquilino in quod coniectæ, summo studio collecta, in vicinam Ecclesiam vbi primùm condita erant, reportantur: ut non iam in pristinam sepulturam, sed summo scelere aperto sanctissimæ virginis Fridisuidæ eius Templi & loci Diuæ Tutelaris antiquissimo monumento, in sacrũ eius tumulũ inferrũtur, & eiusdẽ Diuæ Venerabilibus reliquijs ita permiscentur, vt in posterum inter verumque morticinium discerni non queat, hoc impio addito Epitaphio: *Hic requiescit religio superstitione.* Sic discernet viuorum & mortuorum Christus.

Impium Epitaphium.

Interea Ecclesiæ Gubernatrix, animam addit nouos Episcopos & suæ sectæ clerum creandum adijcit. Nec tamen in officijs aut ordinibus Ecclesiasticis distribuendis, nec in ipsa regiminis forma quidquam secuta est Zuinglianorum aut Caluinistarum rationes, ac nec exactè

Nouus clerus.

actè quidem Lutheranorum; quorum tamen nō modò in exteris ceremonijs, sed in ratione credendi (propter quandam quam se fingebat amare mediocritatem & quia Catholica cùm paulò priùs haberetur, nolebat repentè videri pessima) quàm cæterorum sectariorum, similior haberi cupiebat. Ergo nec illud seditiosum tribunal, quod *Consistorium* vocant ipsi nec gradus aut functiones illas, *Seniorum Ministrorum*, ac ceterorum quidquam curauit: sed vel animi proprij inductione, vel aliorum suasione, iudicabat magis ad gloriam spiritualis prælaturæ suæ, ac regni etiam temporalis splendorem, atque demum ad sectæ etiam stabilitatem forè, vt clerus quem esset instituturus secundū veteris Ecclesiæ distinctionē, cōsisteret ex Archiepiscopis, Episcopis, Presbyteris, & Diaconis: nā hoc gradu nullū admittunt inferiorē. Identidem, vt in Cathedralibus ac collegiatis Ecclesijs, esse pro more voluit, Præpositos, Decanos, Archidiaconos, Cancellarios, Canonicos, ac alios secundum cuiusque loci consuetudinem. Atque hos omnes voluit antiquæ dignitatis & honorum vocabulis, veterisque cleri possessionibus, ac priuilegijs penè omnibus, tàm in Republica quàm in Ecclesijs, frui.

Consistoriū. Seniores.

Gradus huius noui cleri.

Imò dedit operam religiosa fœmina, habere suæ quoque fidei religiosos; egit enim cum glorioſissimo cōfessore Abbate Vestmonasterij, vt monachos suos ex hac rerum mutatione abire non permitteret; sed eos de sua in conuentum benigna voluntate redderet certos & securos seque cupere vt maneant orentque pro ipsa & sacra faciant secundum legum ab ipsa

Elizabethæ religiositas.

latarum præscriptum. Sed boni viri non putabant æquum esse, vt regulam Benedicti relinquerent, propter regulam Caluini.

Elizabethæ iactantia.

Et Elizabetha ab ipsa apud exteros, ac principū oratores, solet multū gloriari, quòd clerum habeat in sua secta honoratum; & non tantùm famelicos ministros, sicut Geneuenses, & aliæ huiusmodi nouæ Ecclesiæ nonnè ordinatæ: neque ita se exorbitare à cæterorum Principum maiorumque suorum fide, vt multi putāt. Ad maioré verè in hoc genere fraudem faciendā, voluit aliquot annis proponi publicè in mensa, quam pro altari in sacello erexerat, cereos duos, sed eos nunquam accensos, ac crucem etiam in medio argenteam vnam; sæpè etiam dictitans (vt regi sæc. Catholicis magis placeret, exterisque id ciùs imponeret) se nō tàm voluntate sua, quàm subditorum importunitate, vt religionē mutaret, fuisse coactam; sed in ea re magna vim fuisse moderatione.

Elizabethæ hypocrisis.

Mendacium

Sed vt ad rem redeamus: distribuit omnes dignitates & functiones Ecclesiasticas in suos Lutheranos, vel Caluinistas; sed plures in hos, quàm in illos: venerant enim ad hanc prædam ex Sabaudia alijsque locis, qui anteà profugerant, rapidissimè hi ipsi, paulò priùs secūdum Caluinum detestabantur istos superbos & Antichristianos in prælatis principatus ac dominationes: seq; in bona sua bonorum ac honorū Ecclesiasticorū vsurpatione, magis impotenter, tyrannicè, audacterè, insolenterq; gerunt, quàm vel à veris ecclesiis fieri, vel à nobis antea cogitari potuit. Hæretici versipelles.

Distributio dignitatum

Hæretici versipelles.

set: proindè iam omissa fidei, precum, & regiminis formula, cui Geneuæ assuefacti fuerãt, quamque præceptoribus illic suis se in Ecclesias Anglicanas traducturos promiserant, se nunc totos Reginali prælaturæ ac præscriptioni seruiliter submittunt, quia hoc aucupium erat vberrimum. Sed vt offensos socios beneficio placarent, procurant Caluinistis, Gallis, Flandris, Vvallonibus, certas Londini Ecclesias; vbi seorsim orare, sacra peragere, pro more suo castissimè & reformatissimè (scilicet) possunt. Inter quas postea Ecclesias, & nouas has Anglorum synagogas, magna extitit digladiatio; adeò quidẽ, vt ex ministris Gallicanis nonnulli sint postea coacti discedere, & ex illis contubernijs aliquot etiam ignibus traditi, nam ad eas mox Ecclesias sub prætextu Caluinismi, ex varijs gentibus omnium sectarum impurissimi quique homines commigrarunt.

Dissensiones hæreticorũ.

Cõburuntur hæretici.

Cæterùm Episcopatus ac alias prælaturas Ecclesiasticas auidè & sine scrupulo captabãt Caluinistæ: etiam tùm, cùm adhuc scirent veros Episcopos cum toto orbe communicantes, supereſſe, nec vlla vel causa vel potestate legitima exautoratos; certoque cognoscerent tales Ecclesias, cathedras, ac officia nunquã fuisse ab alijs, nec pro alijs quàm Catholicis instituta; sed sic de istis ipsi cogitabant, quemadmodum de regnis dixit ille; ea semper esse occupantium. Elizabetha quidem ita hæc per literas patentes conferebat, vt tamẽ oportuerit eos quibus collata erant, à certis personis, ac ritu etiam certo, secundùm leges regni ordinari.

Caluinistarum ambitio.

Forma ordinandi noui cleri.

HENRICVS Octauus radix peccati, cùm ab Ecclesia & sede Apostolica regnum suum diuisisset, decreuit; ne quisquam electus in Episcopum, bullas Pontificias seu mandatum Apostolicum de consecratione requireret, sed Regium tantùm diploma adferret: secundum quod, à tribus Episcopis cum consensu Metropolitæ ordinatus, iubebatur legem comitiorum facta ad imitationem antiquorum canonum, esse verus Episcopus; nec aliomodo ordinatum pro Episcopo agnosci oportere: ceremoniam autem & solennem vnctionem more Ecclesiastico adhuc in consecratione illa adhiberi voluit, quàm postea proficiens in peius Edouardus Sextus sustulit, & pro ea Caluinicas aliquot deprecationes substituit; seruata tamen semper priori de numero præsentium Episcoporum qui manus ordinando imponerent, lege. Has leges nouas sustulit Regna Maria; Elizabetha in integrum restituit ac renouauit: vt proindè oportuerit hos Reginales prælatos ita quoque ordinari, vt consentiente Metropolitano, duo vel tres Episcopi assistant ipsisque manus imponãt. Sed perridiculè accidit, vt cũ isti Superintendentes creandi essent, nec à Catholicis Episcopis impetrare potuerint, vt ipsis manus admouerent; nec inter se, aut tres duosùe Episcopos, aut vllum omninò suæ perfidiæ Metropolitanum, ab alijs Episcopis priùs ordinatum haberent, cuius vel manu vel consensu consecrari possent; nec etiam ad vicinos Lutheranorum aut Caluinistarum Ecclesias cõferre sese commodè possent, vt indè mutuas

Reginales prælti.

Magnæ protestantiũ angustiæ in ordinandis Episcopis.

Episco-

Episcoporum (qui fortè nec ibi erãt) operas peterent: Instabant vehementer apud quendã Archiepiscopum Hybernum, (quem tùm Lõdini in vinculis habebant,) vt in hac illis necessitate succurreret, & libertate ei & præmijs propositis, si vellet istorum ordinationi præesse; sed vir bonus nullo modo adduci potuit, vt hæreticis sacras manus imponeret, vel alieno peccato communicaret. Atq; ita cùm omni legitima ordinatione destituti vulgò dicerentur, & ipsis legibus Anglicanis verè probarentur non esse Episcopos, brachium seculare inuocare coacti sunt, vt laici magistratus confirmationem, in futuris comitijs acciperent; cuius autoritate, si quid minùs ritè nec ad prescriptum legum in priori inauguratione gestum esset, aut omissum, ipsis condonaretur, idque postquam Episcopali officio & Cathedra absque vlla Episcopali consecratione aliquot annis iam functi fuissent. Hinc nomen illis impositum, vt *Parlamentarij Episcopi* dicerentur.

Parlamẽtarij Episcopi.

Qualescunque fuerint, aut quomodocunque facti sunt isti Pseudoepiscopi, ex latrunculis vel leunculis euaserunt leones & lupi rapidissimi, & didicerunt capere prædam, in clerum ac populum dominari, , eosque nouis inauditisque modis dispoliare. Et primum quidem Regina habuit suam visitationem Ecclesiasticam per totum regnum; secundum tenuit Metropolita in sua, quisq, prouincia; tertiam Episcopus cuiuslibet loci; vbi seueriss. mè in oẽs Catholicos quæsitũ & animaduersum est, vbi miræ institutæ sunt reformationes:

Superintendentes lupi.

Visitationes variæ ac reformationes

nes: inquirebatur enim, si vspiã adhuc Missæ fiãt, si Sacramentũ reseruetur, si in vllis Ecclesijs noua officia nõ celebrentur, si altaria non sint fracta ac demolita, si chorus nõ sit naui Ecclesiæ, sublata Crucifixi imagine, cõplanatus, si vspiam in parietibus aut feneſtris imaginũ vestigia appareãt; quã multos calices, pixides, aut cruces habeãt, cuiusq; demũ materiæ sint: Biblia deinde Anglicè ab hæreticis falsissima versione, & impijs annotationib. cõspurcata, institutiones item Caluini; ad id genus libros cogunt populũ emere, & in singulis tẽplis legendos proponi; deniq; inquirunt, si parochi habeant donum castitatis, eosque plurimum vrgent, vt vxores, ne vrantur tempestiuè accipiant.

Ex quibus hominibus nouus iste clerus componitur.

Clerus enim in Anglia nouus, partim ex apostatis nostris, partim ex hominib. merè laicis factus, vt est valdè spiritualis, primo quoque tẽpore de nuptijs cogitabat; multũq; fuit, vt coniugia Episcoporũ, Canonicorũ & cæterorũ ministrorũ, legib. approbarẽtur, & ipsorũ liberi legitimi declararẽtur; sed obtineri nõ potuit, quia vel turpe videbatur ministerio, vel reipubl. pernicioſum. Edouardus quidẽ sextus oẽs canonicas & humanas prohibitiones circa clericorum aut etiã religiosorum connubia lege comitiali seu parlamentaria sustulerat; eã legem mox abrogauit Maria, nunc restituendã ac renouandã clamitant isti, sed nõ exaudiuntur: omnes tamẽ per totũ ferè regnũ quia dono (vt loquuntur) non sunt certi, non secundum leges, sed secundum indulgentiam (vel vt illi dicunt) secundum scripturas

Ministri nõ habent donum castitatis.

pturas, sed ad libidinem suam composítas, ineunt, prima; secunda, vel etiam tertia coniugia, contra canones & morem non solum Latinorum, sed etiam Græcorum, & prole ita abundant, vt ad illam sustentandam opibusque augendam, & populus supra modum grauetur, & ipsi miserè beneficia sua expilent.

Lex de eligendis vxoribus presbyterorum.

Quia autẽ in vxoribus eligendis fuerant ab initio, ita vel negligentes vel infœlices, vel nimis præproperi, vt fęminas nõ adeò honestę famæ oẽs ferè acceperint, magnumq; ex ea re infirmioribus sectæ suæ scandalum, Catholicis etiam risum mouerint: præscriptum est illis Reginæ autoritate, vt nullam deinceps fæminam in coniugium Presbyteri, nec Episcopi quidem admitterent, nisi prius certorum hominum iudicijs de honestate approbatam. Sed ne hoc modo satis potuit esse cautum istorũ simul & honori & necessitati; sine fœminis enim pleriq; non magis esse poterant, (vt dicebant) quàm carere cibo, continentiæque iugũ intolerabile ducebant. Qui autẽ istis darent filias suas, ne protestantes quidem ferè inueniebantur, ne dum Catholici: primũ, quia existimant id esse per se infame, vt sint vel dicantur vxores presbyterorum. Secundò, quia iuxta leges regni non sunt adhuc vera, sed adulterina coniugia, ac proinde proles illegitima. Tertiò, quia non accrescit his vxoribus aut liberis suis ex maritorum loco aut honore in Republica, vlla dignitas aut æstimatio, quod est contra naturam veri matrimonij. Non enim Archiepiscopus, Episcopus, aliusue

Filij presbyterorũ sunt bastardi, secundum hodiernas leges Anglicanas illegitimi.

hodie prælatus in Anglia si sit coniugatus, tri-
buit quicquam ex eo honoris vel præmine-
tiæ vxori suæ, non magis quàm si esset eius tã-
tum concubina. Hinc fit, vt nec eas Elizabetha
in aulam, nec principum vxores in consortiũ
vllo modo admittant, ne Archiepiscoporum
quidem vocatas coniuges; sed debent eas ma-
riti domi continere, pro vasis tantùm libidi-
nis aut necessitatis suæ. Quæ istis ergò condi-
tionibus, vel summis prælatis coniugerentur,
cùm honestiores paucæ aut nullæ reperiebã-
tur, quas poterant habere accipere fuit neces-
se. Sed & alijs modis vtcunque istorum homi-
num cupiditati per magistratum ciuilem im-
positum est frænum. Nam & Collegiorum a-
lumni, qui in Anglicanis vniuersitatibus ad-
modum multi erant otioque ac saturitatepa-
nis abundabant, ac admodum prouecti ætati
erant, cupiebant & ipsi habere vxores; sed vi-
debatur inconueniens, & id priuilegij Colle-
giorum tantùm Rectoribus concessum est, cũ
hac tamen exceptione, vt coniuges seorsim
plerunque extra Collegia constituant, rari-
usque eas intromittant.

Præsbyterũ vxroes àb hominibus cõtemnuntur.

Illud verò scelestum est, sed horum mori-
bus & religioni consentaneum, quòd concio-
natores adhuc iuuenes ac cælibes, in suggesti
non veniãt nisi delicatissimi compositi, com-
pti, vestiti; idque in primis vt & corporis ha-
bitu, & vultus decore, & sermonis ad omnem
suauitatem compositi lenocinijs, ex auditto-
rio fœminas aliquas in sui amorẽ allicianꝫ
quodque magis sceleratum est ac nefandum,
in hanc rem aliquando nõ verentur, etiã illis

Cãn-

Cantici Canticorum sacris verbis, ad sanctissimos inter Christum & castissimam sponsam suam amores pertinentibus, ad nefanda desideria sua complenda nefariè abuti.

De apparatu autem ac vestitu istorum nouorum Clericorum, cùm multi cuperent indifferenti & planè laico habitu, tam incedere passim in publico, quàm sacra in Ecclesia peragere, ne olerent superstitionem; decernit tamen Regina, & seuerè mandat, vt in Ecclesijs dum cœnam suam Eucharisticam celebrãt cappa; dum reliquas preces faciunt, superpellicio vtantur; in publicũ ne veniant sine pileo & toga clericali; Episcopi etiam, vt Rochetã gestent. Et super hac re magna inter fratres istos orta est quęstio, ac digladiatio, nec acquieuerunt Elizabethæ iudicio, sed miserunt nũtios & literas ad confratres in Gallia, Germania, Heluetia & Sabaudia, maximè ad Theodorum Bezam, & Petrum Martyrem, eorum sententiam & consilium requirentes; an nimirum, licet istud seruitutis iugum, Christi iampridẽ factis libertis subire? Sed quicquid isti respondent, consulunt, aut decernunt, Elizabetha eos qui hanc suam subire legem recusant, pro suprema sua Põtificia autoritate, ordine & beneficijs priuat; cùm ad nullas exteras synagogas quantumcunque reformatas, ab Ecclesiæ Anglicanæ supremo capite permissa prouocatio.

De vestitu nouorum clericorum.

Magna quæstio.

Hæc autem, multaque alia, ex moribus & ceremonijs antiquis, politicorum suorum suasu, contra huius noui cleri voluntatem Elizabetha, retinuit partim ad gloriã & splendorem

Quare Elizabetha speciem aliquã antiqui cultus retinere voluit,

dorem externum istius nouæ suę ecclesiæ; partim vt suos & exteros in eam opinionem in-duceret, quòd non longè abesset, aut discesserit, à fide Catholica: in qua re ita se semper subdolè gessit apud amatores, procos consideratos, seu domesticos, seu externos (quos plerumque Catholicos esse nouerat) vt ipsis spem daret fore fortassis, vt ad Maiorum fidem aliquando rediret: partim verò & Maxime, quia videbat istos sectæ suæ Ministros, sub specie vitandæ superstitionis, paulatim omnē in Ecclesia & republica, & ordinem, decorem, ciuilitatem, ac ipsam etiam humanitatem exuturos; suamque ipsorum fidem ac religionem barbara quadam feritate, nisi per Magistratum ciuilem aliqua adhiberetur moderatio, euersuros. Et certè fecit plurimū ad stabilitatē, firmitatemque hæreseos, quòd ita permittebatur res istius noui cleri libidini quæ iamdudum hac libertate euangelica, abiisset in fumum, nisi fuisset hac humana politica iamdiu & sustentata, & frænata.

Qua Elizabetha retinuit & cur.

Diu ergò retinuit organa, cantum, crucem, candelas, cappas: & has quidem ea de causa præcipuè, vt si fortè in aliquam ciuitatem progotij aut animi causa ipsa diuerteret, (vt sæpe fecit) obuiam illi procederet solenniter vniuersus clerus his sacris indutus vestibus. Quæ etiam ratione parcitum est campanis nempe vt pertransiens Ecclesiam aliquam, earū omnium sonitu exciperetur; sed inprimis vt harum pulsu celebriora reddantur festa Natalitatis & inaugurationis suæ: qui dies omnibus alijs Christi vel Sanctorum solennitatibus longè deuotiùs per vniuersum regnū obse-

Duo festa Elizabethæ celeberrima.

uantur. Nam & festos dies Protestãtes legum præscripto vtcunque tenent, eosdẽ penè omnes quos antiquitùs celebrauit Ecclesia; iniquiores solùm in festum sanctissimi Sacramenti & D. Virginis, cuius Assumptionis, Natiuitatis & Conceptionis solennes dies abrogarunt: atque ad maiorem eiusdem sanctissimæ Virginis contemptum, Elizabethæ natalem diem soleniſſimè celebrant, septimo Septembris, id est in ipso profesto Beatissimæ Deiparæ, cuius Natiuitatem atris literis & minusculis; Elizabethæ verò maiusculis & rubris in Calendario suo notant: quodque est auditu incredibilius, in summo vrbis Londinensis templo (& nescio an alibi) ad complementũ diurni officij, quod olim terminabatur antiphona ad diuã Virginem, hodie nonnunquã dicuntur decantari laudes Reginæ Elizabethæ. Ieiuniorũ quoq; statuta olim tempora, coguntur Protestantes vtcunque etiam nunc obseruare; licet id valdè illibenter faciant, cùm contra scripturas & libertatem Euangelicam talia præscribi clamitent. At Elizabetha vt eorum conscientijs in hac parte consulat, publicè edidit in cuiuslibet Quadragesimæ initio; non religionis, pœnitentiæ, aut deuotionis gratia, sed publici tantùm cõmodi causa hoc ipsum mãdari: nẽpe, vt frequentiore vsu piscium, habeant piscatores (genus hominũ in insula frequẽs) vndè victũ quæritẽt, abundetq; magis ad reliqua anni tẽpora carnes; & præsertim, in necessariũ classis suæ cõmeatũ. Cuius rei maxima causa, nõ cõtenta sextæ feriæ & Sabbati abstinẽtia ordinaria, instituit

Inauditum impietatis genus.

De ieiunio Anglcano.

stituit quoque Mercurianum ; quod Cecilianum nũc ieiunium vulgus appellat quod putetur Guilielmi Cecilij esse inuentum. Atque licet hæc ieiunia publica cõtemnẽtibus mulcta non leuis indicatur, ea tamen pauciſſimi seruant ; & minimè omnium Episcopi, ac reliquus Reginæ clerus; quos multum pudet iuniorum legibus subesse. Et Regina ipsa, cum Principibus ac alijs, vbi subest causa, super his & similibus decretis suis in scriptis facile dispensat ; dispensat etiam Archiepiscopus Cantuarienſis, aliquot nummis intercedentibus.

Cecilianum ieiunium.

Elizabetha dispensat de ieiunio.

In summa, Regina pro ea quæ illi concessa est suprema potestate spirituali, non solùm in his quæ protestantes adiaphora ; id est, indifferentia vocant; sed in omni fide, cultu, & doctrina, quãdã præscribit isti Clero suo normã, nec vltra citraque quicquam audire debeant. Episcopos suos ab officio fungendo cùm vult suspendit ; ita enim irata in ipsum Archiepiscopum & Primatem Cantuarienſem suæ sectæ & creationis hominem, Edmũdum Grindallum, quòd ipsi in quibusdam ad Ecclesiæ suæ gubernationem spectantibus non obtemperarit, animaduertit; vt illum domi suæ perpetuò se continere & ab omni Episcopalis muneris ac iurisdictionis exercitio abstinere iubeat, ac quatuor illi totius diœceſis & prouinciæ Cantuarienſis administratores constituerit : dat facultatem concionandi, vel suo modo ordinatis, vel etiam merè laicis, & pro arbitrio identidem, quibus vult aufert : & vt ostendat in hoc munere merã superioritatem suam

Elizabetha præscribit normam in fide & cultu clero.

suam, aliquando è solio regio alloquitur, & interrumpit coram amplissimo auditorio, ecclesiasten suum his ferè verbis: *Domine Doctor vagaris, & effutis multa impertinentia, recipete ad textum quem nobis exponendum suscepisti.* Atque ita domi administratur hoc tempore religio: nam de politia rebusque ciuilibus aut de Reginæ amoribus, quibusq; vel domemesticis vel exteris sui potiundi spē dederit; qui in cubiculo, qui in curia, qui in concilio pro vicibus dominentur; quàm multos Anglos, Scotos, Austriacos, Sueuos, Francosque Principes à primis regni sui primordijs, vsq; in hanc diem nuptiarum suarum spe lactauerit; quomodo sæpè ordinibus vnanimi consēsu vt aliquem vel è suis vel exteris ad successionem & securitatem in matrimonium acciperet, flagitantibus, obiecto illi virginitatis suæ proposito, vel satisfecerit, vel illuserit; quantumque & hoc genere castitatis, qua rēpublicam perdidit & hac Ecclesiastica prælatura, qua Ecclesiam destruxit, non tā Catholicos, quàm suæ sectæ homines offendat; de his inquam, rebus & similibusquia alterius operis & instituti sunt, nihil hîc dicemus.

Elizabethæ verba ad cōcionatorem.

Elizabethæ instituta.

Illud verò quia ad causam quam tractamus in primis pertinet, taceri non debet; Elizabetham ac suos, constituta vtcunque in Anglia religione ac secta ista, mox animo concepisse, fore, vt hac rerum in Ecclesia & Republica mutatione, è subditis multi grauiter offenderentur: vt Papam haberent rigidissimum censorem; Imperatorē ac maximos Reges Christianos auersos; tandemque à toto orbe fide & com-

Elizabethæ consilium de perturbandis vicinis Regnis.

& communione distracti, nec à suis tuti, nec à vicinis diu viderentur sibi securi; ac suis prò indè rationibus nullo modo bene consuleturiri, nisi in similem calamitatem Prouincias adiunctas, & maximè Galliam, Scotiam, Flandriam quàm citissimè pertraherent, Catholicosque Principes omnes, lita rebus ac regnis suis seruandis intentos facerent, aliena curandi parum otij vt haberent.

Elizabetha fœdus inijt cum omniũ Regum rebellibus.

Continuò, ergo, vel palam ruptis, vel simulatoriè tantum seruatis, omnibus tàm veteribus quã recentibus cũ maximis orbis Christiani Monarchis fœderibus, inierunt ad summã gẽtis nostræ dedecus & suã æternam infamiã, confœderationes cum omnium Regum penè rebellibus, patriæ suæ proditoribus orbisque pestibus: in Scotia contra sereniſſimam Reginam Mariam, cum Iacobo Spurio, Mortono ac alijs: in Gallia, contra omnes tres fratres optimos ac Christianissimos Reges, cum Admirallio Mongombrio & similibus scelestissimis tyrãnis: in Flandria, cum flagello Dei perditissimo Auraico eiusque sequacibus, contra potentissimum iustissimumque Philippum & vt vno verbo vniuersa comprehendã, praeter immissum in horum principum ditiones militem depopulatos fines, interceptas vrbes raptas pecunias, pyraticas denique depraedationes immensas, & vndique ad defectionem solicitatos subditos: istius barbaræ religionis peste, perdiderunt primum, totam vicinam Scotiam eiusque principem in has quas nunc eam pati cernimus indignissimas miserias & calamitates adduxerunt: infecerunt innume-

Impia flagitia Elizabethæ ac suorum.

ra-

ras in florentissimis Gallijs animas, Regesque adhuc ætate immaturos, in extrema impulerunt pericula: corruperunt postremò Belgiũ penè vniuersum: omniumque gentium seditiosis hæreticis ad commune Ecclesiæ incendium amplificandum, se socios, antesignanos ac patronos dederunt; vt & aliorũ Principum ac prouinciarum infœlicitate essent ipsi domi fœlices, & hæreticæ suæ infectionis tàm latè propagato veneno, diutius in sua secta permanerent securi. Et sanè tàm infinitæ veneni sui spargendi, & Catholicorum principum sanctissimos conatus impediendi cupiditate flagrarunt; vt etiam Turcarũ ac Moscouitarum potentissimos monarchas, contra catholicam pacem & religionis Christianæ progressus, sæpè postea & literis & nuncijs excitarint.

Cùm hoc modo Britannia tota periret, laboraret Gallia, ac nationes septentrionales omnes periclitarentur, Pius quartus Pontifex maximus, tanto malo consuetum Ecclesiæ remedium allaturus, magno studio sæpè anteà impeditum œcumenicum Concilium Tridẽtinum, omnium penè Christianorum Principum consensu, iterũ cogi curauit. Atque nuncium interim suum, qui per inferiorem Germaniam Angliam versus progrederetur, mox misit, vt Elizabetham erroris admoneret, & ne propter odium Pontificis, se regnumque nobilissimum perderet, suaderet; ac si quidem esset, de quo sibi propter incertos natales ab Ecclesia vel Pontifice, quo ad ius regnandi metueret, sedis Apostolicæ benignitate facilè

Pontificis ad Elizabetham Nuncij.

facilè transigi posse diceret. Sed nuncium nec audire voluit, nec illi in insulã traiectionem vllo modo permisit.

Angli ad concilium inuitantur.

Alterum paulò pòst Pontifex quoque, ne quid intentatum relinqueret, legauit, qui Reginam, vt ex suis saltem aliquos ad Concilium mitteret, qui cum Catholicis conferrent, omni illis & securitate, & disputandi libertate promissa, hortaretur; sed ipsum superbè reiecit: & Pseudoepiscopi conscij imbecillitatis & ignorantiæ suæ, diligentissimè apud Reginam, ne ad Synodum suorum quisquam mandaretur, egerunt.

Ferdinandi Imp. literæ ad Elizabetham.

Scripserunt quoque hoc tempore, ad Elizabetham, tùm alij Catholicissimi Reges, tum maximè Ferdinandus Cæsar, quorum fidei primis amantissimis eam verbis admonuit: Principum omnium Christianorum, ac maiorum etiam suorum in fide ac religione consortium deseret; ne suum, ac nouorum quorundam hominum non adeò multorum, nec doctorum iudicium, totius Ecclesiæ sententiæ anteferret: aut si certum esset in illa, quam sibi selegerat, secta persistere velle, nec quicquam vel summi pastoris ac generalis Concilij iudicio, vel sociorum Regum Christianorum exemplo permoueri; id saltem pro naturæ suæ bonitate ac clementia concederet; ne quidquam in illos, doctrina ac pietate excellentes Episcopos Catholicos, quos vinctos tenebat, grauiùs statueret, sed potiùs liberos redderet; cùm nec in Maiestatem suam, nec in Rempublicam commisissent quidquam; sed de auita omnium que gentium fide & cõmunione

munione, in qua & nos (inquit Cæsar) sumus, tantùm accusentur. Denique obnixè etiam postulat, vt ipsis cæterisque Catholicis, aliquot in Regno suo Ecclesias concederet, vbi sacros conuentus, ac cæteros ritus Catholico modo peragerent. Sed neque hoc modo, nedum Hieronymi Osorij ac aliorum tàm exterorum quàm suorum, plenis sinceriſſimi Cõcilij & Christianiſſimæ doctrinæ libris ac literis, aliquid impetratum est, imò res Anglicanæ indies in peius labebantur.

Deliberatur de Elizabetha excommunicanda.

In concilio verò Tridentino deliberatum est de Elizabetha, propter hanc intolerabilẽ contumaciam, hæretica declaranda, quæ erat iure ipso excommunicata. Sed ne id tum fieret, idem Ferdinandus Cæsar, cuius filium illa in summam & certam spem coniugij sui adduxerat, à Patribus impetrauit; futurum esse dicens, vt saltem per Catholicum maritum rationibus suis melius consuleret. Sed & Procum illum sicut cæteros fefellit, & facta est indies obstinatior, ac in Catholicos durior.

Regina Scotia in Angliam aduẽtus. An. 1567.

Atque hoc tempore Sereniſſima Scotorum Regina Maria, Anglorum hæreticorum fraudulentia, suorumque inaudita impietate vexata, incarcerata, exautorata, marito orbata, deque ipsius sceleratiſſima nece in crimẽ per calumniam vocata, de fuga cogitans; cùm ad alios Christianos Reges facilè traijcere potuisset atque id vt faceret ab optimatibus quibusdam rogaretur; tamen Elizabethæ Anglorum Reginæ dulcibus literis, nuncijs, muneribus, in Angliam inuitata, præsidio etiam militum quo in regnum restitueretur promisso,

non adhuc satis edocta nullam fidem humanā ijs, qui Christi fideni deseruissent, habendā esse, contra suorum voluntatem in Anglia ad alios carceres aliamque militum custodiam se recepit. Traditur autem non ita multo post ingressum, nobilissimo Comiti Salopiensi seruanda, apud quem, propter cōstantem Catholicæ fidei confessionem, duriùs semper tractata est, sed maximè postremis diebus, alijs custodibus difficilioribus consignata, variis & indignis modis agitata, ac calumnijis indignissimis impetita, vitam parùm vitalem ducit. Cui cū Princeps sit, nec legibus Reginæ Anglicanis obnoxia, tamen (quòd Principibus exteris, Regumque omnium Oratoribus permtititur) vt auito more Deum colat, Sacerdotemque habent qui sacrum faciat, & Sacramenta administret, nullo modo conceditur; qua re magis quàm exilio aut carcere affligitur: vbi & illud permirū ac planè barbarum existit, quod, Regina cùm sit, & omnium mortalium Elizabethæ sanguine coniunctissima, atq; ab illa in Angliam ita vt cōmemorauimus, inuitata; nunquam tamen, licet id obnixissimè ſæpè postulauerit, vel in colloquium, vel in conspectum ipsius venire his decem & septem annis sit permissa.

Elizabethæ erga Scotiæ Reginā inhumanitas.

Catholici sumunt arma pro religione in Anglia. An. 1569.

Sed ad res nostras veniamus. Non ergò ab multò pòst Mariæ aduentum, multi ex nobilitate, hæreseos ac status præsentis pertæsi, præsertim in Septētrionalibus regni partibus, arma ad sui defensionē contra hæreticos & homines nouos, qui Elizabetham in istam adduxerunt insaniam, sumpserunt. Quorum primi fuerunt antiqua nobilitate clarissimi pro-

ceres, Thomas Northũbriæ, & Carolus VVest-Merlandiæ Comites, eisque se adiunxerũt ex inferiori nobilitate equites aurati alijque nõ pauci: Sed reliquis Catholicis, propterea quod adhuc per Papã nõ erat publicè contra Reginam lata excommunicationis sententia nec ab eius ipsi absoluti viderentur obedientia, se non adiungentibus, facilè Regijs copijs in vicinam Scotiam fugati sunt. Vbi posteà Northumbrius proditus & venditus hostibus in Angliam redactus (vita si vellet religionis sententiam mutare oblata) claro martyrio Eboraci dies suos (eius alteriusque Comitis assectis vndiq; ad supplitiũ cõquisitis) fœliciter in Dño finiuit. Cum hoc modo varij Catholicorũ conatus frustrati essent, timerentq; prudentiores, nè hoc in nos diuinæ vltionis & tenebrarum tempus tàm diuturnum foret, vt quos Anglia nunc domi vel foris viros verè orthodoxos habet, vel consumeret ætas, vel vinculorum, ac carcerem squalor, vel frequentia multorum martyria exilijque longioris miseriæ conficerent; huic malo, nec aliud commodiùs remedium adferri, nec aliter posteritate meliùs consultum iri iudicarunt, quàm si ratio aliqua iniretur, vnde veteribus fidei cultoribus ac defensoribus extinctis, nouum cleri semen ac supplementum continuò pullularet: ita enim futurum confidebant, vt nec temporis diuturnitate, nec prolixo & violento Hæreticorum dominatu deficerent in agro dominico operari, neue abominatio istius desolationis duraret vsq; in finem. Neque enim dubitarunt, modò non de-

Comitis Northũbriæ martyrium.

Quare cogitatum de Seminarijs instituendis

essent sibi Catholici, quin aliquando, citiùs vel seriùs, religionis restituendæ opportu à Deo ipsis daretur tempus; cùm nulla unq Hæreticorũ secta vel hominibus placere di vel sine mutatione vllibi firmiter persiste vel ad posteros integrè deriuari queat. Qu vel illa vna Arrianorum latissimè patens i resis planè conuicit; quæ licet orbem vniu sum aliquot centenis annis miserè vexauer tamen ita mutauit loca, tam multa dedit C tholicis ad se colligendos lucida interua (quod & nobis diuina misericordia fœlicis mè per interpolatam hæresim Mariæ tempo ribus accidit) proque vario Imperatorum a Principum, vel pro secta vel contra illam stu dio, & pro cuiusque siue ad clementiam, siue ad crudelitatem naturali propensione, sacer dotibus Dei, nunc pacẽ & tranquillitatẽ con cessit, nunc turbulentissimas in eos tempes tes excitauit.

Hac ergò de causa & hoc consilio spera tes misericordissimum, dominum DEV Patrum nostrorum, in perpetuum gesto nostræ non irasciturum, ex studiosorum patria pulsorum reliquijs nonnulli Duaci Belgio, sub regimine D. Gulielmi Alani, stic tunc S. Theologię Professoris regij, in di ciplinam collegialem (exilium, vitam, & fa dia ipsorum protegẽte, & fouente Hispania optimo maximoq; rege Philippo) coierũt; q paulatim in numerosum creuerũt collegium, quòd primum bonorum maximè eleemosy nis, postea incredibili sedis Apostolicæ bene ficentia sustentatum, plurimos peperit opti-

Initium Seminarij Belgici Anglorum. Anno 1569.

mè

mè institutos sacerdotes; qui ad Catholicæ fidei restitutionem in patriam certis laboribus mitterentur, & vicissim ex patria, ingenij excellentioris quousque vt orthodoxam capesserent fidem aduenientes, recepit. Vndè paulò pòst magna animorum mutatio, ac religionis in Anglia mira incremẽta secuta sunt; factumq; est hoc collegium ita hæreticis odiosum, vt populo Belgico tumultuante, facilè illud Duaco eijci curarint. Sed postea Deo ita disponente, & Rege Christianissimo permittente, Rhemos migrauit, vbi hodie fœliciter amplificatũ varijs in Ecclesiam studijs ac officijs claret. Cui postea ad vberiores, in patria fructus faciendos, sanctissimæ memoriæ Pontifex Gregorius XIII. Domino Audoeno Ludouico, Referendario Apostolico, pietate & prudentia præstantissimo viro, id in primis satagente, aliud insigne collegium Romæ in antiquo nationis nostræ hospitali, amplissimis donatum redditibus, & Patrum Societatis nominis Iesu regimini & institutioni traditum, adiunxit. Quæ duo Seminaria dederunt his annis supra trecentos in Messem Anglicanam Presbyteros qui agrum ibi dominicum sacro etiam sanguine rigarunt.

Initium Collegij Anglorum Romæ. Anno 1579.

In quo genere illud est planè stupendum, & non nisi digito Dei tribuendum, quòd hoc tempore, cùm ad sacrum Presbyterium ne in Catholicis quidem Prouincijs, nisi emolumẽti & honoris causa à multis adeò festinetur; ab istis tamen (in quibus sunt nocilium filij, & peomogeniti non pauci) sine omni spe præmij, imò cum dispendio hæreditatis paternæ

Notandum.

cum certa expectatione ignominiæ, periculi, & etiam mortis tanta animi contentione desideretur ac suscipiatur, vt nullius damni aut dedecoris metu, nulla parentum aut carnalium amicorum dissuasione, à sancto proposito dimoueri queant.

Initia Seminariorum cõtempta ab hæreticis.

Ac parua quidem illius Duacensis Seminarij initia, Elizabethæ Consiliarij contempserunt. Iudicabant enim (quod & sæpè professi sunt) fore, vt ij ipsi qui in illo Collegio instituerentur, aut etiam presbyteri fierẽt, vel necessitatis vel emoluméti causa, in patriam rẽdem redirent, beneficia acceptarent, Ecclesiásque Anglicanis secundum Regni lectam & leges inseruirẽt. Aut si fortè quidã obstinatiores id facere nollẽt, tamẽ nihil posse paucos pauperes ac extorres (hoc enim erat indicium mundi) contra nouam suam Ecclesiam tanta principis potentia tot seueris legibus, tanta Ministrorum suorum diligentia, tamque exactis vndique præsidijs munitam atque sustẽtatam proficere. Sed cùm post nõ multos annos animaduertissent passim ex Scholis, Gymnasiis & Academijs suis, adolescentes plurimos, eosq; ingenij excellẽtiores, ad Collegia trãsmarina traiecisse, identidemq; istinc in patriã cõtinuò Sacerdotes remitti, qui subditos verbo, scriptione, exemplo, Sacramẽtorumq; secreta administratione, ad Catholicã Ecclesiã reconciliatione, à schismate ac sacrilegis hæreticorum officijs (quibus pleriq; tùm in Anglia, alioquin corde orthodoxi viri, metu legũ se contaminauerant) auerterẽt; vidissentq; ex hoc commercio spirituali, magnam infinitis ani-

tis animis Catholicæ fidei impressionem esse factam; iamque rura, vrbes, Academias, Principum ædes, ipsamque etiam Aulam plenam esse nouis Catholicis: tunc & se deceptos doluerunt, & sæuis edictis, ac quibus doterant alijs humanis consilijs ac terroribus, huic operi, quod à Deo factum interpretamur se opposuerunt.

Pij V. Pōtificis acta pro Anglia.

Regebat, eo tempore quo primùm illud Seminarium institutum est Catholicam Christi Ecclesiā, pius V. aliter planè Phinees; qui hæreticos, Turcas, reliquosque infideles vtroq; gladio, zelo summo Sacerdote dignissimo, diligentissimo persecutus est. Is primus quod sciam, non solùm illius collegij alumnis sed alijs quoque doctissimis Sacerdotibus potestatem fecit eundi in Angliam, varijsque facultatibus spiritualibus ad tā pium opus promouendum necessarijs, per breue suum Apostolicum eos impertiuit iussitque ad tollendū schisma cæteris præesse Alanum. Dumq; hæc fiunt, eodem fortitudinis spiritu, quo sanctissimum contra immanissimum Christi hostem Turcam fœdus confecerat, bellumque gloriosissimum contra eundem cum Catholico Rege & alijs statibus susceperat; in Elizabetham vt orbis Christiani & vnitatis Ecclesiasticæ perturbatricem, suorum in eo decessorum exempla secutus excommunicationis ac dispēsationis sententiam tulit: cuius formam, tàm ad nostræ gentis, quàm aliarum nationum institutionē hoc ipso loco subiungendam existimauimus.

Excōmunicatio Elizabethæ per Pium V. Anno 1570.

S. D. N. Pij Papæ V. Sententia declaratoria contra Elizabeth, pretensam Angliæ Reginam, & adhærentes hæreticos. Qua etiam declarantur absoluti omnes subditi à iuramento fidelitatis, & quocunque alio debito; & deinceps obedientes Anathemate illaqueantur.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Potestas Petri.

REgnans in excelsis, cui data est omnis in cælo, & in terra potestas, vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, extra quam nulla est salus, vni soli in terra, videlicet Apostolorum Principi Petro Petrique successori Romano Pontifici, in potestatis plenitudine tradidit gubernandam. Hunc vnum super omnes gentes, & omnia regna Principem constituit, qui euellat, destruat, dissipet, dissipet, dissipet, plantet & ædificet: vt fidelem populum mu-

tua

tuæ charitatis nexu constrictum, in vnitate spiritus contineat, saluumq; & incolumem suo exhibeat saluatori. Quo quidem in munere obeundo, nos ad prædictæ Ecclesiæ gubernacula Dei benignitate vocati, nullum laborem intermittimus, omni opera contendentes, vt ipsa vnitas & Catholica Religio (quam illius autor ad probandam suorum fidem, & correctionem nostrã, tantis procellis conflictare permisit) integra cõseruetur.

Sed impiorum numerus tantùm potentia inualuit, vt nullus iam in orbe locus sit relictus, quem illi pessimis doctrinis corrumpere non tentarint, adnitente inter cæteros, flagitiorum seruа Elizabetha prætensa Angliæ Regina, ad quã velati ad asylum, omnium infestissimi profugium inuenerunt. Hæc eadem regno occupato, supremi Ecclesiæ capitis locum in omni Anglia, eiusq; præcipuam autoritatem atque iurisdictionem monstrosè sibi vsurpans, regnum ipsum iam tùm ad fidem Catholicam & bonam frugem reductum, rursus in miserum exitium reuocauit. Vsu namq; veræ religionis quam ab illius desertore Henrico VIII. olim euersam, claræ memoriæ Maria Regina legitima, huius sedis præsidio reparauerat, potenti manu inhibito, secutisq; & amplexis hæreticorum erroribus, regium Consilium ex Anglica nobilitate confectum diremit, illudq; obscuris hominibus hæreticis compleuit; Catholicæ fidei cultores oppressit; improbos concionatores, atque impietatum administros reposuit. Missæ sacrificium, Preces, Ieiunia, ciborum delectum, Cœlibatum; Ritusq; Catholicos abolevit: libros manifestam hæresim continentes, to-

Elizabetha flagitia.

toto regno proponi; impia mysteria, & instituta ad Caluini præscriptum à se susceptа & obseruata, etiam à subditis seruari mandauit: Episcopos, Ecclesiarum Rectores, & alios Sacerdotes Catholicos, suis Ecclesiis & beneficijs ejicere, ac de illis, & alijs rebus Ecclesiasticis, in hæreticos homines disponere, deq; Ecclesia cauis decernere ausa, Prælatus, clero, & populo, ne humanam Ecclesiam agnoscerent, neue eius praeptis sanctionibusq; Canonicis obtemperarent, interdixit; plerosq; in nefarias leges suas vetus & Romani Pontificis autoritatem, atque obedientiam abiurare, seq; solam in temporalibus & spiritualibus dominam agnoscere, iureiurando coegit: pœnas & supplicia eis, qui dicto non essent audientes, imposuit, easdemq; ab ijs, qui in vnitate fidei & prædicta obedientia perseuerarunt, exegit: Catholicos Antistites & Ecclesiarum Rectores in vincula coniecit; vbi multi diuturno languore & tristitia confecti, extremum vitæ diem miserè finierunt.

Necessitas Pontificem ad iudicium impellens.

Quæ omnia cùm apud omnes nationes perspicua & notiora sint, & grauissimo quam plurimorum testimonio ita comprobata, vt nullus amnino locus excusationis, defensionis aut tergiuersationis relinquatur: Nos multiplicatis alijs atque alijs super alias impietatibus & facinoribus, & præterea fidelium persecutione, religionisq; afflictione, impulsu & opera dictæ Elizabethæ quotidie magis ingrauescente; quoniam illius animum ita obfirmatum atque indu[illegible]atum intelligimus, vt non modò pos-

Catho-

Catholicorum Principum, de sanitate & conuersione preces munitionesq; contempserit, sed ne huius quidem sedis ad ipsam hac de causa Nuncios in Angliam trajicere permiserit; ad arma iustitiæ contra eam de necessitate conuersi, dolorem lenire non possumus, quod adducamur in illum animaduertere, cuius maiores de Republica Christiana tantoperè meruere.

Illius itaque autoritate suffulti, qui nos in hoc supremo iustitiæ throno, licet tanto oneri impares, voluit collocare, de Apostolicæ potestatis plenitudine, declaramus prædictam Elizabetham hæreticam, & hæreticorum fautricem, eique adhærentes in prædictis, anathematis sententiam incurrisse, esseq; à CHRISTI corporis vnitate præcisos: Quin etiam ipsam prætenso Regni prædicti iure, nec non omni, & quocunque dominio, dignitate, priuilegioq; priuatam: & item proceres, subditos & populos dicti Regni, ac cæteros omnes, qui illi quomodocunque iurauerunt, à iuramento huiusmodi, ac omni prorsus dominij fidelitatis, & obsequij debito, perpetuò absolutos, prout nos illos præsentium autoritate absoluimus & priuamus eandem Elizabeth prætenso iure Regni, alijsq; omnibus supradictis. Præcipimusq; & interdicimus vniuersis & singulis proceribus, subditis populis,, & alijs prædictis, ne illi, eiuse monitis, mandatis, & legibus audeant obedire; Qui secus egerint, eos simili anathematis sententia innodamus. Quia verò difficile nimis esset, præsentes quocunque illis opus erit perferre, volumus, vt earum exemplis, Notarij publici manu,

Sententiæ declaratio.

manu, & Prælati Ecclesiastici, eiusue curiæ sigillo obsignata, eandem illam prorsus fidem in iudicio & extra illud vbique gentium faciant, quam ipsæ præsentes facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo nono, Quinto Kalend. Maij, Pontificatus nostri anno quinto.

Cæ. Glorierius.

H. Cumyn.

Persecutiones ob Pontificis sententiam.

Propter huius Apostolici scripti publicationem ac defensionem, vnus aut alter maiori zelo præditi, mox Londini; vbi ipsius pseudoepiscopi palatij valuis affixum fuit, extremum supplicium læsæ Maiestatis condemnati, constanter subierunt; Catholicis cæteris, vel quia nõ agnoscebãt iuridicè publicarum, obseruarentque vicinos Principes ac prouincias Catholicas, ab assuetis cum illa commerciis non abstinere: vel quia paulò post, promulgatore Pio V. mortuo, non sciebãt à successore suo renouatum ac confirmatum: vel saltem (licet priora causarẽtur) propter metum, in ipsius obedientia permanentibus. Hæretici verò palàm vt puerorum terriculamenta, ista se prorsus contemnere simulabant licet reuera, de rei euentu, quem ex omni antiquitatis memoria luctuosum ferè esse cernebant, vehemẽter dubitãtes, dicerẽtur secretò Romæ per quosdam magnos viros de sententiæ reuocatione plurimum, sed frustrà laborasse.

Hæreticorũ afflictiones post excommunicationem.

Sicut

Sicut enim de Saule legitur, quod post auditam Samuelis sententiam, spiritus timoris ac vexationis, furor etiam & incredibile odium in Sacerdotes Dei, perturbatum eius animum inuasit: ita etiam in istis contigit, vt ex illo die nunquā animis quiescere potuerint, quod Ecclesiæ Catholicæ semper exindè crescentis augmentum, non minori eos molestia affecit, quàm Saulem Dauidis prosperitas affligebat. Illud autem in primis eos malè habuit, quòd hoc iudicium non ab alio Pontifice profectū sit, quàm ab eo qui omnium bonorum calculis sanctissimus, in ipsorum Protestantium opinione in optimis multorum seculorum Pōtificibus habebatur.

Hac Ecclesia contra ipsam sententia, & Catholicorum nouis incrementis quotidianis non mediocriter offensa Elizabetha, conuocatis ordinibus, leges valdè iracundas & cruentas contra veteris fidei cultores promulgat; quibus primùm cauetur, *ne quis Elizabetham hæreticam, schismaticam, infidelem, vsurpatricemue sub pœna capitis vocet.* *Noua leges latæ in Catholicos. An. 1571.*

Item ne quis aliam quamcunque certā personam nominet cui regnum vel in vita, vel post mortem ipsius deberi dicatur, excepta Elizabetha naturali prole: Ea enim sunt ipsa decreti verba. In eam enim homines vel adulationē vel necessitatem ita perduxit hæresis, vt quod illud nobilissimum regnum illegitimæ illius Regis sui proli ægrè vnquam concessit, nunc naturali id est spuriæ soboli Reginæ in cuius sexu fornicationis peccatum est fœdius, non denegarint: pariter & reipublicæ ex proximi suc-

mi successoris ignoratione, extremum periculum, & Elizabethæ incontinentiam prodentes. Deindè qui tùm primùm cœpta sunt, per presbyteros & alios personas deuotas in regnum inferri ad Catholicorum cõsolationẽ, varia symbola sacra prohibent sub pœna peculatus, id est, proscriptionis bonorum omnium & perpetuorum vinculorum, *ne quis afferat, acceptet vel gestet vlla sacra munuscula quæ Roma ad communionis Ecclesiasticæ testificationem mitti solent; qualia sunt, Agnus Dei, cruces, imagines, calculi benedicti, aut alia quæcunque à Pontifice vel ipsius authore consecrata.*

3 *Omnia benedicta à Pontifice prohibentur*

Bullas autem, Breuia Apostolica, instrumenta, aut scripta cuiuscunque generis Romã deferre, capitale statuitur. Eodemque tempore vt Sacerdotum operas salutares impedirent, de-

4 cernunt esse crimen læsæ Maiestatis, *quenquã in Sacramento pœnitentiæ ab hæreseos, aut schismatis culpa absoluere, vel Ecclesiæ Romanæ reconciliare, aut verò absolui vel reconciliari.* Quã-

5 bus etiam comitijs, *eorum omnium qui propter religionem in exteras regiones traiecerant bona & possessiones* (ne extra regnum haberent, vnde se alerent) *regio fisco addicuntur.* In

6 *Exulum bona confiscantur.* quas leges cùm multi deuoti Catholici vel offenderent, vel saltem calumnia legum irreti tenerentur; alij carceribus, alij bonorum proscriptione, alij etiã morte mulctabantur, tàm Sacerdotes quam vtriusque sexus laici omnium ordinum.

Atque inter cætera quæ hoc tempõre dum Catho-

Catholici innocentes rapiuntur passim ad supplicium, acciderunt, istud in ciuitate ac Vniuersitate Oxonienſi memorabile contingit. Cùm enim de quodam Rolando Ginseo, qui pro Catholica religione reus causam dicturus comparauit, iudicium de præcidendis ei auribus (quòd plebeius esset) ferretur; vix sententiam hæreticus iudex pronũciauerat, cùm morbus repentinus & extitialis Prætorium illud vniuersum inuadens, nec alia loca ciuitatis aut homines attingens, ipsos iudices & assessores omnes, Prouinciæ quoque Præfectum summum subitò corripuit, duodecimque præterea iuratos ad hoc viros, vt pro consuetudine, hominem vel reum vel innocentem denunciarent, sic occupauit, vt isti statim; iudices verò, assessores, & Præfectus prædictus, aliqui nõ post horas multas, reliqui post paucos dies ad vnum omnes interierint, & cũ illis eodem morbo, loco, & tempore correpti, non minùs quam quingenti varijs extra vrbem locis paulò pòst extincti fuerint.

Miraculingens Oxonij.

Reginæ consiliarij hoc casu verè mirabili attoniti, miserunt mox Lõdino quosdam, qui adiunctis sibi Philosophis & medicis illius Academiæ, disquirerent, vnde ista lues antè inaudita, potuerit aduenire. Sed alijs alia cõijcientibus, nec vlla in natura causa rei ad inuenta probabili, id solùm potuerunt tandem respondere, magicis artibus rem omnem procuratam esse à Papistis; sicut & ante multos annos, hæretici concionatores dixerunt, cùm viderent populum Catholicum turbatum quòd Londini PAVLINAE Ecclesiæ Pyra-

Calumnia hæreticorũ contra miracula.

pyramis, primo illo sãctissimi corporis Christi profesto, in quo falsa Caluinistarum officia sunt introducta, de cęlo fulmine tacta cõflagraret: quo etiam igne non pyramis tantũ, sed & totum amplissimi ferè in orbe templi tectum cum prophana cœnæ Caluinicæ mensa incendebatur.

Diuisit hoc tempore in Anglia Deus linguas hæreticorum. Nam præter vnum veterum, qui asserebant quendam Ioannem Morum tunc viuentem esse Messiam, & præter varia Fratrum amoris, Anabaptistarum & Atheorum, (nam omnes ferè hæreses in atheismum degenerant; & ex multis fidibus, vt quidam dixit, tandem nulla fit fides) nouam etiam rigidorum Caluinistarum secta, qui Puritani appellãtur, scriptis & cõcionibus vulgares Protestantes exagitare cœperũt, ritus eorum Ecclesiasticos, & Regiam seu Parlamentariam Ecclesiæ gubernandæ formam, decapitibus plusquam centum, vt impiã ac superstitiosam redarguentes. Quo hæreticorum (vt fit) bello Catholici indies plures constantiores sque in fide sunt facti. Horum furiosorum Caluinistarum, primus in Anglia fautor & patronus, sicut & Catholicorum maximus persecutor est Comes Huntingtoniæ, optimi Cardinalis Poli, pessimus pronepos, qui hæreticorum suæ sectæ opera ex antiquo titulo Eboracensis familiæ vnde est oriundus, Lancastrensi reiecta ad regnum aspirat.

Puritanorũ noua secta in Anglia.

Patrum societatis Iesu in Angliam ingressus. Anno. 1580.

Iam verò quia de patrum societatis Iesu excellenti educatione, institutione, doctrina, multipliciq́ue coram Deo & hominibus gra-

tia

tia, sermo apud Catholicos percrebuerat, multumq; eorum opera ab Anglis desiderata esset: diligentissimè actum effectumque tandem est (interposita quoque Pontificis maximi authoritate) apud illius ordinis Superiores, vt ipsi quoque ex operarijs suis præstantioribus, præsertim Anglis, in messem Britānicam mitterent. Multi enim iam tum insigni pietate & doctrina viri, hoc exilij sui tempore illi se ordini dedicauerant. Designati ergò primi fuerunt Reuerendi Patres duo, Robertus Personius & Edmundus Campianus; atq; cùm his vna, ex vtroque Anglorum collegio aptissimi aliquot missi presbyteri, qui iniunctum à Superioribus opus, tanta alacritate, fide & diligentia fecerunt, vt pauciſſimis mensibus domatim hortando, concionando, scribendo, sacramentaque ministrando, ex plebe innumeros, ex præcipua nobilitate, variaque cognitione & doctrina clarissimos viros quāplurimos, Ecclesiæ reconciliarint.

Circa hoc tempus venit in Belgiam à S. Maiestate Catholica missus prouinciæ gubernator, inuictissimus Turcarum & Hæreticorum hostis Ioannes Austriacus; cuius ne, vel æquissimus Regio nomine populo tumultuanti oblatis pacis & concordiæ conditionibus, vel amicorum potentia, ad veterem disciplinam & S. Maiest. obediētiam prouinciæ rebelles redirēt, Regina ac sui, qui sospitatē suā in vicinorū malis cōstitutā cernebāt, & Austriacū (scelerū ac iniuriarū suarū in Regem conscij) vehementer formidabant, omnibus modis sate-

Elizabetha ſe rebus Belgicis immiſcet.

gerunt, saltem ne vllam reconciliationem n
si eiecto ex Belgio milite Hispano admitteré
deinde, idque in primis nè Hispani recta p
Angliæ littora domum nauigarent, sed per
taliam redirent ad suos. In quæ licet esset co
sensum ab Austriaco, quia tamen, nec hac p
ce, nec veterani militis discessu, nostri fibi n
si sunt tuti, quamdiu ille in tam vicinis loc
resideret, iterum ad noua contra ipsum mol
enda, proceres ac populum Belgicum, literis,
nuncijs, pollicitationibus instigant. Insidiat
ergò Celsitudinis suæ personæ Belgæ struunt,

Insidiantur Angli lo. Austriaci vita.

cogitur Bruxellis ad Namurcenses & Luxe
burgenses parûper sesedere, vbi collecta mi
litum non magna manu, & caput Namurcen
castro, cum iusto statuum exercitu conflig
eum penè deleuit & varia Brabantiæ loca re
cepit. Quibus fortunatissimi Principis no
incrementis iterum tàm Belgici quàm Angli
cani hæretici territi, præter externa ex Angli
a, Francia, Germania, Scotia ipsis concessa sub
sidia & pecunias, submittût quoque ex Anglia

Edmũdus Ratcliffus capite plectitur.

quendam sicarium Egremundum Ratcliffum
ex nobilissima quidem natum familia, sed ad
talia facinora audacissimum iuuenem, qui Au
striacum in castris suis tolleret; sed re variis
indicijs & quorundam ex Anglia literis intel
lecta, comprehensus est Egremundus & tandé
rem totam vel confessus vel alijs modis convi
ctus, capite vnà cum sororio suo eiusdem con
iurationis socio. Namurci plexus est: non ta
men subijt mortem superstite Austriaco, qui
non ita multò pòst causam cognitam hac vita
defûctus est; sed sub eius in gubernatione suc-

cessu-

cessore excellentissimo Principe Parmensi; vndè posteà quorundam error videtur ortus, qui hanc conspirationem contra Parmensem factam fuisse scripserunt, atque istis impijs ac sceleratis molitionibus Rempublicam nostrã hac hæresi ab antiqua gloria degenerẽ suffulcire solent.

Vt videantur tamen metus sui ac talium machinationum, vel contra suos, vel contra exteros, qualescunque causas habere, dum hæc ipsa aguntur, non modo multorum sermone in vulgus spargi curant; sed autoritate publica promulgant S. Maiestatem tuam tum certissimis nuncijs & literis intellexisse Romæ contra regnum & statum suum inter Pontificem, Regem Hispaniæ, ac nescio quos alios Italiæ Principes, pro restituenda religione fœdus initum est; idque totum sollicitatione profugorum ex Anglia presbyterorum ac Papistarũ conflatum esse: se verò eam habere in Domino, in causæ æquitate, potentia sua, & subditorum fide confidentiam, vt neminem statuat formidare. *Calumnia.*

Modus autem quem in hac difficillima prouincia obeunda, hi alijque patres ac presbyteri tenuerunt, ex subiectis Cãpiani verbis, quæ ex epistola ad Generalem sui ordinis Præpositum, paulò pòst ingressum in Angliam scripta, desũpsimus, aliqua ex parte intelligi poterit: sic enim loquitur.

Londinum attigi: Duxit me bonus Angelus nescientem in eam domum quæ patrem antea Robertum acceperat, Accurrunt nobilissimi iuuenes, salutant, vestiunt, ornant, armant, emittunt, *Ex epist. P. Campiani scriptæ mẽse Nouembri. Anno. 1580.*

tunt, ex vrbe, partem aliquam regionis obequito penè quotidiè. Ingens omninò messis est. Sedens in equo meditor conciunculam, quam ingressus in domum perpolio. Deinde si quime adeunt colloquor, aut confitentes audio, manè peracto sacro verba facio, sacramenta percipiunt frequentissimi. In ijs administrandis, passim iuuamur à presbyteris nostratibus doctrina & sanctimonia præstantibus; ita fit, vt & populo satisfiat, & hæc prouincia minus laboriosa nobis reddatur. Diu euadere manus hæreticorum nõ possumus, tot oculi, tot ora, tot hostium insidiæ. Habitu demẽtissimo sum. quem sapè commuto, itemq; nomina. Lego ipse literas in quarum prima pagella scribitur, Campianus captus est; hoc iam decantatum circumsonat aures meas quocunque venio, vt mihi timor ipse timorem excusserit.

Persecutio & consolatio.

Dum hæc scribo, immanissima sæuit persecutio: mœsta domus, nam aut mortem suorum prædicant aut latebras, aut vincula, aut rapinam bonorum; pergunt tamen animosè, & quæ solatia in hoc negotio miscentur, ea non solùm formidinem pœnæ, sed & pœnas quaslibet infinita dulcedine compensant. Conscientia pura, robur inuictum, ardor incredibilis, opera insignis, numerus innumerabilis, summi, medij, infimi, omnis ætate & sexu. Hæresis pessimè audit apud omnes, nec vllum genus hominum vulgo vilius aut putidius est ipsorum ministris; meritò indignamur, in tam perdita causa homines tam indoctos, tã scelleratos, tam dissectos, tam abiectos, cultissimis ingenijs dominari impedior præsentissima rumore periculi, ne plura hoc tempore. Hæc Campianus.

Contri

Contra hos ergo patrum & sacerdotũ conatus, qui videbantur maioris esse periculi, opponunt minacissima primùm edicta, quibus omnes Iesuitas, duorumque collegiorum extra marinorum presbyteros ac alumnos omnes, declarant ac decernunt esse reos læsæ Maiestatis, & variarum in Reginam & rempubl. conspirationum autores; ac proindè mandant omnibus parentibus ac tutoribus, vt suos primo quoque tempore in Regnum reuocent: mercatoribus cæterisque omnibus grauissima proposita pœna, ne collegijs istis, aut vllis ipsorum alumnis pecunias transmittant; omnibusque in vniuersum, ne quis eos in domos aut ad colloquia admittat, aut quouismodo iuuet. Atque hæc quidem omnia solius Reginæ autoritate, facta sunt, quæ postea lege etiam parlamentaria promulgata ac confirmata fuerunt, sicut suo loco commemorabimus. Sed libet ad rei memoriam & detestationem, edicti formam verbatim ex idiomate vulgari latinè exprimere.

Edicta minacissima.

EDICTVM REGINAE Angliæ, Idibus Iulij, Anno Domini 1580.

AD REVOCANDVM SVAE MAIE-stati subditos, prætextu quidem studiorum in transmarinis partibus degentes, re autem vera contra diuinas patriasq; Regni Anglicani leges viuentes: item contra eos, qui recipiunt aut retinent Iesuitas & Missificantes presbyteros, seminatores seditionis, & aliarum proditoriarum molitionum.

REginæ Excellentissima Maiestas intelligens collegia quædam, & societates sub nomine seminariorum, superioribus hisce annis proximis, ab Episcopo Romano instituta, tàm Romæ quàm in aliorum Principum ditionibus, maximè ad

Accusatio Catholicorũ

suæ Maiestatis subditos alendos, eo fine, vt in falsis & erroneis doctrinis instituantur & enutriantur; vndè plurimi sui subditi, boni alioqui ac fideles, non solum in religione deprauati fuerint, sed abstracti etiam ab ingenita & natiua obseruantia, atque ab officio erga Ma-

ga Maiestatem suam tanquam principem ac supremam dominam suam agnoscendo; insuper etiam ministri facti nequissimarum quarundam machinationum, non solùm ad perturbationem regni huius & cæterarum suæ Maiestatis ditionum; sed ad intestinam etiam rebellionem in patria ipsorum concitãdam: his de causis sua Maiestas, rem valdè consentaneam & Christiano Principe dignam existimauit, curare diligenter & prouidere, vt sui subditi in vera ac Christiana religione, (quæ mero Dei verbo, non humanis somnijs, vanisque traditionibus nititur) instituantur; atque ad eam rem maturè consequendam, omnibus medijs, eniti atque contendere.

Quapropter omnibus suis subditis, quotquot habent liberos, pupillos, cognatos, aut alios quoscunque, quorum specialis cura ad ipsos pertinet, aut quibus suppeditant ad vitam necessaria, in transmarinis partibus commorantes, sæuerè mandat & præcipit; vt post decem dies à publicatione huius edicti, non solùm tradant Episcopo seu ordinario loci in quo habitant, nomina talium suorum liberorum, pupillorum, aut cognatorum, quibus aliquid subministrarunt, vltra mare tempore dictæ promulgationis existentium, absque speciali suæ Maiestatis licentia adhuc durante & non expleta: verum etiam efficiant, vt ijdem liberi sui, & reliqui antea nominati, reuertantur infra spacium quatuor mensium à tempore dictæ publicationis huius edicti.

2. *Absentes nominandi & reuocãdi.*

Qua in re illud præterea sua Maiest. vult ac iubet, vt parentes & alij supra nominati, sta-

3. *Redeuntes manifestã*

tim post reditum suorum liberorum, & cæterorum, qui suprà memorantur; illud ipsum significent Episcopo & loci ordinario. Quòd si præfati liberi & illi reliqui, post cognitam per parẽtes & cæteros amicos Maiest. suę voluntatem, non redierint infra tempus prædictum; tùm non licebit alicui ex parentibus, aut cæteris personis prædictis, ad eorum sustentationem quidquam suppeditare directè vel indirectè: sed nec alios qui ijsdem suppeditauerint cælare, verùm ad Episcopum aut loci ordinarium deferre atque detegere sub pœna grauissimę indignationis Maiest. suę & aliorũ præterea suppliciorũ, quæ propter suã hac in parte cõtemptũ iustè ipsis infligi poterũt. Mãdat præterea sua Maiestas & decernit, ne post expletos suprà dictos dies, liceat vlli mercatori aut cuiuis alteri per modum cambij seu permutationis, aut alijs modis quibuscunque cambire, commutare, transmittere, tradere, aut procurare aliquam pecuniam aut aliud quodcunque subsidium, aut sustentationem, vel expensas alicuius aut aliquorum vltra mare degentium, qui iuxta intentionem & propositũ huius Edicti prohibẽtur aliquid subsidij aut sustentationis ex quibuscunque suæ Maiestatis ditionibus recipere; sub pœna indignationis, & aliorum suppliciorum, quæ pro tali contemptu ipsis infligenda fuerint.

Nihil subsidij emittendum.

Iesuitæ & sacerdotes prodendi.

Porrò intelligens sua maiestas plurimos ex suis subditis in dictis Collegijs & Seminarijs trãsmarinis institutos & educatos, ex quibus aliqui nominantur Iesuitæ, (vt sub specie tam sancti nominis decipiant & circũueniant simplices) eosq; in hoc regnũ nuper commigrasse

à Papa & de legatis eius, ſpecielibus cum mãdatis directè miſſos, ea intentione & propoſito, vt optimos & amantiſſimos Maieſtatis ſuæ ſubditos, nõ ſolùm in fide ac religione corrũpant atq; peruertãt; ſed etiam vt eoſdem à debita obſeruãtia & obediẽtia abducãt, & (quãtum in ipſis eſt) prouocent atque inſtigent ad moliendum aliquid, vnde præsẽs pax & tranquillitas Reipub. (qua multis iam annis per Dei Benignitatem, & ſuæ Maieſtatis prouidã gubernationẽ hoc regnũ fruitur) perturbetur proſpiciens ſua Maieſtas & prẽuidens hoc ingens malum, quòd per tàm nefarios miniſtros & inſtrumẽta periculoſa conſequi poſſit, cuius rei exemplum & experimentum nimis recens iãnunc in regno Hyberniç vidimus,) declarat vniuerſis & ſingulis ſuis ſubditis, quòd ſi quiſquam eorum aut aliorũ quorumcumq; intra ſuas ditiones cõmorantium, poſt huius Edicti promulgationem recipiant, ſuſtentẽt, foueant, aut ſubleuent, prædictos Ieſuitas, Seminarianos, Miſſificãtes Sacerdotes, aut alios quoſcunque prænominatos, qui aut iã venerunt, aut venturi sũt, ſeu mittẽtur in hoc Regnũ, aut alias quaſcũq; ditiones ſuas: vel ſi nõ detexerint quos nouerint recipere ac hoſpicio fouere eoſdẽ, aut alios vagabũdos quoſcũque, de quibus meritò ſuſpicio eſſe poterit, quòd tales ſint, & tã nefariæ conditionis: vel ſi eiuſmodi perſonas apud ſe fortè tempore huius dictæ promulgationis aut poſteà commorãtes, non ſtatim proximo magiſtratui ſeu iuſtitiç prçfecto viciniori ſiſtant, vt ab eo tradantur in carcerem; aut alijs publicis magi-

In fautores ac receptores.

stratibus, vt ab eis similiter incarcerentur, postea examinandi, & pœnas luituri factis suis condignas, arbitrio suæ Maiestatis; tunc illi omnes reputabuntur & æstimabuntur sustentatores, fautores ac patroni eiusmodi rebellium & seditiosorum hominum; & pro illo suo contemptu, pœnas recipient tàm acerbas, quàm vel per leges huius Regni, vel per suæ Maiestatis autoritatem regiam illis iniungi poterunt. Quod si alius quispiam ex subditis Maiestatis suę aliquando certo cognouerit tales aliquos in hoc, &c. *Conclusio edicti desideratur, sed non videtur esse alicuius momenti, vt facilè colligitur ex subsequenti.*

ALIVD EDICTVM REGIumquo Iesuitæ & alij Sacerdotes decunciantur perduelles.

REginæ Maiestas excellentissima iam pridem intelligens societates quasdam & conuenticula, partim sub nomine seminariorum, partim sub appellatione Iesuitarú, paucis ab hinc annis ab Episcopo Romano instituta esse, tàm in vrbe Romana, quàm in aliorum Principum ditionibus, præcipuæ verò, & nominatim propter suæ Maiestatis subditos, eosque qui in ipsius regnis & ditionibus nati sunt; eo animo & fine, vt falsis & erroneis doctrinis informentur. Vndè plurimi suę Maiestatis subditi, non solùm in rebus fidei deprauati sunt: sed etiam abstracti ab agnitione ingentæ, & natiuæ obseruantiæ, cæterorumque officiorum, quæ suæ Maiestati tàm-

quam

quã Principi naturali ac ſupremæ dominæ debentur, & prætereà ſingulari Pontificis, ſuorumque Delegatorum directione, inſtrumenta & miniſtri ſunt deſignati quarundã nequiſſimarum machinationum, non ſolùm ad concitandos animos rebellium, ſeditioſorumque hominum, intra ditiones ſuæ maieſtatis (quod tamen ſingulari Dei bonitate ſuæque maieſtatis prouida gubernatione hactenus præcautũ eſt atque prouiſum) ſed etiam in fraudem, & periculum perſonæ ſuæ Maieſtatis.

Hæc ergo intelligens ſua Maieſtas, præuidensque incommoda, quæ poſſent per huiuſmodi impia, & perfida inſtrumenta regno huic inferri, edicto quodam ſuo dato in Palatio VVeſtmonaſterienſi 10. Ianuarij, An. 23. fortunatiſſimi regni ſui omnibus ſubditis intimauit, vt ſi quiſpiam eorum, vel quicunq; alius intra ſuæ Maieſtatis ditiones, poſt illius edicti publicationem reciperet ædibus ſuis, defenderet, ſuſtentaret, foueret, aut ſubleuaret vllum Ieſuitam, Seminariſtam, miſſificantem Sacerdotem, aut huiuſmodi alios qui accederent, vel mitterentur in hoc regnum aut alias quaſcunque ſuæ Maieſtatis ditiones: aut ſi non detegeret eos quos noſſet recipere, vel hoſpitio fouere perſonas prædictas, aut alios eiuſmodi vagabundos, vel perſonatos quoſcunq;, de quibus meritò ſuſpicio eſſe poteſt, quod tales eiuſdem farinæ ſint, & nefariæ conditionis vel ſi eiuſmodi perſonas apud ſe fortè tempore dictæ promulgationis, vel poſtea commorantes, non ſtatim ſiſterent coram proximo magiſtratu, ſeu iuſtitiæ præfecto, ſeu quocunque

que officiali publico, vt ab hoc coram iudice sisterentur, examinandi, & pœnas luituri fictis suis condignas, arbitrio suæ Maiestatis.

Edixit (inquam) tunc sua Maiestas, vt qui hæc non præstarent, reputarétur, & estimarétur, sustétatores, fautores, ac patroni eiusmodi rebellium, & seditiosorũ hominum, & pro hoc suo cõtemptu pœnas tam acerbas reciperent, quàm vel per leges huius regni, vel per suæ Maiest. auctoritatẽ regiã, illis infligi possent. A quo tẽpore aliquot exempla edita sunt condignæ punitionis, tùm eorum, qui per cõtemptum violarunt suæ Maiestatis expressum mandatum atque edictum hac de re promulgatum, tùm prædictorum perduellium, nominatim autem Edmundi Campiani Iesuitæ, Radolphi Scheruini, & Alexandri Briantis sacerdotum seminaristarũ, qui dum secreto & mentito habitu regnum peragrarent, deprehẽsi tandẽ, iustè, legitimè, publicè & ordinatè accusati, cõuicti, cõdemnati, & neci dati sunt, ob diuersa perduellionis crimina, quemadmodum etiam eorum complices, ob similia crimina iustè sunt capitis damnati.

Cæterùm quoniam Maiestas sua intelligit, tùm propter malitiam, & pertinaciam quorundam, tùm propter aliorum affectatam ignorantiam, eos reformationum effectus non subsecutos, quos post promulgationem edicti sui, & exẽpla prædicta iustitiæ expectabat desiderabatque. Intelligens præterea quosdam maleuolos proditores literis, atque adeò libris impressis sparsisse in publicum, prædictos proditores, & profligatissimos rebelles,

sine

sine causa condemnatos & occisos esse: hæc inquam cum sua Maiestas considerarer, suarum partium putabat esse, omnibus suis subditis bonis atque fidelibus, & generatim omnibus alijs, intra suas ditiones degentibus, (ne in fraudem ab huiusmodi impijs falsis, & periculosis proditoribus atque seductoribus inducantur) notum facere, quod suæ Maiestati, suisque consiliarijs manifestè constet, tam per multifarias examinationes, quàm per ipsorum varias literas, & confessiones, & manifestas præterea similium seminariorum & Iesuitarum, à Papa missorum coniurationes, quæ in Hybernia tandem in apertam eruperunt rebellionem, finem atque scopum Iesuitarum, seminaristarum, & similium sacerdotum, in hoc regnum & cæteras suæ Maiestatis ditiones missorum, aut imposterum mittendorum ex partibus transmarinis non solùm esse ad præparandum animos quorundam suæ Maiestatis subditorum, ex se propẽsos ad inobedentiam (quò aptiores sint ad opem ferendam externis principibus volentibus inuadere regnũ) & ad excitãdũ populum ad rebellionẽ, sed etiã (quod maximè periculosum est) ad priuandũ Maiest. suã diademate, dignitate, atq; adeò vita ipsa, cuius prouida gubernatione diuino auxilio fauẽte, hæc regna fœliciter, & diutissimè floruerunt, sũma rerũ omniũ abundantia, pace, atq; securitate.

Præuidens etiã magna incõmoda quæ possint vniuerso huic regno, cæterisq; suæ Maiestatis ditionibus accidere, si hæ cõiurationes, earũq; auctores seuerè nõ prohibeãtur, puniã turque

turque ne vllis post hanc promulgationem relinquatur locus excusationis, prætextu alicuius ignorantiæ, Maiestas sua Admonet omnes suos fideles, atque amantes subditos, cæterosque qui in suis ditionibus agunt, quatenus prædictos Iesuitas, seminaristas, & sacerdotes qui in has suas ditiones occultè ad modum iam dictum accedunt, habeant, & existiment ob causas antedictas, vt proditores suæ Maiestatis coronæ, & regni. Decernit præterea eos omnes, qui huiusmodi Iesuitam, seminaristam, aut sacerdotem, post publicationem huius edicti scientes & prudentes recipient, adiuuabunt, consolabuntur, fouebunt, aut subleuabunt, tractandos, puniendosque vt eos tractari, atque puniri conuenit, qui sua sponte sunt adiutores, confirmatores, fautores, & defensores perduellium & reorum criminis læsæ Maiestatis: eosque qui scientes aut prudentes hubuerint huiusmodi Iesuitam, seminaristam, aut sacerdotem in domo sua aut cõtubernio tempore huius promulgationis, aut posteà, & non statim dederint operam quam poterunt diligentissimam, vt adducantur, ad magistratum proximum seu iustitiæ præfectum, vel ad alium publicum officialem, in carceres conijciendi, responsuri & pœnas luituri condignas factis, secundum leges suæ Maiest. qui inquam hoc non præstiterint, reputandos, existimandos, & tractandos, vt defensores, ac adiutores proditorum; quique sciens, & prudens huiusmodi Iesuitam, Seminaristam, vel Sacerdotem, aut vllas eorum machinationes antedictas celabit, æstimabi-

tur

tur & tractabitur, vt reus læsæ Maiestatis.

Vult præterea, & mandat sua Maiestas, ne quispiam subditorum suorum, aliorumúe, qui ei obedientiam præstare tenẽtur, permittat liberos suos, aut quemuis alium ipsorum curæ aut gubernationi subiectum (exceptis nautis, legitimisque mercatoribus, & alijs eiusmodi hominibus, qui citra fraudem, erunt agentes, & factores, & ministri legitimorum mercatorũ, in negociationibus suis trãsmarinis) ex regno hoc exire sine speciali suæ Maiestatis licentia prius obtenta, sub pœna indignationis, grauiorisque animaduersionis huiusmodi transgressoribus, & contemptoribus secundum legum præscripta infligendæ. Vult præterea, & mãdat quatenus illi sui subditi, qui impresentiarũ viuunt, in ijsdem seminarijs & societatibus erectis in regionibus trãsmarinis; & domum non reuertẽtur intra spacium trium mensium post huius edicti promulgationem, illi etiam qui post hanc promulgationem sint ad illas partes migraturi, & inter illos numerabuntur, qui degunt in prædictis seminarijs & societatibus, ipso facto habeantur, æstimentur, & reputentur proditores suæ maiestatis, coronæ, & regni, vtque omnes illorum defensores, adiutores, fautores, & confortatores, similiter æstimentur, habeantur, & tractentur vt defensores, adiutores, fautores, & confirmatores proditorum, & perduellium. Datum primo die Aprilis, Anno 23. regni nostri.

His edictis & varijs contra summum Pontificem, Societatis ac Collegiorum Presbyros

ros & alumnos, calumnijs, ad exemplum sanctorum Patrum Iustini, Athanasij & aliorum, Apologiam Gulielmus Alanus opposuit: in qua, ea qua decuit modestia, Pontificis in collegijs instituendis & alendis sanctissimum propositum; Societatis, Seminariorũ, ac presbyterorum, in patriam & Ecclesiam innocentissimos ac summè salutares conatus; torãque Catholicorum causam, tàm clarè probauit ac defendit, vt nec aduersarij vlla vnquam ratione aut probabilitate videantur responsuri, nec Catholici presbyteri, nec ipsorum in Anglia fideliſſimi hospites, his sæuissimis decretis quicquam ab officio retardentur.

Noua iterũ leges in Catholicos. An. 1582.

Et quia iam videbant templa & conuenticula hæreticorum multis locis penè deserta, Ordinibus iterum conuocatis, nouam promulgant legem, qua mulctant vtriusque sexus singulos (modò annum decimum sextum ætatis attigerint) qui recusant adire Protestantium preces conciones ac Ecclesias, viginti libris Anglicanis menstruis; id est, aureis ferè septuaginta; qua immani exactione multorum in modum expilarũt posteà Catholicos.

1.

3. Decernunt præterea in hoc conuentu crimen esse lęsæ Maiestatis quęquam ab ea religione quam nunc in Anglia sectantur, quouis modo

2. dissuadere aut auocare. Missam verò facientibus vel audientibus pœnam & mulctam in primo regni Elizabethæ anno constitutam duplicant; quæ omnia Catholici constantissimè pro christo tulerunt. Interim vt hæc cruenta decreta executioni mandentur, immi-

Ingens persecutorum sœuitia.

tuna-

unt in nobilium aliorumque orthodoxorum ædes, varios lictores & exploratores, qui Sacerdotes ipsorumque hospites ac fautores ad carceres raptent grauissimis equulei tormentis exerceant, bonis spolient, ac morte etiam aliquoties afficiant; magnis propositis præmijs, scelerumque condonatione improbissimis hominibus concessa, vt Iesuitas ac Presbyteros prodant ac comprehendant. Tot ergò omnium ordinum in vincula conijciuntur, vt veteribus carceribus omnes non capientibus, nouos varijs locis instituant; vtque Londini detur locus recens comprehensis Presbyteris aliisque Catholicis, venerandi senes Episcopus Lincolnienſis, Abbas Vvestmonasterienſis, alijque antiquiores Confessores, in Isbicensem pestilentem carcerem, in paludibus Elienſibus sitam relegantur, vndè facilè postea extincti sunt.

Noui carceres constituuntur.

Antiqui Confessores extincti.

Sed ad distinctam magis & particularem nonnullarum rerum notitiam, quæ hoc ipso tempore & postea in Anglia gerebantur, & vt aliæ nationes eadem hæresis calamitate afflictæ, perspiciant quibus modis ac rationibus Anglorum sacerdotes in hoc difficillimo opere, Dei manu excitati & directi fuerint, nõ erit alienum, nonnulla hic apponere excepta è literis, quas sacerdos quidã ex Anglia, postquã annum in ea vinea laborauerat, cũ ad alios, tum ad reuerendum virum Alphonsum Agazariũ, Anglicano collegio Romæ præsidẽtẽ plurimumq; pro hac ipsa causa laborãtem,

Alphonsus Agazarius.

scripsit mense Iulio, anno Domini 15[illegible]. qu
bus vniuersum ferè rerum seriem, quæ ill
anno contingêre his verbis complectitur.

Litera ex Anglia pro An. 1582.

*Cùm hominem certum ac fidelem nactus s
quirecta ad vos profecturum se dicat, per
ram breuiter earundem capita, quæ alijs liter
ad vos perscripsi; ne illæ fortè difficillimis hui
poribus, ad manus vestras peruenire non pos
rint.*

Sermones de patribus Societatis.

*Vniuersa (vt ita loquar) mercatura nost
bene habet; vt enim non desunt contemptor
multi, impugnatores etiam plurimi; ita reper
untur emptores non pauci, admiratores mul
plures. Ingens hic sermo de Iesuitis est, de quib
plures fortasse fabulæ feruntur, quam olim
monstris. De origine enim horum hominum, &
genere vita & instituto, de moribus ac doctrin
de consilijs & actionibus, varia simul & contr
ria, & somniorum simillima, non priuatis to
tum colloquijs, sed etiam publicis concionibus
brisq; impressis diuulgantur: quorum illud
men caput est, quòd tam ipsi quàm cæteri omn
sacerdotes, missi dicantur à summo Pontifice, v
exploratores statuum, rerumq; publicarum pr
ditores ac euersores. Horum duo nomin
præcipui, Campianus & Personius; quorum
Londini consistere, post nonnullas regni per
gratas prouincias: ille verò per agros adhuc
scurrere dicitur. vnde his vltimis comitijs ab
ratore quodam dictus est alter, lupus latitan
alter verò circumuolitans & liberè vagans Je
suita. Occupatissimus vterq; dicitur. Concionan
tur ferè quotidiè summo manè; deinde scribun
post*

Campianus Personius.

post prandium ferè loca commutant, in equo meditantes quod die postero concionentur; à cœna confessiones accipiunt vel casus quos vocant cõscientiæ resoluunt. Atque hæc ferè tàm eorum, quàm cæterorum etiam sacerdotum quorum hic copia non exigua est, vitæ ratio narratur.

Sacerdotum in Anglia occupationes.

Magnus sit omnium ordinum, præcipuè verò iuuenum nobilium ad eos concursus, non tantum vt doctrina Catholica imbuantur, sed etiam vt eos de via concomitentur & defendant, opera opibusq; iuuent, omnibusq; officijs præstò sint. Vidi cum Campiano in itinere aliquos, sed plures his diebus Londini cum Personio: quorum maximè assiduus est Georgius ille Gilbertus de quo alias scripsi, indiuiduus ferè Personij comes, qui cùm magnus fuerit his annis superioribus Caluinianæ doctrinæ sectator, nunc eo zelo fidem Catholicam tuetur, vt non minùs hæreticis odiosus sit, quàm Iesuitæ: quia ipsius maximè sumptibus & autoritate, sustentati fuisse hactenus creduntur. In eum ergo fit maxima inquisitio, & bona eius vndique inuaduntur & rapiuntur; & nuper difficillimè persequentium manus euasit; quo factum est, vt inuitus planè superiori hebdomada, à Personio coactus sit regno excedere, vt temporis ad tempus cedat: illum secuturus est statim Carolus Bassetus Thomæ Mori pronepos, paris cum Georgio nobilitatis, zeli & pietatis iuuenis. Vtrumque Romam venturum existimo. Remanent alij qui causam promoueant tam in aula quàm alibi. Vnus item prælo præest singulari fide ac diligentia, multarum etiam dotum varietate religionisq; zelo præditus, id enim præterea mirabi-

Georgius Gilbertus Romæ postea mortuus

Carolus Bassetus mortuus postea Rhemis.

li quadam solertia effectum esse dicitur, vt in his summis rerum difficultatibus, prælum etiam & impressores habeantur, qui clàm in spelunca terræq; cauernis libros imprimant, locum sæpissime & nomina permutantes ne detegantur.

Libris scriptis decertatio.

Hinc fit vt magna fuerit hoc anno librorum scriptio digladiatio, ne hæretici quicquam potuerint edere, quod statim ferè non fuerit acerrime impugnatum. Chiarcus, & Hanmerus Calumniæ ministri primo quoque tempore in Campianum scripserunt; vniuersum Iesuitarum ordinem & nominatim Ignatij Loiolæ vitam, miris modis exagitantes, sed infra decem deinde dies apparuit censura quædam breuis ignoti autoris, typis impressa, quæ tot mendacia in ministros hos retexit, vt tàm eos, quàm eorum sequaces vehementissimè puduerit; hac eadem ministri iterum aut vel tertio, ad disputandi certamen fuerunt prouocati: quare cùm plurimùm offenderentur, Campianus libellum luculentissimum latinè edidit ad Academicos, quo illius postulati rationem reddidit.

Decem rationes. I.

Apologia D. Alani. I.

Exierant nonnulla Reginæ edicta contumeliosissima, in omnes Iesuitas, sacerdotes, Seminariorum alumnos, & in ipsam denique Collegiorum institutionem. Sed his, tanta prudentia, moderatione rerumq; pondere, doctissimi viri Gulielmi Alani (qui huius vineæ pater meritissimè dici potest,) apologia statim satisfecit; vt ipsi hæretici, alioquin offensi, maximis laudibus opus ipsum extulerint; Catholici incrementum maximum ex eo ceperint. Incurrerat eodem ipso tempore in librum quendam eiusdem Alani

anie

ante multos Annos de Purgatorio scriptum Fulcus minister, idq; non tam vincendi studio, quàm gloriæ quærendæ ex tali aduersario, sed hunc inuenliter & ridiculè exultãtem, repressit citissimè penitusq; fregit, vir grauissimus, & omni eruditionis laude florentissimus Richardus Bristous, Rhemensis Seminarij studiosorum præfectus. Fulcus. D. Bristol liber.

Coierant his ipsis diebus regni ordines, & Catholicos de contumacia condemnaturi dicebantur, quod Protestantium sacra, iubente, Regina, adire recusarent: exhibitus est ergo in ipsis Comitijs libellus Anglicè scriptus, & in Anglia impressus, qui plurimas ac grauissimas huius rei rationes reddit; quibus nec ipsi aduersarij (nisi vt sibi vniuersam conscientiæ rationem Catholicis penitus contemnendas censeant) refragari possunt. Rationes recusantiũ. I.

De Ioannis Nicolai apostasia & relapsu, qui ex Ministro Caluiniano factus aliquando Collegij vestri alumnus fuerat, iam antea scripsi. Hic in castro Londinensi ad captiuos presbyteros qui vi ad Ecclesiam pertrahuntur, aliquoties concionatus est, præsente maxima aulicorum caterua ad comadiam cohonestandam. Incredibilè ferè est, quantis vbique laudibus hic homulus celebretur. Iesuita omnium doctissimos, Pontificis Alũnus, Cardinalium Ecclesiastes, Theologus, Philosophus, Græcus, Hebræus, Chaldæus, omnium linguarum ac scientiarum peritissimus habetur. Abnegationem fidei typis emisit, in qua, infinita de Roma, de Pontifice, de Cardinalibus, de vestro Collegio, de Iesuitis, de alumnis, de omni monachorum & sacerdotum genere mentitur. Nicolai apostasia.

Libellus insigni triumpho ab hæreticis exceptus est & sparsus: sed proximo ferè mense prodijt liber alter, qui Nicolai Detectio inscribebatur, in quo postquam euidentissimis rationibus demonstratum est, illum nec Iesuitam esse, nec sacerdotem, nec Theologum aut Philosophum, nec vnquam apud Pontificem aut Cardinales concionatum (nisi quòd semel, aut iterum Romæ apud Inquisitores Caluini hæresim abiurasset,) nec vllam eruditæ linguæ aut scientiæ cognitionem habere, sed relapsum tantum ministrum esse, indoctissimum grammaticum, erronem vagabundum, ac mendacissimum homuncionem: tot & tanta præterea hac iustissima occasione, explicata fuerunt de Romanis rebus, de charitatis operibus quæ in vrbe fiunt, de præclarissimis suæ sanctitatis ac illustrissimorum Cardinalium rebus gestis, de omnium religiosorum ordinum insigni pietate, vt hæreticos non mediocriter iam pigeat, hos suo commento eiusmodi se narrationi necessitatem præbuisse, qua plurimi perspecta fraude, partibus ipsorū diffidere, nostris verò adhærescere cæperunt.

Nicolai detectio 1.

Atque hæc de libris, qui non minori sacerdotum diligentia, aut etiam periculo disseminantur, vt in manus omnium perueniant, quæ scribuntur. Modus autem est, vt omnes libri Londinum nullo euulgato comportentur, ibiq; insacerdotum manus per centenos aut quinquagenos distributi, eodem planè tempore in vniuersa regni oras diuulgentur: postero autem die, cùm libros sparsos scrutari incipiunt, non desunt copiosa mu-

Modus libros in Anglia disseminandi.

mera

mero iuuenes nobiles, qui de nocte hos libros in hæreticorum ædes, officinas, ac palatia inferant, per aulam etiam disseminent, & per plateas, vt soli Catholici de his non accusentur.

Modus quo recipiuntur sacerdotes.

Nunquam facerem dicendi finem, si de Catholicorum zelo ac ardore sermonem ingrederer. Cum sacerdos ad eos diuertit, salutant primum vt externum & ignotum, tunc ad cubiculum interius adducunt, quo oratorium constitutum est, ibi omnes prouoluti in genua, sacerdotis benedictionem humillimè petunt, interrogant deinde quanto tempore apud eos mansurus sit, quod esse vellent quàm longissimum: si die sequẽti discessurum se aicat (quòd ferè solent, ne longiori mora periculum creetur,) omnes eo ipso vesperi ad peccatorum se confessionem parant, postero manè audito sacro, sanctissimo Eucharistiæ sacramento se muniunt; postea, habita concione atque iterum impartita benedictione sacerdos discedit, quem nobiles aliquot iuuenes vt plurimum ferè in itinere concomitantur.

Latibula in Catholicorũ domibus.

Habent Catholici in varijs ædium partibus (sicut in primitiua Ecclesia vsitatum fuisse legimus) non pauca loca secretiora quibus sacerdotes ac irrumpentium lictorum vi abscondantur. Sed iam longo vsu (vt fit) & nonnullorum etiã falsorum fratrum proditione, magna ex parte inscrutatorum cognitionem peruenerunt. Ipsi Catholici in syluas ac dumeta, in fossas etiam ac lacunas cùm de nocte fit irruptio, se abdere solent. Cùm sedemus aliquando ad mensam hilariores, & familiarius de rebus fidei ac deuotionis (ii enim omnium frequentissimus est sermo) con-

ferentes, si aliquis fortè ad ianuam rapidiùs insonuerit, ita vt lictor existimari possit; omnes statim, non aliter quàm cerui audita venatoris voce, erectis auribus & animis, astant, cibu desinent, breuissima oratione se Deo commendãt, nec vox aut sonitus vllus auditur, quousque famuli quid rei sit, renuncient; quod si nihil periculi fuerit; ex iniecto tamen metu fiunt latiores. Verè de his dici potest, quod anima eorum in manibus ipsorum semper.

Catholicorum zelus & ardor.

Nullus his in partibus reperitur, qui de missa sacrorum duratione queratur; imo, si Missa quauis ad horam ferè integram non duret, vix probatur. Si sex, octo aut plura etiam sacra eodem die ac loco fiant (quod non raro concurrentibus inuicem sacerdotibus contingit) non deerunt in omnibus ijdem ipsi auditores. Si sacerdos non desit, octauo quoque die peccata expiant salutari confessione. Lites vix vnquam inter Catholicos audiuntur de rebus vllis; si quid controuersiæ occurrat, id totum sacerdotum fere arbitrio permittitur: cum hæreticis nec matrimonium libenter contrahunt, nec preces faciunt, nec quicquam commercij habere volunt. Cum nobili fœminæ his ipsis diebus oblatum esset, vt carcere liberaretur, si vel vnam Ecclesiam pertransire tantum vellet; illa respuit, adijciens, se integra conscientia carcerem esse ingressam, & eadem illæsa velle aut egredi aut mori. Vide quæso quid Dei spiritus, per hanc persecutionem effecerit. Henrici Regis temporibus, qui pater huius Elizabethæ fuit, vniuersum ferè hoc regnum (in quo erant, Episcopi prælati, ac docti viri

Magna constantia fœmina.

plu-

plurimi) ad vnam tyranni vocem fidem ac Pontificis Romani autoritatem abiurauit: nunc verò per summam Dei misericordiam, persequente Henrici filia, non desunt pueri ac fœminæ, qui palàm & ad tribunalia non solùm fidem intrepidè profiteantur, verum morte etiam proposita renuant ea facere quæ leuiora nonnullis videri fortasse possent. hæc est verè mutatio dextera Dei excelsi, & in summis eius beneficijs erga hanc nationem numeranda. Explicari non potest, quantum Dei gloriam Seminaria illa transmarina propagauerint, quæ hæreticos magis terrent, quam vlla principum Catholicorum arma.

Mira mutatio.

Seminaria.

Poundus noster arctissimè custoditur Londini, coniectis in castrum quoddam obscurissimum ob linguæ libertatem, qua nuper ministros quosdam perstrinxit, & ad certamen cum sacerdotibus Catholicis prouocauit, qua vna re nihil illi illubentius audiunt: humi iacet loco subterraneo, nec vllus ei luminis vsus permittitur, maximis etiam ferreis compedibus oneratur, & tamen mecum per literas his diebus mirabili quodam artificio emissas, suauissimè iocatur, perinde ac si in delitijs viueret.

Thomas Poundus magni aliquando nominis in aula.

Cùm autem per eandem viam, qua literas illas receperam sacerdotem quendam ad eum, direxissem (prout postulabat) vt sanctissimam Eucharistiam ei præberet, eò quòd omnes itineris ac ingressus circumstantias à Poundo præscriptas non obseruasset, captus est, sed iterum postea mirabiliter liberatus.

Præcipuorũ Prælatorum exagitatio.

In similem captiuitatis locum, his ipsis diebus post tot annorum carceres Londini perpessos, coniecti sunt grauissimi ac reuerendissimi viri, Episcopus Lincolniensis, Abbas Vestmonasteriensis, aliíq; multi. In arcem enim Visbicensem insalberrimum locum sæuissimo Puritano custodiendi, in hac veneranda sua senectute mittuntur, vbi certissimum est diu eos non superfuturos. Etenim vltra carceris incommoditatem inhumaniter etiam ac barbarè à custode tractantur. Omnes penitus libri præter vna Biblia, illis auferuntur, nec scriptorum suorum aut annotationum codicilli permittuntur. Superbissimi ministri sæpè inexpectato immittuntur, qui imperatos aggrediantur ac conuitijs proscindant: falsa deinde & ridicula frequenter de eis publicantur, eaq; nonnunquam libris impressis, quo omnis eorum existimatio, qua plurimum valent, imminuatur. Fœmina quædam impudica superiori mense, in eorum cubicula ipsis inscijs, inclusa est, vt ind e opinionem incurrerent incontinentiæ. Nullus ad eos permittitur accessus, vnde hoc artificio quod modo dicam vti compellimur. Cùm aliquis ex nostris quicquam eis eleemosynæ dare voluerit, præcedenti die ambulat per agros vicinos, & tanquam venaturus vocem attollit; quo signo dato, eorum aliquis per fenestras prospicit, & signo dato animaduertit, venatorem illum aliquid in vsus ipsorum habere. Postera ergo nocte dormientibus cæteris, accedit ille cautus ad muros, & per eandem fenestram ex qua signum datum fuerat, inclusorum aliquis demittit sportulam, qua eleemosynam recipiat.

Modus subueniendi incarceratis.

Atque

Atque hæc eadem ferè ratio in cæteris etiam carceribus tenetur; licet pro locorum varietate, varia etiam media tentanda sint, in quibus excogitandis, summoq; cum periculo exequendis, mirabilis sanè elucet Catholicorum ardor, charitas, ac fortitudo.

Hartus & Cotamus presbyteri.

Hartus & Cotamus eodem in carcere sunt; quorum posterior, vt socij sua causa comprehẽ sũ è periculo liberaret, spõte se lictoribus obtulit: Prior in ingressu ad insulam captus, & ad Reginæ Consiliarios ductus, eò quòd pulcherrimus iuuenis, magnis etiam talentis præditus, & parentibus nobilibus ortus esset, dimissus est Oxonium, vt cum doctissimus illius vniuersitatis Theologis conferret, si qua fortè spes, eum peruertendi appareret. Sed cùm post duorum aut trium mensium spacium, nihil quicquam in eo genere proficeret, carceribus tradendum existimarunt, vbi latissimus viuit, & duriora imposterum expectat ob præteritos fauores.

Antonius Tirellus presbyter.

Tirellus vester, postquam huc appulisset & me amplexatus fuisset, prodiens quodam die in publicum, visus est & proditus à Ioanne Nicolao exclamante, & populum ad perduellem capiendum (sic enim loquuntur) excitante. Non miror Apostolum tam vehementer questum esse, de falsis Patribus; nobis sunt hic molestissimi, & aliorum omnium maximè capitales.

Sledus proditor.

Sledus, qui paucis ante nos diebus, Roma discessit, egit aliquandiu proditorem clãculum, nunc publicè persecutorem.

Ionsonus Ortonus.

Comprehendit Ionsonium per plateas transeuntem; paulò etiam post, Ortonum, nihil minus, quàm tale quid suspicantem. Si proditor paululum se cohibuisset

hibuisset, & ad hospitium vsque prosecutus fuisset, cœpisset vnà Campianum, Personium & Gilbertum, (ad illos enim Ortonus properabat) quibus tribus hominibus nescio an Regina quicquam magis expetat.

Tria Personij pericula vitiata.

Sed Dei, non sua fuit voluntas, qui tam ipsum quàm alios, varijs in dies periculis liberat, sat tem Personij tria, ipso narrante accepi: primum cùm obsessa domo in qua fuit, in fœnile quod domui adhærebat se abdens persequentes euasit alterum, quod ad hospitium quoddam publicum sub noctem inuitatus (ea enim præcipuè hora sacerdotes solent egredi) vt quendam nobilem è longinquo venientem Ecclesiæ gremio reconciliaret, licet optimè locum cognouisset, & tribus antè ibidem fuisset, ita tamen inter eundum immutatus est sensus eius, vt ad domum veniens illam non agnosceret, nec iam eam vllaratione aut diligentia, etiam si diu quæreret, & à vicinis sæpè multumq; peteret, inuenire potuit, vnde mœstus abscedere coactus est. Postero verò die intellexit ianuam illam à lictoribus interius fuisse clausam & obsessam, qui aduentum eius expectabant.

Septem comprehensi & in ijs Rishtonus.

Comprehenderunt autem eodem tempore septem alios qui eadem de causa illuc veniebant, & in ijs Rishtonum, vestri collegij alumnum. Tertium erat, quòd cùm Personius domum quandam ad Tamesis ripam positam haberet, in qua, de nocte sacerdotes conuenire, & sarcinulas suas nonnunquam deponere solebant, hanc quodam librorum compactore, qui operas in ea exercuerat, magistratui indicata fuit, qui statim Personio vix egresso, maximo armatorũ numero

mero locũ obsedit, omniaq; diripuit, cruces, medallias, grana benedicta, Agnos Dei, & cætera eiusmodi non pauca, cœperunt etiam in domo Vicina Alexandrum Briantum presbyterum, quem posteà varijs cruciatibus afflixerunt, non solùm equulei, sicut cæteros sacerdotes, sed acutissimis etiam acubus sub vngues immissis, inaudito quodam crudelitatis genere.

Alexandri Brianti cõprehensio.

Et profectò mirabile planè est, quàm ingeniosam se præbeat hæreticorum malitia, ad nouas afflictiones in Catholicos excogitãdas. Ex castro Londinensi scribunt, septem ibi esse variorũ tormentorum ac cruciatuum genera, quibus in dies Catholici exercentur. Hic, etiam Superintẽdens & Pseudoepiscopus Elmerus, vt est natura truculenta, & olim inter Gladiatores non infimi nominis, sic sua etiam peculiaria habet. Et his proximis diebus, cùm virginem quandam nobilem, ad arbitrium suum flectere non potuisset, vt hæreticorum sacra adiret, in locum quendam infamem compegit, vbi flagris tanquam scortum cædenda esset. Sed aliqua visa est statim pœna eum secuta; cum enim ipse filiam suam quàm vnicè diligebat, Concionatori cuidam Ministro in matrimonio tradidisset (in eadem enim ministrorũ tribu solẽt omnes vt plurimũ cõtrahere) eumq; in honorẽ filiæ, Archidiaconũ Londinensẽ constituisset, ille prouinciam visitaturus exiens, comprehensus est à magistratu cum alterius vxore, qua re socero patefacta, gener, vt eum æquiorem haberet, voluit iniuriam augere. Finxit itaq; literas libidinis plenas, vxoris nomine ad equitem quendam auratum, easq; tanquam à se interceptas, in erroris sui compensationem

Ingeniosa hæreticorũ malitia.

Lepidum de Episcopo & Archidiacono suo genero.

socero

socero obtulit, quibus ille mirabiter afflictus, cùm postea intellexisset, rem totam à genero compositam esse; in furorem actus, non baculo pastorali, sed Lanionis fuste Archidiaconum grauissimè verberasse dicitur. Atq; cum eiusmodi quidem prælatis est nostra concertatio. Hactenus ille.

Edicta & leges.

De edictis atrocissimis, legibusq; sæuissimis contra omne genus sacerdotum, ac Catholicorum omnium, satis iam vos, cùm ex meis, tùm ex aliorum etiam literis, & ex ipsis rebus ad vos perlatis, intellexisse non dubito. Primus hæreticorum impetus in illos erat maximè, qui sacra hæreticorum adire noluerunt, quos ex eo deinceps Recusantes appellare consueuerunt, cuius generis, plus quam quinquaginta millia statim se obtulerunt, ijq; ex omni ferè regni prouincia ornatissimi, ac vniuerso populo probatissimi viri quorum constantia mirabiliter offensi aduersarij, in presbyteros, tum quam huius rei præcipuos autores, vniuersam iracundiæ molem conuerterunt. Vnum itaq; diem ipso mense in crucem egerunt Euerardum Hansium, & plures videntur breui eandem sortem subituri, ad quam omnes paratissimis esse animis videntur.

Recusantes.

Hansius martyr.

Hansius certè inuicta patientia certamen pertulit; proximus ei successurus videtur Clistonus presbyter, qui iam aliquot mensibus ab hæreticis inter latrones in antro quodam subterraneo, fame, frigore, ferrisq; afflictus est, vt supra naturam planè existimetur, quod spiritum adhuc ducat. Hic cùm his diebus ad tribunal per plateas ingentibus onustus ferris, inter fures duceretur, socijs gementibus, & vniuerso ferè populo commiseratione affecto ipse solus hilaris & sereni-

Olistonus presbyter.

denti similis, compedes trahebat. Cùm autem quidam peteret, cur ille præ cæteris in casu suo tam misero rideret quia (inquit) ego plus quàm cæteri ex hac calamitate emolumenti sum præcepturus, & iustum est opinor, vt quisque de suo lucro gaudeat.

Ceruinus vester qui tanto zelo Romæ ardebat, non minori spiritus ardore sex integros fere menses per diuersas regni prouincias concionando consumpsit, qua in re insignem planè gratiam & auctoritatem habebat; voluitq; Dei prouidentia, vt in tantorum laborum compensationem, in ipsa tandem concione caperetur Londini in domo cuiusdam nobilis iuuenis cui Roscarocus nomẽ est, qui vna cum Ceruino in carcerẽ est traditus, & postea equuleo tortus dicitur. Ceruino cùm in atrium interius carceris adductus esset, aptarunt compedes grauissimos, quos vix mouere poterat: quo facto discesserunt ad tempus custodes, vt viderent in quodam antrum vel cubiculum compingendus deinde esset; ille autem, cùm vndique circumspiciens solum se videret, suspexit in cælum lætissimo vulto, & gratias Deo egit: tamen iterum pedes aspexit onustos catenis, & experiebatur an mouere eos posset, cumq; mouendo audiret catenæ sonitum; continere se non potuit, quin magno risu, effusis etiam præ gaudio lachrymis, & manibus oculisq; in cælum sublatis, ingentem lætitiæ suæ affectum exprimeret.

Rodolphus Ceruinus postea martyr.

Roscarocus nobilis.

Ceruini cõsolatio in compedibus.

Quam rem totam videntes hæretici quidam duo

duo de Familia Amoris, qui proximo quodam in loco captiui tenebantur, nullum mirandi finem facere potuerunt, & vniuersam rei gestæ seriem sæpissimè postea narrare consueuerunt. Idem Ceruinus cùm biduo antequàm caperetur, mecum pernoctasset, & propter frigoris vehementiam (erat enim hyems) ad focum exiguum quem habueramus, inter duos tresue ignes se inseruisset; hac de re post sex opinor, dies, quàm in carcere fuisset, sic ad me rescripsit. Eleemosynam quam heri ad me misisti, accepit Deus tibi rependat; tantillum etiam antea habueram, quod vbi expensum fuerit, descendam ad fratres meos latrones in lacum, vt ex communi eleemosynarum sportula viuam & descendam profectò libentiùs, quàm vnquam hactenus ad vllum conuiuium; illius enim sportula panis erit mihi Domini mei causa, omni melle & vniuersis dapium generibus dulcior.

Ceruini epistolium.

Compedes intelligit.

Habeo iam ad pedes ac tibias tintinabula quædam, quæ me admoneant, qui sim & cuius sim. nunquam alias sensi tam suauem harmoniam; si vobiscum iam essem, facerent mihi locum ad ignem accedenti, nec me comprimerentis. Ora pro me vt compleam fortiter ac fideliter cursum.

Hæc Ceruinus; atque hucusque ex epistola Londino scripta.

Vt

Vt autem ad historiæ nostræ seriem redeamus, post scriptas has literas multi ferè in dies Catholici prodebantur, & inter cæteros, percelebris ille Campianus hoc tẽpore proditione falsi cuiusdam fratris Elioti, tanquã Iscariotis capitur, ludibrijs exponitur, compedibus vincitur, quæstioni ter aut quater ad luxationem ac quassationem omnium membrorum subijcitur: quo etiam tempore propter plurimos de vulgo, ex præcipua quoque nobilitate & ordine equestri, hoc maximè prætextu, quòd Campianum in ædes receperint, & ab Ecclesijs protestantium abstinuerint, non paucos in carceres rapuerunt, iudicibus simul cum furibus ac latronibus stiterunt, varijsq; mulctis pecuniarijs miserè expilarunt; in quo genere guauissima passi sũt illustres nobiles propter Campianum afflicti, Bato Vauxius, Thomas item Tressamus, & Gulielmus Catesbeus equites aurati, & alij per vniuersum regnum plurimi, admirabili constantia, fide & pietate, insignes viri. Interim vt Campianum ac Presbyteros vinctos plausibiliori prætextu afficiant extremo supplicio (pro sola enim Catholicę fidei propagatione, quæ adeò nunc in animis Anglorum inualuerat, tollendos non iudicabant) fingunt eos, multa in necem Reginæ, Romæ Rhemisque machinatos; ad eamque rem falsos quosdam fratres in testes ex fece hominũ conquirunt & subornant: quorum testimonijs licet non consentientibus, & apertissimè refutatis, condemnantur ad mortem crudelissimam & turpissimam, quam paulò post in-

P. Campianus Elioti proditione capitur.

Nobiles propter Campianum afflicti.

Calumniæ innocentes confictæ.

credibili constantia ad singularem Dei gloriam, Catholicorum confirmationem & bonorum omnium ædificationem præclarissimè obierunt, importunè instantibus & vrgentibus hæreticis, vt saltem Elizabetham caput Ecclesiæ, agnoscerent, & se in ipsam peccasse confiterentur; ac non solùm vitam & veniam si id facere vellent, sed dignitates etiam magnas offerentibus.

Martyria multorum præclarissima.

Primo ergò die Decembris anno 1581. celebri martyrio consummati sunt, idem Reuerendus Pater Edmundus Campianus Societatis Iesu presbyter, & venerabiles duo Sacerdotes, Rodolphus Ceruinus, ac Alexander Briantus, Romani alter, alter Remensis Seminarij alumnus. Vicesimo verò Maij sequentis anni, Thomas Fordus, Ioannes Shertus & Robertus Ionsonius; & trigesimo eiusdem mensis, Gulielmus Philbæus, Lucas Kirbæus, Laurentius Richarsonus, Thomas Cottamus, Presbyteri sancti & docti omnes, certamen confessionis compleuerunt. Et hi quidem omnes Londini; vbi antè etiam sanctè martyrium passi sunt Ioannes Nelsonus, anno 1578. & Euerardus Hansius anno 1581. Sacerdotes, & Thomas Scheruodus laicus, & extra Londinum in alijs prouincijs Cuthertus Maynus primus ex Seminarijs martyr an. 1578. & Ioannes Paynus anno 1582. singulari zelo præcellētes Presbyteri. Paulò verò pòst, hoc est eodem anno & sequenti, simili constantia sanctas animas Deo reddiderunt, in Ebora-censi vrbe vita & doctrina præstantes Presbyteri, (hoc solo nomine damnati, quòd Sacer-

An. 1582.

Martyres quindecim.

1582.

dotes

dotes se agnoscerent, ac Pontificia authoritate se extra regnum ordinatos esse confiterentur) Gulielmus Laicus, Richardus Kirkmannus, Iacobus Tomsonus, Gulielmus Hartus, & Richardus Therkellus. Atque duo nuper in Vvintonienſi ciuitate Dominus Ioannes Sluidus, & Dominus Ioannes Bodæus honestæ conditionis Laici, bis varijs temporibus per sententiam iudicis, (inaudito apud Anglos exemplo,) morti adiudicati sunt, quam paulò pòst fœliciſſimè obierunt, non aliam ob causam damnati, quàm quòd penes Reginam summam in causis Ecclesiasticis autoritatem proximè & secundum Deum, esse negarint. Eodem anno & alium laicum Gulielmum Carterum Londini martyrio sustulerũt ob id solùm, quòd cùm impressor esset, prælo mandasset librum quendam de Schismate à docto & pio viro Gregorio Martino cõscriptum, in quo hortabatur virgines quasdam ad ieiunium, quòd ea ratione Holofernis caput (id est dæmonis & peccati) facilè amputarent: quam sententiam auidè arripientes Hæretici, non aliter quàm de Regina illud Holofernis nomen intelligi voluerunt, cuius saluti & vitæ eiusmodi hortationibus insidias strui calumniabantur; eadem planè iniustitia qua obijciebatur olim in Africa Catholicis Sacerdotibus, quod de Regis persona loquerentur, si quispiã vt moris est dum populum admoneret, Pharaonem, Nabuchodonosor, aut Holofernẽ nominaret. Verum Dominus Iacobus Laburnus, nobilis laicus, paulò etiam vlteriùs quã sacerdotes (qui iniussu Su-

Martyres octo.

An. 1583.

Victor Vtic. lib. 1.

D. Laburni Confessio.

periorum non debebant nec volebant se Reip. pub. & status quæstionibus immiscere) pro-

Martyres quatuor.

gressus, palam negabat Reginæ omnem obe-dientiam (sicut & ante Iurisconsultus Sco-tæus, Feltonus nobilis & VVodosius Presby-ter fecerant) partim quòd eius natales illeg-timos esse diceret; partim, quòd esset Pij V. Pontificis sententia, prætenso iure regnan-priuata. Qua de causa varias carcerum mo-

Anno 1582.

stias Carleoli, Londini, Lancastriæ, Mante-striæque perpessus, tandem Lancastriæ sagu-nem omnibus admirantibus eius cõstantiam ac patientiam lubẽtissimè ac mitissimè fudit.

Plebei virgis cæsi.

Neque hic silentio prætereundum est, ali-quot etiam plebeios quòd Ecclesias, & pro-fana Protestantium officia adire noluerint, cùm non haberent vnde mulctam pecunia-riam soluerent, sententia iudicis diu ac mi-rabiliter per vrbem Vvintonienſem tracti ac nudos crudeliter fuisse cæsos.

P. Hayuodi apprehensio & circa illũ facta.

Incidit quoque Dei planè prouidẽtia, hi tempore in manus persecutorum P. Gal Hayuodus, nam vocatus in Gallias, ad suo colloquium, cùm esset propemodum in li tore Normannico, subitò aduerso vento portum Anglicanum delatus à Magistratu stitur, Londinum reducitur ac in carcere compingitur, vnde post non multos dies varias examinationes, ducitur ab arcis Pra fecto cũ aliquot alijs vinctis Presbyteris ca id tempus comprehensis, ad Tribunal. autem ventum est ad ianuam Prætorij, non exemplo, sed antiqua hæreticorum vereçu diabolica fraude, ex improuisò cæteris eun-

Co-

Confessoribus subtrahunt, ac in vicinis ædibus, dum alij causam dicerent, collocant; vt hoc artificio simul & abesset à Collegis, ille qui doctrina & dicendi peritia, qua plurimũ prævaluit omnibus, obiecta crimina facillimè diluere potuisset; & suspitio daretur cùm cæteris Confessoribus, tùm astanti populo, patrem optimum, animum ac religionis sententiam vel mutasse prorsus, vel saltem in aliquibus se Regiæ voluntati accommodasse. Atque vt illud faciliùs ab omnibus crederetur, quasdam in eam rem voces arcis præfectus mox sparsisse dicitur, eumque non cum sodalibus ad mortem iudicis sententia condemnatis, sed per aliam secretiorem portam in carcerem reduxit. Quo dolo malo factum est, vt etiam boni nonnihil isti Reuerẽdo patri humanitùs accidisse timuerint. Sed impiissimam fraudem ac summam sancto Confessori factã iniuriam tempus postea petefecit. Neque enim vel istorum dolosis machinationibus, vel frequenter adhibitis minis vel aliis grauissimis tentationibus quicquam cessit. Obtulerunt autẽ ei (quod ab ipsius ore posteà audiui) vel se aliquantulum accõmodaret, Episcopatum. Mansit autem in carcere, varijs posteà à Reginæ consiliarijs, nuncijs ac literis, sed frustra, ad defectionem sollicitatus. Socij verò sacerdotes, secundum iudiciũ paulò antè pro tribuali latum ad patibulum ducti, confessionem suam glorioſa morte lætissimè compleuerunt. Hi autem erant Georgius Haddocus, Ioannes Mundinus, Ioannes Nutterus, Iacobus Fennus, & Thomas Emerfordus. *Martyres quinque*

Atque in alijs regni locis præsertim Lancastriæ, Eboraci & in Vvallorum finibus, complures tormentis grauissimis tentati, nonnulli etiam turpissima morte proditorum & latronum instar affecti sunt. Lancastriæ, Iacobus Bellus Presbyter & sexagenarius, & Ioannes Finchius laicus, in Vvallia Richardus Vitus ludimagister. Fruſtra verò in hoc libro tuto compendio cõmemorauerim, quibus de criminibus tàm crudeliter in innocentes homines animaduersum sit, cùm omnibus constet, veram solamque causam fuisse religionis suæ professionem, & Apostolicæ sedis communionis contra Ecclesiæ rebelles filios defensionem.

An. 1584. Martyres tres.

Articuli propositi de Bulla Pij V.

Nam cùm cæteras confictas criminationes in iudicio facilè depulissent, mox in ipsorum secretiores cogitationes & futura facta, quibusdam copiosis interrogationibus super Bulla declaratoria Pij V. fit inquisitio; nimirum, si sententiam illam legitimam fuisse iudicent, si putent in Papæ esse potestate reges exauctorare, ac subditos ab ipsorum obedientia liberos reddere? quid sint facturi ipsi, aut alijs 1. 2. conscientia præscribent, si bellum à quoquam 3. inferatur propter religionem? ac huius generis alia: In quibus si quid pro Pontificia potestate, vel prudentissima rerum moderatione dixissent, continuò læsæ Maiestatis, & non religionis rei decernebantur.

Atque

Atque hæc quidem hactenus nequissimè perpetrarunt aduersarij nostri, conscientia ipsorum tantùm clam repugnante, & tantorũ scelerum apud Deum eos accusante: (optimè enim nouerant innocentissimos esse catholicos, earum omnium molitionum quarum condemnabantur;) sed voluit Dei benignitas, in lucem hominumque notitiam, hanc summam eorum impietatem proferre. Nunc enim, Ioannes ille Nicolaus, de quo suprà mẽtio facta est, qui ab his inductus, maximã huic sanguinolentæ tragœdiæ occasionem, vel vmbram potiùs & velamen dederat, (Roma enim rediens, tam libris impressis quàm concionibus publicis multa de Catholicorum machinationibus iussus asseruit) cùm vidisset tot innocentes homines hac scelerata fraude sublatos esse, conscientia motus, Cecilium summum Regni, Quæstorem adit, reuocatque illi in memoriam, falsa esse quæ ipse in Catholicos dixerat, à quo vix auditus, idẽ postea Reginę Secretario Valsigamo significari curauit: sed cum neuter eorum libenter eum audiret, ille tanquam alter Iudas, requiem non inueniens, admonuit eius rei non solùm Præfectum arcis Londinensis, qui totius fictionis præcipuus autor fuerat, verumetiam Lucam Chirbæum presbyterum, ex ijs vnum, qui hac ipsa de causa sententiam mortis acceperant.

Io. Nicolaus mendacia confitetur.

Cecilij & Valsingami obstinata iniquitas.

Quo facto exijt statim ex Anglia & per Germaniã properabat ad Turcas, vt experiretur an eorum

Nicolai fuga & desperatio.

eorum religio meliori conscientia res administraret quàm protestantium; sed in itinere cum multis difficultatibus impediretur, persuasus à Socio redijt in Galliam, vbi quemquam eam gratiam non fuerit consecutus vt Catholicus fieret (voluit enim statim in Angliam redire) coram magistratu tamen Rothomagẽsi, vniuersam mendaciorum suorum seriẽ retexuit articulis octo, quos hic inseremus cum binis literis ad Reuerendum D. Alanum Collegij Anglorum Rhemensis praidem, eodem de negotio sicut ipsius verba scripta habentur.

EXEMPLAR LITERArum, quas Ioannes Nicolaus ad Doct. Alanum scripsit, postquam esset Rhotomagi captus, nulla dictione vel litera mutata.

DOctor Alane, tua meã petulantiã vicit charitas ad te (temeritate ductus magis quàm prudentia fretus) acriter scripsi, tu ira non commotus omnia bona mihi optasti, pollicitus es cùm fueram tibi inimicus ea, quæ non sperauera a te concedi, tua clementia me superauit supermodum. Parisiis Remos veniissem, si mea culpa tanta non fuisset, quantum explicare verbis nequeo. Pudore impeditus, Remos petere nolui. Tua patiẽtia mea maior fuit malitia, tua verba ex charitate fraterna producta ostenderunt quos spiritus

spiritu suffultus eras. Laurentius Caddeus, quæ meas tibi dedit literas, iuramento facto prædicta confirmauit, qua charitate audita in quæ prorupi verba testetur.

Si illam D. Alane animæ meæ curam te habere verum sit, vt tuam reuerentiam non pigeret peregrinationis multorum locorum modo saluares eam, des tunc operam vt saluetur, & mea anima salua tua opera, saluabitur anima tua iuxta verbum diuinum. Si anima & corpore peribo tua incuria atque negligentia, redditurus es rationem huiusmodi mortis meæ in die iudicij. Sum detentus in carceribus, & non indignè. Sustentor lautius hucusque quam deberem, appello ad tuam reuerentiam, & non ad Papæ Nuntium.

Si promittes tuis literis, quod mea culpa quoquomodo commissa contra quoscunque ignoscetur mihi, & quod nemo ob mea delicta perpetrata, me è medio tollere conabitur, Remos veniam, & ponam vitam in manibus tuis: si hoc mihi negabis, sanguis meus à te requiretur; & eris causa perditionis animæ meæ. Non curo propter vitam corporis mei, singulis diebus contentus sum mori, si semel animam meam & virtute & religione verbo diuino innixam, suffultam sentirem: ob nemo mortalium me lætior esset.

Dicunt multi me nullam religionem habere, & verè dicunt secundū opera mea: flagitijs enim multis coopertus sum, hoc ego dico, & in suggestu sæpè dixi. Quodcunque scriptum est in veteri atque nouo testamento, firmiter credo si me ad ignem, aut ad patibulum lictores iam traherent, aliud non crederem, instar vmbræ est vita mea, à carcere Rothomagensi clamo ad te vir

magne, & vir plenè charitatis; vt mihi succurras dum hac vitæ vsura fruor. Si conquereris de scriptis meis, quod falsū est retractabo, causam indicabo cur sic scripseram, totam mentem meā iuxta veritatis limites satis abundè explicabo. D. Alane, etsi grauiter offenderam, tamen cum tam tibi committo animæ meæ.

Nescio quid de me consultum est, si Papa & Cardinales, & omnes alij, qui auctoritate præcedunt alios, consultius æstimant esse, vt vindictam sumant iniuriæ illatam illis immeritò, fiat voluntas Domini, sciunt vbi me inuenient: exquantur quod in mentem venit, sed aliter de illorum charitate spero. In his angustijs quibus constitutus sum D. Alane, præsto mihi sis, & consilio & labore, & alijs omnibus charitatis ieribus: & accumulabis tibi magnum thesaurum in cœlis, & me tibi in æuum deuinces.

Non sum obstinatus, cupio saluus esse, saluum me reddat Deus anima à corpore dissoluta. Scripsi, bene vale, oraq; pro me peccatore maximo. Dum viuo, spero. Redde bonum D. Alane pro malo, & eris discipulus Christi: sic fecit Christus sic docuit.

Per me Ioannem Nicolaum Anglum, tui amantissimum.

Post

POst scriptum. *Spiritus pugnat contra carnem, caro contra spiritum. ad tempus spiritus diluuio peccatorū submersus carni succubuit, sed spero quod spiritus emergetur, & carnis vires inualidabit. Deus sit mihi propitius. Captiuitas est mediū per quod viam ad cœlum inueniā. D. Alane, partim quia Christum agnoscis. & partim quia conterraneus meus es, consule mihi dum tempus est. Lego vestros libros, non tadet me legere, aliquam mihi legendo consolationem comparaui. Legam, & sermonem habere cum Catholicis Romanis inficias non ibo Scripsi, & expecto responsionem voluntatis tuæ propensæ, vt spero in meam salutem.* 18. *Februar.* Anno 1583.

Per me peccatorem grauissimum, Ioannem Nicolaum indignum hac vita quam dego.

ALIAE

ALIAE LITERAE AB EO-dem ad eundem scriptæ, nulla dictione mutata.

Ioanni Nicolai litera 19. Febr. Anno. 1583.

DOctor Alane, contra Papam, Cardinales & Episcopos quæcunque scripsi, scripsi ambitionis causa: & quæ audiueram in Italia de moribus Papæ, Cardinalium Episcoporum aliorumq; inter aggrestes & inopes homines, litera in Anglia mandaui: nullum librum edidissem (Deus est mihi testis) nisi Præses Castri Londinensis me ad scribendum prouocasset. Partim tunc tempore grandi promissione delusus, partim appetens interituram gloriã à me publicè scripta sunt ea, præsertim de moribus Papæ, Cardinalium, Episcoporum, totiusq; Ecclesiastici ordinis. quæ fama acceperam à viris non fãt dignis, libertate mihi eo tempore concessa, paulò post resipui & me nequiter scripsisse Domino Lucæ Chirbeo iam vita defuncto, cum in carceribus detentus fuerat, confessus sum.

Multa scripsi, multa feci, quæ scribere aut facere negaui prorsus, antequam Præses turris Londinensis sæpè minatus sit, grauissimum torquaris tormentum, quam acerbam pœnam patri mea fragilis caro abhorruit. Illius igitur inuentionem atque voluntatem executus sum, quod imperabat scripsi. feci, sic locutus sum, non ex malitia, sed ex impulsu, non ex praua voluntate, sed ex satanica suggestione.

Conscientiæ cruciatus.

Multa scripsi falsò: quæ scripsisse pœnituit me antequam ex Anglia, tanquam profugus ob enormia peccata mea, quæ conscientiæ meæ magnam

gnam inquietē diu & noctu iniecerunt, discesserā Nunquā in Anglia steti corā Iudice, aut alio quouis magistratu tanquam testis cōtra quemuis Catholicum Romanum, quando in iudicium vocati sunt, ex proposito obfui Londino.

Papa, Cardinales, Episcopi, & alij Catholici Romani, in me multa contulerunt beneficia, quæ ingratitudine recompensaui, sed causa ostenditur, metus grauissimi supplicij, magnifica promissa me à Deo auocauerūt. si vos viri dignissimi, in eodem periculo versaremini, nescio quid faceretis.

Nihil aliud audire potui in carceribus quàm has minas. Fac sic, aut satellites te ducent torqueri: maluissem si dixisset suspendi. Non bona res est, corpus isto cruciatu longius fieri per duos ferepedes quam natura concedit. Narratum est mihi modus torquendi, cum audiueram, timor & horror istiusmodi suplicij me omninò vicit in mea examinatione. Quorum voluit ille Præses aut seruus illius nomina scribi, scripsi. Georgius Peccam Eques auratus in Catalogo fuit Papistarum, Iudex Soutcothus, & alij multi mihi ignoti, & ad nomen, & ad personam (antequam ad castra Londini veneram) in meo Catalogo suggestu prædictorum locum occupauerunt inter cæteros Romani religione addictos.

Si captus non fuissem, cunctis Papistis inditassem interrogantibus me causam scribendi talia mendacia in mea examinatione. Ego fui scriptor, sed Deus scit, alios fuisse auctores. Si mea fragilitas me non excusabit, appello ad misericordiam vestram, quia munitos esse dicitis: ostenditetunc illam, & pro amore Dei liberate me,

me, & non vrgeatis me sicut cæteri, loqui & scribere contra conscientiam meam: & postea cernetis sine impulsu, quod liberè fatebor veritatem.

D. Alane grauiter te offendi, sed tamen dico, quod recumbo in tuam clementiam. De religione nihil dico, quod scriptura docet (nullam excipio librum neque veteris neque noui) firmiter credo: nihil aliud credam, facite mecum quod vultis, comburite, suspendite, interficite, decapitate, ego idem sum: si veritatem non habeo, Christus est veritas, ostendat mihi veritatem, & aperiat oculos meos.

D. Alane, Odovvenus Hoptonus. Præses Castri Londinensis minis iussit, vt examinationem iuxta voluntatem illius scriberem. Quando nomina Papistarum patefeci (quorum quamplurima nomina nunquam antè audiueram) eos fautores Papæ, Reginæ Scotorum, acerrimos inimicos Regiæ Maiestatis, virorum à consiliis, & omnium illorum qui defensores sunt religionis quæ publicè in Anglia docetur asserere non vererer. Et omnes illi, de quibus mentio facta est, nobiles & generosi fuerunt. Hoc si à te factum erit, Regina promouebit te, inuenies me promptissimum fore ad te iuuandum. Cuncti proceres te magno prosequuntur amore, & nihil indigebis. Mittam tecum seruum Oxonium, ibi sustentaberis, centum Marcas singulis annis dabo operam, vt adipiscaris, & sine dubio pingue sacerdotium tibi dabitur. Si hoc non præstabis grauissima pœna mulctaberis, consule tibi igitur. Et hanc ob causam, partim metu ductus, partim adulatione victus, hoc in me quadrauit adagium:

Quid

Quid ipse aiebat, confirmaui: promissum illius iuramento perstrictum fuit. Hæc quæ exaraui adeò vera sunt, vt nihil verius.

Videte homines, quamecum Tragedia vsus est ille Præses. Quamprimum veneram in conspectum D. Odovveni Hopton, ductus cum satellite, confessus sum me illius religionis fuisse, & tamen hypocrisi maxima me vti voluit: paratus eram in die Dominico istius hebdomadæ qua captus eram in Ecclesiam venire mea sponte, & tamen iussit, vt apparerem reluctari, & seruus illius iussus fuit trahere me ad Ecclesiam quasi inuitus fuissem: ex his paucis colligite plura.

De Bulla affixa parietibus Remis, hoc non audeo confirmare, sed ita fama volauit inter alumnos Papæ in Collegio Anglicano Romæ sito, vtrum ista excommunicationis Bulla contra nostram Reginam Elizabetham renouata fuit, & ex integro impressa Romæ prorsus ignoro, sed ignoscite mihi quæ tali modo temerè & falso scripsi, & feci.

Quæ literis mandantur, me libera sponte sine compulsione vlla, vt conscientiam meam liberã redderem in præsentia Gulielmi Iohonson, & Georgij Robinson mundata sunt in carcere Rothomagensi in die Sabbathi. 19. Febr. An. 1583.

Ioannes Nicolaus.

CON-

IOANNIS NICOLAI

CONFESSIO PVBLICA, QVA FATETVR SE MVLta mendacia contra summum Pontificem, Cardinales, & Catholicos Anglos protulisse eo tempore, quo in Anglia versabatur.

1. *ACcusamus Ioannem Nicolaum, primum quod famosos libellos fecerit, & praemaisdauerit contra Principes & publicas personas atque collegia, qui famosi libelli etiam ditionibus sua Maiest. Christianissimæ in multorum manus venerunt, & famam multorum laserunt.*

Respondeo vt sequitur. *Ego Ioannes Nicolaus, protestans in religione, 20. Februarii Anno Domini 1583. neque metu, neque fauore cuiusquam hominis aliquid à me resciddebitur. Quantum ad hunc primum articulum, fateor me iure rectèq; accusatum esse.*

2. *In his libris turpissimorum [illegible] mendaciter & calumniosè insimulat nominatim certos Cardinales, obijciens eis stuprum & scelera pessima, ex mera contra sacrum ordinem malitia.*

Ad secundum sic respondeo. *Fateor me sic scripsisse, sed fama atque relatione hominum prauorum, vt opinor.*

3. *Sanctissimum Dominum nostrum Papam seditiosè & maledicè in ijsdem scriptis incu[illegible]*

iniustitiæ, furti, rapinæ, & omnis iniquitatis, particulatim nominans quasdam rapinas quas eum fecisse fingit.

Respondeo, me sic scripsisse, sed magis ambitionis & malitiæ causa, quàm veritatis, nisi vt acceperam illum fecisse aliquid quod à me literis mandatum sit à viris illius conatibus minimè fauentibus, quod nunc non omninò à me approbatur.

4. In suis libris prædictis iniquissimè, & (quod postea confessus est) falcissimè accusauit, proditionis & læsæ Maiestatis homines sanctissimos, & innocentissimos, per quod ipsius & aliorum suorum complicum falcissimum testimonium, plurimi, id est 12. religiosissimi viri aut plures, fuerunt crudelissima morte sub lati. Eūq; interrogari cupimus, an aliorum inductione vel sua solà malitia, eos falsò accusauerit, & qui eum induxerunt ad hoc.

Ad quartum sic respondeo. Me semper negasse aliquod testimonium inducturum contra quemcunque hominem, qui ob religionem passus est: sed in libris meis insinuaui, quod multi in Collegio Anglicano Romæ sito, optauerant mortem Reginæ, & multorum aliorum, vt scribitur isto libro: & in illo articulo addidi plus quam veritas concesit. Et quantum ad nomina illustrissimorum virorum, vt nomen Domini Leicestriæ. vt nomen Domini Burleighi, Reginæ conquæstoris, Domini Francisci VValzingham, &c. quos viros neque accusatos, neque minatos ab aliquo in isto Collegio audiui, sed hoc ambitionis & lucri causa finxi.

5. Accusauit mendaciter & malitiosè Anglorum Collegium (suæ Maiestatis fauore Remis residens) quod Bullam Pij V. contra Reginam Angliæ datam, Remis publicauerit, & valuis & postibus illius vrbis affixerit, ex quo inquisitus mendacio, & calumnia, illius collegij alumni magnam posteà incurrerunt Reginæ suæ indignationem.

Ad quintum articulum sic respondeo. Quod iuniores studentes retulerunt mihi, quod Bulla anathematis per Piũ V. facta contra Reginam nostram Elizabetham, renouata fuit per Gregorium Papam XIII. & retulerunt mihi quod illa Bulla Pij V. publicata fuit Remis, & valuis, & postibus illius vrbis affixa. Hoc leui illorum relatione scripsi: sed hac de re, non melius sciui, quam infans vnius diei, quia Remis tunc temporis non fui.

6. Nuper etiam in Gallijs existens scripsit ante 10. dies, apertas literas ad quendam grauem virum, in quibus famam & honorem Collegij Anglorum multiplici mendacio, conuitio, calumnia, & detractione grauissima, læsit: dicens prædictum Collegium docere & committere omnia mala, & quod viderit oculis suis continuò in Collegio fieri quæ nimis sunt dictu turpia & horrenda, vt ita falcissima calumnia, & patres societatis Iesu, qui illud Collegium Romæ regnant, & ipsorum discipulos collegij alumnos infamia notaret.

Quantum ad sextum, hoc respondeo. Ista. usmodi literas scripsi. sed superbia, & animus cupiens in Anglia promoueri, ad scribendum me duxit. Et quantum ad Collegiũ Remen[se]-

hoc

hoc dico: quod plus ex malitia, quã ex veritate dixi. & sic alterũ Collegiũ quod est Romæ falsò à me accusatũ est. Et dè D. Alano, in cõscientia loquor, nihil aliud scio aut audiui quam innocentiam, sua religione excepta.

7. Præter ista, periurij crimen ipsum incurrisse, probabimus non solũ ex eo, quod post publicã, solemnẽ, & voluntariã hæreseon abiurationem Romæ ante quadriennium factã, relapsus sit in abiuratas hæreses: sed ex eò quod interposito iureiurando promiserit (cũ Collegij Romani alumnus esset) se suscepturũ sacros ordines, & in Angliã profecturum ad propagandam fidem Catholicã, quandocunq; à superioribus, id esset sibi mandatum. Quod promissum iureiurando confirmatũ, iam ipse cum ingenti scandalo irritum fecit.

Ad septimum articulũ respondeo. Illum articulũ esse verũ, & incurri periurium, quia Romæ vixi vt hypocrita, nunquã existens in religione Catholica Romana, præsertim corde.

8. Porrò, obijcimus illi, quod Pontificem dolo malo fraudauerit, quando sub prætextu aduersæ valetudinis, & quod aerem Romanum ferre non potuerit, petijt à sua sanctitate veniam eundi ad Collegium Remense, vt ibi studia prosequeretur, & sacerdotium susciperet, in eum finem postulans & accipiens à sua Sanctitate 50. aureos, cum ille accepta per fraudem hac pecunia rectè profectus est in Angliam.

Ad octauum articulum respondeo, me defraudasse Papam 25. aureorum, quos mihi dedit in via viatici, vt Remos peruenirem, sed Remos non veni, recta in Angliam profectus sum.

Ob omnes prædictos articulos sic à me Ioanne Nicolao concessos dolor magnus me tenet, & sub pedibus cuiusque quem sic malitiosè & grauiter offendi, me ipsum prosterno & subijcio. Deus scit, animo euadendi fortunatus promotionibus, qua desiderio veritatem loquendi ductus. Deus sit mihi misericors, & propitius, & ignoscat mihi pariter cum illis quos sic temerè & impiè offendi. Peto vt omnes illi qui per me offensi sunt, per amore Christi, tantæ iniuriæ immeritò illis illatæ, obliuiscantur, partim hanc tetigi culpam Satanæ suggestu, & partim quod multi laudauerunt ea, quæ sic impudenter scripseram.

Per me Ioannem Nicolaum Anglum.

Addidit deinde ad prædictas responsiones has quæ sequuntur.

MAgister Stubbæus subministrabat mihi materiã & argumẽta libri in arce Londinensi, quem inscripseram Recantatio Ioannis Nicolai. M. VVilkinsonus adscripsit ad marginem annotationes, & alia addidit ipse quæ ego scripsi, erroresque qui in curiã & inscitia mea irrepserant correxit. Præterea ad diem festum omnium Sanctorum, Anno 1574. hæc sequẽtia verba domino Thesaurario dixi, si placuerit dominationi vestræ honoratissimæ audire veritatem; fateor me vehementer dolere, quod eiusmodi libros ediderim in quo plus falsi quàm veri contineatur. Quibus ille respondit Papistas iã deprehendisse meam mẽdacia. Postquã indicassem Domino Lucę Chirbeo in arce Londinensi me plurimum pœnitere

tere facti, quod scilicet eos libros scripsissem, qui cum veritate pugnarẽt; ille hæc mea verba retulit M. Reginaldo Oxonienſi, qui & ipſe eadem narrauit D. Franciſco VValzinghamo. Hic autem re intellecta admonuit præfectum arcis, vt me, præſente D. Luca Chirbæo examinaret, an ita res haberet, vt ille relatione acceperat, nec ne. vnde mihi, cum iam turrim acceſſiſsẽ examinandus de prædictis verbis, in hunc modũ locutus eſt Dominus Chirbeus. Veritatem fateare (Nicolae) & diabolum confunde: hoc ipſum faciam (liberè reſpondi) nihil ea de re dubites. Dominus Chirbeus ſeparatim examinabatur: ego quoque veritatem non cælaſſem, ſi per prẹfectũ arcis, integrum mihi fuiſſet. Nam cùm hec verba dicerem. Ego Domino Chirbeo dixi hos libros meambitione inflatum ſcripſiſſe. Noli ita dicere, inquit Præfectus, ſed ad Secretarium ſe conuertens, hæc verba (inquit (ſcribas, fatetur ſe dixiſſe Domino Chirbæo ſe dolere, quod hos libros tam impolitè & ruditer ſcripſerit.

Cum Magiſter Reginaldus coram Doctore Humphredo mihi diceret, ſe præſente Domino Humphredo & Domino Chirbeo probaturum me hæc verba protuliſſe, quòd nimirũ dolerem meos libros, qui plura falſa quàm vera continerẽt euulgatos eſſe, quodque non amplius quicquam cuderem in pulpito, vel in prælo contra Papiſtas: cum inquam hæc fierent, Dominus Præfectus arcis tunc temporis præſens imperauit Magiſtro Reginaldo, ne de illa re amplius loqueretur.

Multa alia scripsit ac confessus est Nicolaus iste (quæ breuitatis causa omittimus) de nequissima hæreticorum nostrorũ in Catholicos, etiam contra propriam conscientiam, conspiratione; sed neque tamen ideò quicquam ab incepta persecutione destiterũt, verùm maiori potius impetu progressi sunt.

Procerum vexatio.

Neque verò nunc contenti hac in presbyteros & mediocris fortunæ Orthodoxos artificiosa crudelitate, ipsam etiam nobilitatem, ac inprimis regni proceres, quos iam magis magisque istius nouæ sectæ falsitatem, turpitudinem ac immanẽ crudelitatem abominari obseruarunt, indignissimè tractare inciperunt. Et cùm in omnes Catholicè affectos nobiles simul animaduertere non queant, pro cuiusque Aulici ac noui hominis odio & libidine, nunc istos, nunc alios, confictis criminationibus & calumnijs impetũt. Ita Franciscum Throgmorthonum ac Edouardũ Ardenum antiqua fide ac genere præstãtissimos viros aliosque indignè sustulerunt. * Sic illustrissimum Northumbrium in Anglia potentissimum principem, ac insignem pietate ac nobilitate virum Gulielmum Schellæum, in infelices ac lethales carceres ex vanissimis solùm suspitionibus truserunt. Idem fecisset in illustrem Baronem Pagettum ac Carolum Arundelium nobilem, licet innocentissimos, nisi fuga matura, & vitæ & conscientijs suis cõsuluissent. Quomodo autẽ iam pridem summum totius Regni Principem, Comitem Arundeliæ, Ducis Norfolciæ (qui & ipse istorum cruentis manibus sublatus est) filiũ pri-

** istum in carcere hoc Anno mense Iulij occiderunt.*

moge-

mogenitum ac hæredem, è fuga propter solã conscientiam suscepta, reductum in carcere immaniter tractent, mendacijsque ac calumnijs infament; omnesque ipsius charissimos fratres, sorores, cognatos, affines innocẽtissimos homines exagitent, dicere supersedebo. Sanè præter ista quæ commemorauimus, præterque expilationes ac vexationes quas à vilissimis homũcionibus tolerare coguntur, vel hoc nomine nobiles laici sunt ipsis sacerdotibus infœliciores; quod nec conscientiæ causa fugere, nec possessiones vendere, nec bona sua vxoribus ac liberis relinquere, nec ad sui sustentationem secum transferre possint; sed fisco ac hæreticorum vsibus applicãda deserere coguntur: qua vna re nihil potest dici aut fingi seruilius ac miserabilius.

Elizabethæ consiliarij nullam de religione habent curam.

Et hanc in omnes Ordines crudelitatẽ dicunt se non exercere propter religionem, (sicut certè putamus; putantque etiam prudentes omnes, qui iam à multis annis aduerterũt, ab ijs qui rerum potiuntur in Anglia, de fide vtcunque id prætendant, nullam curam haberi, sed de statu suo solum esse solicitos) sed ad Reginæ ac Reipub. securitatem, quam per Catholicos indies numero ac studio in Reginam Scotiæ crescentes, magis magisque periclitari asserunt. Vnde isti noui etiam metus ac suspitiones de Elizabethæ interfectione, quæ ita altè istorũ animis infixi sũt, vt pueriliter nõ modo homines ac res quæ verè existũt, sed vanissima spectra ac vmbras metuãt ac insectẽtur; adeò quidẽ, vt ad eã à capite re-

repellendam, aut postquam facta fuerit vindicandam, non modò in eos qui fecerint, sed in proximos quosque Regni hæredes inauditis associationibus ac iuramentis contra morem ac leges regni conspirauerint: & id quidem primùm priuato furoris zelo fecerunt, postea, cum aliqua tamen eius coniurationis moderatione, lege etiam parlamentaria vt. approbaretur, obtinuerunt.

Fraudes persecutorum.

Sed vt ad rem redeamus, in hac tãta in omnes omnium ordinum Catholicos sæuitia, nõ nũquàm vt apud exteros principes ipsumq; etiam Pontificem, persecutionis immanitatem aliquantulum occultent, ac opinionem moderationis ac clementiæ sibi concilient, tàm fraudulenter sæpè ista dispensant, vt dũ vnum cruciant, vexant, occidunt, alium Regia indulgentia nonnunquam palàm absoluant, vt cùm Londini est aliquod ab innocentium cæde quasi lucidum interuallum vel cessatio, tunc lõgè crudelissimè in alijs regni locis sæuitur, & dum quosdam ad tempus maiori libertate donare videntur, alios identidem eodem tempore cõprehensos grauissimè cruciant. Atque vt ista calliditas horum instituto melius inseruiat, habent ferè in Principũ aulis certos homines, qui huiusmodi fictæ ac fucatæ clementiæ exempla, apud rerum nostrarum imperitos inculcent, explicent, amplificẽt, & infinitæ crudelitatis facinora vel extenuant vel excusent, vel aliorsum quàm facta videntur, interpretarentur, sæpè videas etiam homines non malos, de istis persecutoribus Ecclesiæ multis meliora promittere.

Inierunt

Inierunt his ipsis diebus nouum consiliũ, de quibusdam quos in vinculis habebant in exilium mittendis; vel quia morte ac mactatione Sacerdotum senserunt se nihil profeciſſe; vel quia iudicarunt hoc in primis facto, fucatam clementiam suam, cuius laudem tãtoperè expetunt, pluribus in locis diuulgari posse. Sed certè neque perpetuum exilium est magnum lenitatis argumentum; & ea cõditione impositum vt redire sit capitale, est per se sæuissimum; & Sacerdotibus Dei qui cùm Superiorum mandato, tùm suo singulari zelo illam sibi prouinciam vt multis ad salutem inseruiant vltrà susceperant, debebat omnibus tormentis ac moribus intollerabilius censeri; & ipsis denique Catholicis populis, pastoribus suis hoc modo orbatis lõge tristissimum esse oportuit. Sed quo ordine, quoq; modo in exiliũ acti sint, vno aut altero verbo commemorabo; quia ipse licet indignus, huius pro Christo qualiscunque afflictionis inter cæteros viginti particeps fui; simul enim totidem presbyteri & vnus nobis laicus hanc pœnam subiuimus.

Consilium nouum de mittendis Catholicis in exilium.

Erant tum temporis omnes tàm nouæ quã veteres custodiæ, confessoribus plenæ, & in vno castro Martiali (quod nomen est carceris cuiusdam Londini) erãt præter laicos, Sacerdotes plus minus triginta; remanserant quoque in arce atque in alijs vrbis carceribus, ex ijs nonnulli qui vel cum patre Campiano vel paulò pòst ad mortem damnati, totum triennium carnificis manum expectarant. Hos igitur non omnes, licet in eadem damnatione

Electio viginti confessorum in vna naue An. 1585. die verò Ian. 21.

esse viderentur, nec solos; sed certos & ex singulis ferè illius ciuitatis custodijs aliquos delegerunt, nam ex innumeris alijs in regni locis vinctis, nec vnum tunc demiserunt. Cùm ergò dies à Magistratu esset illis deportandis designatus, dantur cuiuslibet carceris præfecto eorum nomina qui in exilium erant destinati, & vt vinctis diem præscriptũ denuncet mandatur, vt ita maturè de rebus ad viam & victum necessarijs sibi prouiderent; nam publicis sumptibus (quòd à multis expectabatur) non nisi in naue erant alendi. Sed ipsi carceribus interea concluſi, nec ad vllius colloquium nisi custodibus præsentibus admissi, non multum adiumenti ad iter ac futurum exiliũ desolatis hominibus; vt vel hoc nomine istud exilium desolatis hominibus calamitosissimum videri debuerit. De voluntate tamen reginæ certiores facti, quisque quod potuit fecit, vel ad viaticum nonnihil vestiũ aut nummorum à suis procuraret.

Dies tandem venit, licet sæpè nescio quo consilio dilatus, & mutatus, ibantque ij quibus nos transportandi data sunt mandata, repentes è variorum carcerum præfectis, eos qui designati erant ad exilium. Ducti sumus omnes ad nauem in Thamesi flumine propè ianuam arcis sitam; iamque conscendere iubemur, vbi ex nostris quidam, præsertim P. Pater Gaspar Hayuodus omnium nomine palàm conqueri cœpit, nos sine causa, sine crimine, ac sine iudicio planeque indemnatos nos debere patria pelli; ac profiteri nos vltra non ituros, nec patriam, ac populum Catholicum,

quod

qui in ea est, nostro vnquam consensu relicturos, sed ipsorum in conspectu ad testificationem communis fidei nostræ & ipsorum, libentissimè morituros. Patriam nostram ac salutem istorum nobis vita nostra longè chariorem esse.

Sed cùm hac ratione nihil proficeretur, literas saltem ac mandata Principis, quibus ad perpetuum exilium damnamur (inquit) ostendite. Sed cõcessum nõ est, at sublatis velis cum multa multorum consolatione ac commiseratione in altum delati sumus. Post biduum verò, cùm iam in oceanum multũ processissemus R. P. Gasparus & alij, rerum obnixè rogarunt regios ministros, vt vel tunc tandem sententiam ad literas exilij videre ac legere liceret. Victi illi, mandatum exhibuerunt, in quo cùm illud legissent nostri, *Has tales personas suis & aliorum confessionibus multarum in suam Maiestatem & Rempublicã seditionum ac machinationum reas inuentas, omnesq; vel in iudicio de ijsdem criminibus conuictas, vel propter similia in carcere detentas, licet mereantur extremum supplicium, tamen regiam clementiam mitius hac vice agere volẽtem, extra patriæ fines tantum deportandas, hac præsenti scripto decernere:* Hæc, inquam, cùm in hanc sententiam legissent flebiliter, clamarũt vna voce omnes, falsissimis calumnijs ac grauissima iniuria affici, cùm nec ipsi, nec sociorum Catholicorum quisquam vllum vnquam rebellionis aut in Reginam aut patriam conspirationis crimen, vel leuissimo verbo confessi sint; & ex ijs ipsis quos

Summa iniquitas hæreticorum.

Formæ eiectionis.

quos tùm deportabant, vnus falsissima accusatione, in iudicio publico fuisset absolutus. Proinde P. Gasparus in eam sententiam multa locutus, iterum atque iterum obsecrat ductores suos, vt ad causam dicendam in Angliam reducantur, ac publico iudicio sistantur: vel saltem vt ibi pro Christo potius & innocentiæ suæ defensione iugulentur, quàm vt hac luculenta infamia in aliena terra compareant. At responsum est, id in ipsorum potestate non esse, se mandatum regium implere debere. Processimus igitur vt potuimus nos inuicem consolantes, ac gaudentes quòd hâc contumeliam pro nomine Iesu, vtcunque patienter tulerimus, ac tandem Deo iuuante Poloniam appulimus, vnde postquam ductoribus nostris valediximus, ad varias Galliæ vrbes, vt quisque habebat commoditatem profecti, demum omnes ferè Rhemos ad cõmunem patrem Alanum perreximus.

D. Colinthonus.

Rumores falsi de hoc exilio.

In quemcunque autem locum ad confratres aut superiores nostros venimus, eos de nobis valde anxios reperimus: audierant enim hęreticorum aut maleuolorum falsis rumoribus, nos hoc exilium ob metum periculorum in Anglia vltra procurasse, stationem nostram reliquisse, aut etiam, quod grauius esset aliquid hæreticis in religione cessisse. Sed cùm rem omnem ex nobis abundè intellexissent, multique nostrum se porrò paratos esse dicerent, quandocũque superioribus placeret, sine omni periculorum exceptione redire incredibiliter lætati sunt in Domino. Atque de istis non domi trucidatis, sed ita

patria

patria pulsis, in exemplum ac argumentum clementiæ Regiæ, aduersarij passim loquuntur libenter; & in eo persistunt atque instant tàm impudenter, vt quo plures fuerint in exilium detrusi, eò magis elucere putant magisque commendari apud exteras nationes, præclaram istam Reginæ clementiam. Nuper igitur eadem fraude & crudelitate qua superiores, in Galliam eiecerunt viginti duos ex Eboracensi & Hullensi carceribus, qui omnes sacerdotes sunt, vno excepto, qui tamen est Diaconus. Hi omnes maxima ex parte, non solùm vinculis & carceribus, sed senio etiam sunt confecti. Nam alij sexaginta, alij septuaginta, alij plures annos habent, & inter eos vnus est octogenarius. Multi horum licet sint valdè senes, magnam tamen ætatis partem in vinculis peregerunt; ita vt reperiantur inter illos qui viginti & sex annos, patientissimè & constantissimè tulerint omnia illa incommoda quæ tot annorũ, & talium hæreticorum iniquitas incarceratis solet afferre.

Aliud exilium 22. Sacerdotũ mittendum.

Paulò pòst, nempè vigesimo quarto Septẽbris, non dissimili consilio patriæ suæ finibus excluserunt, quos ex diuersis carceribus in vnum eduxerant, alios nonnullos ad numerum triginta Sacerdotum, & cum eis duos laicos; quòd hoc modo putant, se posse humanitatis & clementiæ nomen obtinere. Sed quia hoc est valde ridiculum, & non aliud beneficium quàm est illud latronum, qui gloriari solent vitam se eis dedisse quibus non ademerint; idcircò verisimiliùs est, illud eos agere

Triginta aliorum eiectio.

agere, vt Seminarium, quod norunt esse pauperrimum, neque tot alendis posse sufficere, multitudine hominum opprimant atque obruant. Sed non est consilium contra Deum, *Domini est terra & plenitudo eius.*

Psal. 32.

Noua ac crudiliores adhuc leges in Catholicos an. 1585.

Illud verò etiam quod paulò pòst conuocatis ordinibus ad parlamentum, lege perpetua decretum est, ne quisquã Iesuitarum, Seminarianorũ presbyterorum, aut cuiuscũq; alterius conditionis sacerdos, diaconus aut clericus à Romano Pontifice quomodolibet deriuata autoritate, quouis loco post Catholicæ religionis per Elizabetham abolitionẽ creatus, sub pœna læsæ maiestatis conuictis debita, post quadragesimum à lege publicata diem, intra regnum maneant, aut à transmarinis partibus redeat; si cuiquam mite clemensque decretum dici queat, quid possit iniquum, crudele, barbarum censeri nescio. Prioribus legibus etiam, & ipsis iniquissimis, ne presbyteri quicquam sacerdotalis officij exerceant, ne Sacrificium faciant, ne Confessiones audeant, Ecclesiæque quenquam reconcilient, aut quouismodo ad suam fidem inducant, satis exactè cautum est: sed hoc nouo edicto sancitur, vt non solũ contra leges Protestantium non committant huiusmodi, aut in Rempublicã peccent quicquam; sed prorsus vt in regno non sint, etiamsi nihil contra statum aut religionem in eo stabilitam moliantur.

Harum legũ iniquitas cũ prioribus cõparata.

Hoc edicto non tantùm persona quæ peccat, puni-

punitur, idque omnium pœnarum grauissima: sed vniuersi hominum ordines, qui in singulis suis personis nunquam peccant, iniustissimè læsæ maiestatis condemnãtur. Hac inaudita lege, capitale fit, vt Anglus quisquã Societatis Iesu ingrediatur religionem: vel in quouis collegio seu seminario per societatem vbicunque terrarum administrato, educetur; nisi admonitus statim redierit in patriam, ac fidem Catholicam coram Pseudoepiscopo abiurare; Sacramentoque præstito testari voluerit, se omnes leges Ecclesiasticas quas Regina vel iam promulgauit, vel imposterum ab ipsa sanciri contigerit, obseruaturum. 2

Hac lege præterea statuitur, ne pater, amicus aut tutor, suorum aliquem in vllo collegio Iesuitarum, vel Seminario versantem, pecunia aut alio subsidio quolibet adiuuet, sub pœna proscriptionis omnium bonorum ac possessionũ, ac etiã perpetui carceris. Hac postremò lege prohibetur omnibus Reginæ subditis, ne quisquam in domum recipiat, vel quouis modo adiuuet, vel etiam cognitũ non prodat, vllum in Anglia existentem, aut ex alijs locis redeuntem, Iesuitam, Semirarianum sacerdotem, aliosue supra nominatos Clericos, sub pœna homicidis ac furibus prescripta; id est, suspendij. Illud verò ridiculũ potius quàm crudele dixerim; (quod tamen aduersariorum vanissimam arguit de omnibus rebus trepidationem, & summam sceleris cõscij animi inquietudinem) nullum nẽpè Sacer- 3 4

Ridicula cautela

Sacerdotem, licet abiurauerit fidem Catholicam, & sectæ isti se planè adiunxerit; debere tamen secundum huius legis præscriptum sub pœna capitis, intra decem milliaria vbi contigerit Reginam morari, subsistere.

Persecutio ob libros.

Hæc quotannis noua & inaudita placita cudunt, seueriſſimeque exequuntur, contra Christianos subditos ac conciues suos; & tamen tãtam iniquitatem nomine iustitiæ palliant; librisque editis, Reginæ in his omnibus summã clementiam, ac cum iudicio coniũctã misericordiam, impijſſimè decantant: sicut & non religionis aut conscientiæ, sed varitarum in personam regiam cõiurationum causa, ista necessariò fieri, antiquorum Ecclesiæ persecutorum more, mendaciſſimè fingunt; vt clariſſimè in illo libello, quem nostri homines illius fucatæ iustitiæ Britannicæ buccinatori, non ita pridem oppoſuerunt, lucæ clariſſima & inuictis demonstrationibus cõuincitur. Qui liber, licet & quanta fieri potuit moderatione, & non nisi aduersariorum petulanti prouocatione, & solummodò pro innocentiæ nostræ defensione sit scriptus; tamen eum qui exemplaria in insulam intulisse dicebatur, presbyterum Catholicum, Thomam Alfeldum, eumq; qui disperserat, Thomam Vvebleum, hominem laicum, eam præcipuè ob causam vita mulctarunt; proposita tamen priùs cùm in patibulo essent, condonatione, si Pontifici renũciare ac Reginæ placitis assentiri vellent: quod cùm recusarent facere, clero Martyrio defuncti sunt. Ita illi non alio ferè modo quàm nostrorum suspendio

Liber contra fucatã iustitiam Britãnicam

Martyrium Alfeldi & socij.

dio huiusmodi scriptis Catholicorum respõdent.

Viditac legit hunc librũ Catholicum, quidam non infimo apud Reginam loco consiliarius, mox atque est editus, & ad amicum quẽdam suum, quem affectu in fidem Catholicam propensum esse antè cognouerat, ita dixisse fertur. Miror, cur Pontifici etiam prudentiores tàm presè, apertè ac liberè, suæ Maiestatis ac magistratus actiones & edicta reuelent, refutent & insectentur: nam licet (inquit) fortassis planè nos & in religione & regimine, erroris conuincant; tamen non debent existimare quod vel hucusque progressi, possemus cum honore & securitate nostra resilire vel quòd tanta tamque potens Princeps, humilium istorum hominum quibusuis demonstrationibus, aut clamoribus pedem referre velit. Sicille.

Iudicium cuiusdam Reginæ consiliarij de libro contra iustitiam Britannicã.

Atque ista quidem scimus, nec nostri magnam habent spẽ, fore vt pro tantis ac tot peccatis iusto Dei iudicio obdurati, priùs cedant quibuslibet finis sermonibus, quàm præpotenti Ecclesi manu conterantur; tamen & illos qui pereunt, ne nostro vitio pereãt, admonendos, & bonos, vt in veritate & innocentia sua permaneant, hortandos; & reliquos ne tẽtationibus, grauissimæ persequutionis succumbant, præmuniendos; & denique omnes vt veritatis Catholicæ professionem publicã, nullis humanis legibus aut terrore deserant, confirmandos existimamus.

Quid cupiunt qui hoc tempore contra hæreticos Anglos luctantur.

Nec ignoramus eos, qui oderunt Syon, cùm à veritatis lumine arguuntur, non solùm non

meliores, sed sæpè etiam magis furiosos reddi, sed nec propter hoc deserendum est officium, ne dum temporalis periculi ratione tantùm habemus, fratrum animas prodere cogamus. Non habebunt in nos potestatẽ vllã, nisi quantam Deus ad nostram probationem aliorumque salutem, ad tempus illi concedit.

Dei prouidẽtia de Catholicis.

Vidimus misericordissimum dominũ Deum sæpissimè post sanctos hos sacerdotũ conatus, cæptamq; in Anglia persequutionem, miris insuetisq; modis Catholicos non modò certos tàm domi in patria quàm foris in exilio, ad cædem expeditos liberasse; ac Seminaria ista gentis nostræ extra insulã, tot machinis dolis ac violẽtijs impedita, cõseruasse; sed promiscuã etiã ac publicam omnium orthodoxorũ stragẽ, aliquoties iam illo sæuo Anglorũ * Aman, omni vrso, etiã raptis catulis crudeliore, suisq; in Puritanismo ministris, feris vocibus ac minis designatã, dexteræ suæ potentia hucusq; auertisse. Sicut eos vicissim, in Catholicis omniũ ordinũ hominibus, quos diuina prouidentia ad laudem nominis sui ac veritatis testificationem permisit ab hostibus capi, vexari, spoliari, incarcerari, vinciri, torqueri, occidi deniq;, experimus incredibili ẽ Dei consolationibus, secundũ magnitudinem dolorũ suorũ lætificari: quibus nõ solùm ipsi gaudẽtes ferunt pro nomine Christi mala temporalia omnia; sed socijs Catholicis ac præsertim presbyteris exemplo sunt, constantiæ, patientiæ, ac contemptus huius seculi.

* *Comes Leceſtria qui iam rebus Hollandicis præeſt.*

Catholicorũ constantia.

Vnde fit, vt ne nunc quidẽ post tot cruenta decreta, ac supplicia, Sacerdotes vspiam ab officio

officio ceſsēt; didicerunt enim obedire Deo magis quā hominibus, nec timere eos qui occidunt corpus, animam autē non poſſunt occidere, ſed potius eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam; hunc timere (inquam) didicerunt: ac proindè mittuntur, & ingrediuntur inſulam, in eaque Apoſtolicè & pacificè ſe gerunt. Non veniunt vt Reginā occidant, Rempublicamúe perdant, ſed vt illis vitam ac ſalutem, Eccleſiæque pacem, etiam morte ſua conferant; ſperantes ſibi nunquam defuturos, *Abdias, Sereptanas, Oneſephoros & Albanos*, qui, reclamantibus humanas legibus ac mortalium principum iniquis mandatis, ſeruos immortalis Dei, ac paſtores animarum ſuarum fideliter colligant, vt per eos recipiantur in æterna tabernacula, quæ à principibus huius ſeculi nec dari, nec auferri poſſunt.

Sed vt ex hoc diuerticulo, quo animi cauſa in tā luctuoſa narratione, velut ipſe in parte laborum ac miſeriarum adhuc eſſem, libenter ſum vſus, reuertar; Elizabetha, rata non eſſe ſatis ad ſuam ſuorumque ſecuritatem, ita Catholicos domi repreſſiſſe, vicinos quoq; multis anteà modis indigniſſimè læſos, nunc nouis vndique & non ferendis iniurijs laceſſandos exiſtimauit. His viginti ſex annis in ſumma pacis & amicitiæ ſimulatione, fouit illā quidem furtiuis conſilijs & auxilijs, Regum Scotiæ, Franciæ, Hiſpaniæ, omniumque gētium rebelles & hæreticos; ſed iam tandem rationibus ſuis iudicauit eſſe conſultum magis, vt Catholicum maximè Regem, quē præcæ-

Conſilium periculoſum

teris metuit & odit, & cuius noua incrementa principes etiam alios ægrè ferre videbat, non iam amplius clandestinis molitionibus: sed terra mariq́ue in Hispania, Lusitania, Indijs, Insulis, ac Germaniæ inferioris ditionibus aperto marte adoriatur; viciniq́ue Belgij rebelles ciuitates, non vt priùs per interpositas personas Auraici, Nassouij, Casimiri, & melioris cõsilio ac fortuna digni Alinsonij (qui Elizabethę perniciosis dolis ac pollicitationibus inexplicabiles sibi conflauit miserias, quod paulò antè mortẽ bonus Princeps incõsolabili dolore quibusdam familiaribus suis contestatus est) tueatur, sed vt per se & subditos suos occupet, palamq́ue ac publicè in protectionem vel prædam potiùs suam accipiat. Videns enim iam tandẽ Dei optimi maximi inuicta potentia & excellentissimi Principis Parmẽsis consilio & virtute, omnes penè prouincias Belgicas vel Regiæ Maiestati reconciliatas, vel potestatem ipsius redactas, resq́ue illic rebellium ac hæreticorum indies declinare; egit diligentissimè cum Rege Christianissimo, honorifica ad illum sub specie tradendi Gaterij (quæ est supremi ordinis Anglicani tessera) instituta legatione, vt illas prouincias in extremas iam redactas calamitates in patrocinium suũ reciperet: sed sua Maiestas Christianiss. vel quia suis rebus domi tunc impedita, alienas, ne iustissimas quidem, nedũ tales curare commodè non potuerit, vel quia verè Catholicus Princeps cùm sit, æquius & honorificentius esse duxerit operam in suis hæreticis ac rebellibus castigãdis, quam

Per quos Elizabetha pacem foris turbarit.

Sollicitat Regem Galliæ contra Regem Hispaniarum.

quam in alienis contra legitimum Principem defendendis ponere; vt ciuitatum rebellium patrocinium susciperet, adduci non potuit. Vnde insignem suæ M. Christianissimæ iniuriam ab Elizabetha factam videas, quando in libello excusationis suæ profitetur se, ad Belgicarum Prouinciarum defensionem ad hoc rege maximè adductam fuisse.

Sed cum nec Galliarum Regi nec cuiquam alteri obtrudi res posset, ventum est ad Elizabetham: quæ post prolixam & frequentem in Senatu suorum deliberationem, & conciliariorum vehemẽter dissetientes sententias, quorundam audaciorum hominum temerarium amplexa iudiciũ, tandẽ desperatas illas prouincias, sibi (vt videtur) regnoque suo perniciosissimo consilio, in patrocinium susscepit; ciuitates portusque commodiores Anglo milite complet terra marique bellum Catholico Regi parat, & vt tantum monarcham iustioribus copibus adoriatur, expilat miserè cùm cæteros Angliæ subditos, tũ maximè Catholicos; quibus qualemcunque libertatem conscientiæ & impunitatẽ promittit, modò velint largiter & promptè pecuniã in hoc bellũ cõferre. Ac prouincijs his miseris, non sine iusto Dei iudicio in hæresis & peruicatiæ suæ pœnam, eum Gubernatorem primum dedit qui & patriam propriam perdidit, & istos Hollãdos ita tractare cœpit, vt ludũ iocumque dixeris Hispanicam seueritatẽ; prout huius rabies, quæ dabit, eã vt prouinciã huic homini nõ ad populi cõseruationẽ, vt prætẽditur, sed in

Elizabetha occupat Hol uladiam.

Comes Leceſtria fit Gubernator Hollandiæ.

rapinam & depopulationem cóceſſam agnoſcas.

Sed cum animaduertiſſet Elizabetha, non ſolùm ſubditos ac Senatores etiam quoſdam ſuos, eosque prudentiores, iſta & periculoſa & planè iniuſti contra Reipublicę antiquiſſimos confœderatos, vltrò illati belli conſilia non probare; verùm etiam quòd multò magis ipſa in reprehẽſionem ac temeritatis notã apud exteros incurreret: quòd fœmina cũ ſit, regnique Domina, religione quidem & armis olim nobilis, ſed non adeò magni; exteris etiam inuiſa, nec à ſuis tuta, tàm potentem mundi monarcham in rebus agendis licet pacificum & patientem, tamen omnibus ferè in bellis victorem, non prouocata, non læſa, ſola aggredi voluerit, ad tam improbabilis facti ſui defenſionem vel excuſationem ſcriptum magis improbabile varijs linguis publicauit; quod hoc axiomate, Principe quidem proteſtante digno, ſed rebus humanis perniciosiſſimo, orditur: nimirũ, *Reges Chriſtianos, ſeq́, in primis, ad factorum ſuorum quorumcunque rationem reddendam, Deo ſoli, & mortalium nulli obligari.* Cùm tamen Rex in populo Dei fuerit Saul, qui pro re malè geſta debebat ſubire iudicium Samuelis; Rex etiã Dauid eſſet, ſed rationem facti & peccati ſui reddidit Nathan; Rex Ozias, ſed ſacerdotum iudicio, pro vſurpata ſpirituali poteſtate, ſe ſubtrahere non potuit: Regina etiam Athalia huic noſtræ ſimilis, ſed à ſummo ſacerdote Ioiada meritò pro ſceleribus punita: Reges in veteri lege reliqui, ſed in cauſis ambiguis iudicii

Elizabetha libro edito rationẽ occupata Hollãdia reddit.

Reges etiam tenentur ad reddendam rationem.

iudici ac ſacerdoti qui pro tempore fuerant, diuino mandato ſubiecti. Et in noua lege Rex erat Theodoſius, ſed Ambroſio Epiſcopo ſuo commiſſæ cædis innocentium, pœnam luere oportuit: Reges denique omnes Chriſtiani, ſunt oues Chriſti; & proinde Paſtoribꝫ & præpoſitis ſuis, qui reddituri ſunt rationem *Deo* pro ipſorum animabus, obedire & ſubiacere tenentur: Eccleſiæ filij ſunt, ſi Catholici ſunt, ſubiecti Eccleſiæ ſunt, etiã ſi non ſunt Catholici, & proinde niſi velint pro Ethnicis haberi & à ſuis etiam ſubditis vitari, Eccleſiæ, iniuſtorum bellorum & reliquæ apertæ iniquitatis rationem reddere debent; poſtremò & maiores Elizabethæ, cùm Reipublicæ probarentur fuiſſe pernicioſi, ac Catholicæ Religionis hoſtes, coacti ſunt rei malè & perperam adminiſtratæ, Regni ordinibus rationem reddere. Iã, verò illo falſo poſito principio, vltro ac gratis huius ſuſcepti à ſe belli ac prouinciarum patrocinij, huiuſmodi ferè cauſas affert Antiquiſſimam fuiſſe confœderationẽ & neceſſitudinem inter maiores ſuos, Reges Angliæ, Duces & prouincias domus Burgundicæ mutuaque non modo commercia inter vtrũque populum cõmodiſſima ſemper interceſſiſſe; ſed auxilia etiam mutua, ſiue ciuilibus ſiue externis bellis laborãtibus, perpetuò fuiſſe vtrinque ſuppeditata; vt propterea tã vicinis tãq; ſibi adamatis, veteriq; fœdere ac neceſſitudine cõuictis, & crudelibus Hiſpanorũ armis oppreſſis, ac nõ modò ãtiquis iuribus ac priuilegijs ſpoliatis, ſed ad internecionẽ prope deletis, pro Chriſtiana charitate ſe

Cauſæ occupatæ Hollãdiæ.

non posse non succurrere dicat, nec vellead intœpto ipsorumque defensione desistere, quousque pristinis libertatibus, commerciorum vsui solito & optatæ paci expulsis Hispanis (de quorum vicinitate se admodum etiam rebus suis timere ait) prouinciæ planè restituantur. Hæc verè varijs in Regem Catholicum & in eius non ita pridem in Anglia Oratorem illustrissimum Bernardinũ Mendozium sparsa conuitijs , in illo Elizabethæ libello continentur : quæ à prudentibus virtutalia iudicata sunt, vt priorem iniustitiam nõ tàm excusare quàm prodere; non defenderet, sed iniuriam iniuria cumulare videantur.

1. *Cõtradictio in factis & verbis Elizabethæ.*

Mirantur enim omnes, prætextu fœderis cum domo Burgundica, rebellantem plebem contra legitimum dominum suum, eiusdem Burgundicæ familiæ principem & hæredem ab Elizabetha defendi ; non ferendum existimant vt illa se vindicem alienæ libertatis cõstituat, quæ domi contra fas, ius & iuramentum suum, tam clero quàm populo Catholico sibi subdito, à primis principibus ac Apostolis concessa priuilegia ac conscientiæ veram libertatem iniquissimè sustulit; miserabilique animorum ac corporum plusquam Aegyptiaca seruitute omnes sibi subiectos opprimit. Id etiam perridiculum videtur, vel à Philippo , prouinciarum antiqua priuilegia & libertates violari ; vel dominij in populum Belgicum iure eum excidere, quòd effrænem illam nouam, ac à maioribus damnatam sectarum licétiam permittere nolit, sed multò magis veteratorium est illud, istud totum

tum ab illa ad ſtabilem prouinciarum pacem procurandum & ſoluta bellis interrupta cõmercia reſtituenda ſuſcipi: cùm omnes viderant, non alio tempore iſtas in tutelam ipſius acceptas prouincias; quàm tùm, cùm nimium abfuit, vt omnes ſe verò principi ac clementiſſimo domino ſuo dedidiſſent; ac proinde non iſta moliri bonam Reginam, vt miſero populo pacem & concordiam conciliet; ſed vt bellum penè extinctum infelicibus armis reſtauret, calamitateſque ipſarum æternas reddet. Eam autem de immani in rebellibus caſtigandis Ducum aut militum Hiſpanorum ſæuitia tam flebiliter conqueri, quis non iuretur? cum ipſa propter duos tantùm in Anglia & Hybernia pro Catholicæ religionis defenſione leuiſſimos motus, eoſque ſine ſanguine aut cæde facillimè ſopitos, plus ſtragis etiam in eos qui ex pacta cum ducibus venia ſe dediderunt, ediderit; quàm in Flandria, Brabantia pænè vniuerſa aliquot annorum grauiſſimo bello clementiſſimo domino ſuo ſubiuganda, factam vidimus; vbi benigniſſimus Princeps Parmenſis & naturæ ſuæ bonitate, & Regis voluntate, tam incomparabili in victos vſus eſt miſericordia; vt & ſingulis pænè parcitum ſit de vita, & varijs vrbibus condonata mulcta pecuniaria, nec vlla omninò, militum (licet optimè in illo bello meritorum) prædæ aut direptioni tradita. Cur nolit autem Elizabetha Catholicum pacificumque Philippum, vel ipſius militem, ſi quis alius hodiè diſciplinæ caſtrenſis obſeruantiſſimum habere, ſi propinquum, neſcio, certè

8.

3. *Ridicula Elizabethæ querela de Hiſpanorũ crudelitate.*

si Elizabethæ vicinitas non plus damni & turbarum adiacentibus vndique prouincijs attulisset, non ita hoc tempore laboraremus; & sæpè quidem ille istam, varijs iniurijs ipsum irritantem, Christiani Regis dignissimo exemplo, beneficij ac benignitate priùs placare, quàm armis repellere studuit. Denique illam totã de illustrissimi Bernardini Mendosij malis in Rempublicam Anglicanã officijs querimoniam, propter nescio quæ quorundam Catholicorum cum ipso communicata consilia, minimè omnium decere illam iudicatum est; cuius Oratores hoc, toto dominatus sui tempore, id vel solùm, vel sanè in primis egerũt, in omnibus vicinis prouincijs, vt seditiones subditorum contra Reges ac Prælatos, vel excitarent vel fouerent. Id enim in primis Gallicis tumultibus Nicolaus Throgmortonus, & postea Franciscus Vvalsingamus, & cæteri in Francia; id Randallus in Scotia, id Vvilsonus in Flandria, id reliqui vbiuis locorũ proprio hæreticorum more & instituto, temper fecerunt. Atque sic quidem de istius Reginæ tàm factis quàm scriptis homines tum differebant. Sed quidquid alij sentiant, parum hic illa sollicita; se consolatur in simili belli (ve gloriatur) recordatione, quod in eijciendis Gallorum è Scotia præsidijs, feliciter in Regni sui primis auspicijs sibi suisque succesſit; sed quàm faustè paulò pòst in non dissimili pro hæreticis suscepto bello apud Neoportũ in Normannia rem gesserit; & alij probè meminerunt, & ipsa prę cæteris obliuisci nec debet nec potest; Nam & tum Christianissimi Re-

Oratores Elizabethæ quid sunt moliti.

Sicut Catholicum nunc, sic ante Christianissimum luſit Regem.

Regis vrbes intercepit,& scripto consimili ad facti sui excusationem edito, eadem oratione vsa est: nempe, se non contra fratrem suum Galliarum regem quicquam moliri, nec illa quæ tenebat loca aut ipsi surripere, aut sibi vendicare; sed amicitiæ & vicinitatis causa, ea solum conseruare, donec maturioris esset ætatis,& donec à Guisianorum potestate liberatus, sui esset iuris; hanc enim familiam illustrissimam propter sereniſſimã Scotiæ Reginam primùm; deinde propter glorioſiſſimè defensam in Gallis fidem Regem & Rempublicam,singulariter exosam habet.

Vt foris rebelles fouit, sic fideles subditos odit.

Interea verò dum huius iniustissimi belli Belgici expectatur & timetur euentus.Elizabetha sibi subiectos Catholicos partim vi & crudelitate ne impediant, terret;partim artificio adducit: omnibus, (qui partes suas contra externorum quorumcunque aut quacunque de causa sibi bellum inferẽtium impetus strenuè tueri velint)promissa conscientiæ qualicunque libertate, & à solitis grauaminbus aliquanto leuamine. Quod non solùm ijs qui domi sunt,sed per ministros suos etiam in exilio degentibus Catholicis,si illa lege reuerti velint, pollicetur: idque cum alijs multis, tũ maximè certis nobilib.in Catholici Regis castris, sub excellentissimo Principe Parmensi militibus, peculiaribus suo nomine ad ipsos scriptis literis significari madauit.Interim emissarios suos in omnes prouincias amandat, vt vbique istud spargant apud exteros: Angliæ Reginam nõ esse in suos tam iniquam, vt à mul-

Ars Elizabetha in placandis suis quos læserat.

à multis existimatur; neque adeò qua quisque in fide sit sententia esse sollicitam, modò de Catholicis certa & secura esse possit, quòd patriam suam externis prodere nolint, nec ipsam in vllo, ne pro religione quidem illato bello deserere.

Aliquot placat alios plectit.

Sed eodem tempore quo ista ita tractantur contrario consilio multos vndique sacerdotes his proximis mensibus interceptos, in carceres rapiunt; non ob aliam causam, quâ quod contra nouum parlamenti decretum in Insula vel manserint, vel in eam post exilij sententiam redierint. In quibus Eboraci, Hugo Tailerus & Marmaducus Bous glorioſa morte inter Latrones mulctãtur: ille, quod presbyter esset; iste, quòd eundem in domum receptum, prandio donauerit. Paulò etiam post Londini Edouardus Transamus, sacerdos, insigni zelo & pietate, & gratia verbi præditus, & similis meriti atque constantiæ compresbyter suus Vvodsinus nomine, pretiosissima morte & confessione Deum glorificauerunt; quibus extraxerunt adhuc semiuiuis viscera, & membratim dissecta morticinia volatilibus cœli escam dederunt: nam Catholicos Laicos solo suspendio; (quod est illic latronum & homicidarum supplicium) sacerdotes verò ac religiosos etiã euiscerationem, membrorum dissectione, & in publicis locis aſſixione tollere solent.

Martyria.

Sed de his dulcissimæ patriç meæ calamitatibus nõ licet plura hoc tẽpore dicere; gentis potiùs olim religiosissimæ miserã, conuenit deplorare fortunam; adeoq; homines ex hac barba-

barbara & bruta hæresi immutatos, vt cum omni religione etiá humanitatis sensum exuisse videantur. quodque cùm priscis temporibus patrumque etiam nostrorum memoria sacris Episcoporum, presbyterorum ac religiosorum personis tam insignem veneration em semper exhibuerint, *vt vbicunque* (inquit venerabilis Beda) *clericus aut monachus adueniret, gaudenter ab omnibus tanquam Dei famulus exciperetur; & si itinere pergens inueniretur, accurrebant omnes, & flexa ceruice, vel manu signari vel verbis illius se benedici gaudebant*; eo (inquam) nunc res nostræ sint prolapsæ, vt ijs in perdita gente nostra, non solũ nullus tribuatur honor, sed quòd nec illic viuere aut esse liceat; quodque eorum conditio sit furum, latronum, homicidarum, perduellium ac quorumuis sceleratissimorum hominum fortè longè intolerabilior; eò miseros Britannos meos perduxit impia hæresis, & Ecclesiasticæ communionis disrupta societas. Igitur de hac laica & fœminea prælatura Ecclesiastica, quantasque turbas mundo dederit, pro ratione huius instituti compendij, sit scriptum satis; si plura deinceps mala ac monstra orbi pariat, id in posterum non tacebitur.

Hist. Angl. lib. 3. c. 26.

FINIS.

RERVM PRO RELIGIONE CATHOLICA AC IN TVRRI Londinensi gestarum.

Ab Anno Domini 1580. ad Annum vsque 1585. Indiculus seu diarium.

Ab eo obseruatum atque collectum qui toto illo tempore captiuus interfuit.

PRÆFATIO.

Carceres Londinenses & eorum nomina.

PRæter eos carceres in ciuitate Londinensi, qui alios in vsus reseruantur (cuiusmodi est Ludgatum honestioribus tantum ciuibus ob debita assignatum) vndecim sunt omnibus publici & capaces; in quos, omnis ferè generis, sexus & ætatis homines, his diebus ob fidei Catholicæ confessionem conijciuntur. horum nomina sunt, porta Vestmonasteriensis, Flitum, Neugatum, Briduelum, Contoni duo, Bancus regius, Muriscalcaum, Virlioni, Clincum, & Turris siue Castrum. In quorum postremo, cùm ipse singulari Dei beneficio, eo solo nomine quòd Ecclesiæ Catholicæ sacerdos essem, quatuor annis & amplius detentus fuerim, variasque rerum, temporum, afflictionum vicissitudines subierim, mortis sententiam tandem acceperim (quam tamen postea exilio commutarunt) existimaui, rem me facturum non inutilem, nec à Dei gloria seruitioque alienam, si quæ præsens in illo carcere notaueram, per dies distincta, literis traderem. Hinc enim Christianus lector, cõparatione

paratione facta vnius huius carceris cum reliquis decem illius ciuitatis; & illorum deinde, cùm cæteris omnibus quæ sunt in vniuersa Anglia; quatuor etiam annorum, quibus hæc contigerunt, cum viginti & septem quibus Elizabetha regnauit: coniecturam facilè inire poterit, quot & quanta Catholici pro fide in illo regno passi sint & patiantur. *Huius Diaconi.*

Vt autem res melius intelligatur, sciendum est illud huic carceri quem Turrim appellant, præ cæteris esse peculiare, vt captiuus quisque suum habeat cubiculum seu carcerē proprium, proprium que custodem, qui illum obserratum semper teneat, cæterorum que à conspectu & colloquio arceat, omneque cōmercium tam per literas, quàm per nuncios intercludat. Ex hoc deinde cubiculo ad alia loca omnia educitur, siue supplicia adeunda sunt (quæ varijs temporibus pro persecutorū libidine Catholicis infliguntur) siue vt examinetur aut quæstioni subijciatur. *Quæ sint peculiaria Turris Londinensis.*

Suppliciorum autē, siue afflictionum particularium, quæ modo huic, modo illi adhibentur, septem in hoc carcere numerātur genera: quorum primum est, Lacus siue spelunca quędam subterranea, viginti pedum altitudine profunda, sine lumine. Secundum est cubiculum quoddam seu antrum arctissimum vix hominem erectum capiens, quod ab exigua requie quam præstat, Litilesium appellarunt. Tertium est equuleus, quo, machinis quibusdam rotisque ligneis, hominis membra in diuersa distrahuntur. Quartum vocant Scauingeri filiam, ab inuentore opinor deducto *Septem supplicíorum genera.*

1.

2.

3.

4.

cto nomine; constat autem ex circulo ferreo, qui manus pedesque & caput in vnum orbem compingit. Quintum est ferrearum chirothecarum, quibus manus grauissimo cruciatu 5. inuoluuntur. Sextum est vinculorum quæ brachijs gestantur. 6. Septimum denique Compedum ferreorum qui aptantur pedibus. his 7. cognitis facilè intelligentur cætera quæ in Diario sequuntur.

Admonitio. Illud tantùm admonendum est me hoc in diculo ea solùm complexum esse, quæ religionis causa, Catholicis inflicta fuerunt; quæque ad meam notitiam, (qui separatim à cæteris custodiebar) peruenire potuerunt; cætera suo tempore ab alijs annotata prodibit. Interim Christiane lector, hæc pauca sufficiant ad charitatem tuam excitandam, vt pro patria nostra tam afflicta Deum roges. Vale.

DIARIVM

DIARIVM RERVM GESTARVM IN TVRRI LONDINENSI.

Anno Domini 1580.

Mens. die.

Iun. 15. Gvlielmus Tiruitus, clarissimi viri Roberti Tiruiti equitis aurati filius primogenitus, religionis Catholicæ causa comprehensus, quòd in sororis nuptijs missā audiuisse diceretur, in turrim coniectus est.

8. Robertus Tiruitus Gulielmi frater, eadem de causa captus; & licet vehemēter ægrotaret, nullatamen intercessione aut fidei sponsione obtinere potuit, vt in turrim non conijceretur, vnde paulò pòst mortuus est.

19. Erant hoc ipso tempore in hoc eodem carcere Hiberni proceres Catholici Archiepiscopus Armacanus, Comites Kildarēsis, & Clanricardēsis, Baro Deluinus, Nugetus item, Meuusq; nobiles.

Decemb. 5. Rodolphus Ceruinus, Thomas Cotomus, Robertus Ionsonius, Lucas Kirbæus presbyteri, Nicolaus etiam Roscarocus, & Henricus Ortonus laici nobiles, ex alijs carceribus in Turrim perducti.

10. Thomas Cotamus & Lucas Kirbæus presbyteri, Scauingeri filiam ad vnam horam & amplius passi; ex quo prior copiosum sanguinem è naribus emisit.

Mens. Rodolphus Ceruinus, & Robertus Tonsonus
die. presbyt. equulei tormento grauissimè vexati
15. Rodolphus Ceruinus iterum equuleo subiectus
16. Ioannes Posgrauius Soc. Iesu & Ioan. Hartsi
19. presbyteri, Ioan. etiam Paschalis nobilis laicus
29. ex aliis carceribus in hunc commutantur.
31 Idem Ioannes Hartus postquam dies quinq.
in terra decubuisset, ad equulei cruciatum re-
ductus est, idem factum Henrico Ortono.

Ian. Anno Domini 1581.

3. Christophorus Tomsonus presbyter grauis.
Turrim deductus, eodem ipso die equuleo subie-
ctus est.

14 Nicolaus Roscarocus nobilis laicus equu-
leo tortus.

15 Ioan. Paschalis & Harramus Steuenus laï-
cus tormentorum metu adducti, vt in publico
conuentu; nonnulla contra fidem profiterentur
& nominatim se hæreticorum sacra adire velle
in sequente die ad aliorum allectationem libere
dimittuntur.

16. Eodem die eodemq; in conuentu, Odoenus Hol-
tonus Turris præfectus, cum nos militum vi, ad
ecclesiam pertraxisset, publicè protestatus est
se neminem in suo castro habere, qui libenter ec-
clesiam protestantum non adiret.

29. Ioannes Nicolaus minister antea Caluini-
nus, postea fictè Catholicus Roma rediens, vbi
se offerens ab hæreticis capitur & in Turrim re-
ijcitur, ad quem ministri statim tanquam ad
eo argumentis acturi, accedunt; ille autem ad
diem statutum fidem Romanam abiurat, & de-
cionatoris munus contra nos assumit, liberq; sta-
tim dimittitur.

Idem

Idem Nicolaus Suggestum cõscendit, in Rom. Pontif. (cuius expensis se aliquot annis Romæ vixisse iactitabat) inuecturus, oēs captiui ad eũ audiendum vi pertrahebantur, quem tamen debachantem aliquoties interruperunt, & finita concione communibus vocibus exagitatum, exploserunt. Mens. die. Feb. 5.

Atque ab hoc tempore ad festum vsque Pentecostes sequentis, singulis Dominicis ac festis diebus, custodum nostrorum ac militum manibus, abrepti fuimus ad conciones hæreticas, quæ à ministris ad hoc designatis fiebant, audiendas, quos semper è suggestu descentes præsente populo, mendaciorum conuincebamus, & ad disputationem prouocabamus, exclamante interim & cornẽta minitante Hoptono præfecto, ni taceremus. 8.

Thomas Bruscous laicus collegij Romani pauli ante alumnus, in porta captus & ad Turrim adductus in lacu ad menses 5. detinetur. 10.

Georg. Duttonus laicus ex alio carcere in Turrim prolatus cruciatuum metu post 46 dies hæreticorum pestilatis ex parte consensit, vt adiret eorum sacra, licet apertè profiteretur, se ipsorum communionem nunquã accepturum, ea tamen conditione libertate donatur.

Ioan. Nicolaus iterum parata concione inuectiua, pulpitum conscendit, cuius honestandi causa nonnulli proceres alíq; nobiles aulici, affuerunt, sed ille tam inepte se gessit, vt eos puduerit & Cotamus presbyter miratus tantam libertate, grauissimè eos officij sui admonuit, qua re mortis suæ, deinde accelerandæ causa fuisse putatur. Nicolaum tamen omnes ex eo die contempserunt. Mart. 19.

Post Nicolaum diuersi ministri varijs temporibus admissi fuerunt, qui nobis vicissitudine quadam co- 20.

Mens. die. ram conuiciarentur, singulis enim concionibus dum persuadere nobis volebant, seditiosos, rebelles idololatras, ac perduelles appellabant.

27. Alexander Briantus presb. ex alio carcere vbi siti ferè enectus fuerat, in turrim conijcitur, compedibusq; grauissimis per duos dies oneratur. Tunc aciculi acutissimi sub vngues ei immissi fuerunt vt confiteretur quo in loco P. Personium vidisset, quod fateri tamen constantissime recusauit.

6. Idem Briantus in lacum conijcitur, in quo post octo dies retractus est ad Equuleum, quem passus est omniū grauiss. hoc ipso die semel, & altero bis; ex ipsius tamen ore post (paulò ante martyr.) audiui, se nihil quicquam doloris sensisse in vltima hac corporis sui distensione. cum maximè sæuirent tortores, vt ingentes ei afflictiones inferrent.

Iul. 14. Ioannes Paynus presbyter, proditione cuiusdam Elioti, quem illi plurimis beneficijs affecerat, capitur, eadem etiam die Ioannes Shirtus & Georgius Godsaluus presbyteri comprehensi omnes in turrim conijciuntur.

22. Edmundus Campianus Societatis Iesu presbyter, eiusdem Elioti proditione captus, magna celebritate ad turrim perducitur, inscriptus hac maiusculis literis in galero posita, Campianus Iesuita seditiosus.

22. Vnà cum Campiano perducti sunt ad eundem carcerem Thomas Fordus Gulielmus Filbeus, Ioannes Conlintonus presbyteri, Edouardus etiam Yatus, Edouardus Kaines, Ioannes Cottonus, Gulielmus Hildesleus, Homfredus Kaines, Philippus Lous, Ioannes Iacobus nobiles Laici, & de-

nique Gulielmus Valbinus, & Ioannes Manfel- Mens.
las, inferioris conditionis homines Catholici, qui die.
Campiani concionibus interfuerant.

Gulielmus Hartlæus presbyter, & vna cum eo, Aug.
Ioannes Stonerus & Stephanus Brinklerus nobi- 13.
les Laici: quatuor etiam famuli, librorum im-
pressores, Ioannes Harrisius, Ioannes Harreus,
Ioannes Tukerus & Ioannes Comptonus, vnà cū
prædo comprehensi, in domo clarissimæ fœminæ
Dominæ de Stonar, in turrim perducti fuerunt;
quorum postremus natura timidior, cum carce- 13.
ris custos educto gladiolo mortem ei minaretur,
nisi Ecclesiam hereticam aditurum se promit-
teret, cessit, & ea ratione libertatem obtinuit.

Thomas Poundus nobilis Laicus insignis con- 31.
fessor, qui multos annos propter fidei confessionē
in alijs carceribus vitam egerat, ad turrim dedu-
citur.

Campianus bis clam equuleo tortus, vnà cùm 31.
presbyteris concaptiuus & Laicis Catholicis, im-
paratus omninò producitur ad disputandum cū
hæreticis, in publico castri sacello; ea conditione.
vt nullum argumentum ipse pro fide Catholica
adduceret, sed responderet antummodò mini-
strisimpugnantibus.

Habitæ sunt postea aliæ cùm Campiano disputa-
tiones bis opinor ceu ter, postulantibus ita pro-
ceribus sed priuatim omnino, & non publicè vt
antea: eò quod non parum suæ causæ nocuisse pri-
mas illas disputationes hæretici intellexerant.

Edmundus Campianus tertio equuleo torquē- Octob.
tur post disputationes, hocq; omnium grauissimè. 31.

Ioannes Fayrus presbyter eiusdem equulei 31.
cruciatu vehementissimè exagitatus.

Mens. Edmundus Campianus, Rodolphus Ceruinus,
die. Thomas Cotamus, Robertus Ionsonus, Lucas Chir-
No. bæus, Iacobus Bosgrauius, Edouardus Rishtonus,
14. presbyteri, & Henricus Ortonus Laicus, ad tri-
bunal Regium sistuntur, & conceptis verbis de
multorum criminum fictis capitibus accusantur,
nulla alia defensionis potestate facta, quàm vt
vno verbo vel reos vel non reos se esse dicerent.

16. Thomas Fordus, Alexander Briantus, Ioannes
Shertus, Gulielmus Filbæus, Laurentius Richar-
sonus, Ioannes Colintonus, Ioannes Hartus pres-
byteri, eodem planè modò iudicibus præsentati, in
carceres reducuntur.

20. Edmundus Campianus cum prædictis septem
socijs iterum ad iudicium perductus, licet nun-
quam antea se inuicem cognouissent, nec vnquā
omnes in eodē se loco vidissent; de eisdem tamen
conspirationum criminibus, qui eodem in loco
demq; tempore facta fuisse fingebantur, subor-
natis testibus omnes condemnabantur, mortisq;
sententiam acceperunt.

21. Postero die Thomas Fordus cum omnibus so-
cijs (excepto Colintono) eodem modo morti fu-
runt adiudicati. Colintonus verò cùm esset con-
demnandus, nobilis quidam in Anglia illum
vidisse testabatur eodem illo tempore quo hæc
conspiratio Romæ & Rhemis facta dicebatur; qui
testimonio iudex coactus est mortis cum senten-
tia liberare, licet contra omnem iudicij Anglici
formam, eundem iterum carceribus mancipandum adiudicauerit.

21. Poterant alij nonnulli idem pro se, quod Co-
lintonus, dixisse; præsertim Fordus, quia diutius
in Anglia quam Colintonus fuerat, sed noluerunt
homi-

homines, Dei martyrium suum impedire. Mens.

Gulielmum Filbæum ad mortem condemnatum, quòd hilarior ac constantior videretur, manicis ferreis, ad diem vsq; transitus afflixerunt. die. 21.

Alexandro vero Brianto, quòd coronam sibi secretò rasisset, vt more sacerdotis compareret in iudicio crucemq; ligneam sibi composuisset, quàm secum palam ad iudicium ferret, post condemnationem, compedes ferreos ad biduum iniecerunt.

Edmundus Campianus Societatis Iesu, Rodolphus Ceruinus Collegij Romani, Alexander Briantus Seminarij Rhemensis, presbyteri, Reginæ iussu è Turri educti, & vimineis cratibus ad patibulum pertracti, glorioso martyrio vitam finierunt. Dec. 1.

Anno Domini 1582. Ian.

Ioanes Hartus presbyter quod ne post condēnationem hæreticis vlla in re accommodare se vellet, in Lacum dimissus est ad nouem dies. 11. 23.

Edouardus Yatus nobilis laicus, qui cum Cāpiano captus fuerat, è turri in alium carcerē dimittitur.

Georgius Haddocus & Arturus Pittus presbyteri comprehēsi, quorum posterior in lacum cōiectus est ad quinque dies. Febr. 7.

Antonius Fugatius Lusitanus nobilis, insignis pro fide Catholica zelator post duorum annorum incarcerationem & grauissimos equulei toleratos cruciatus, cùm morti esset propinquus. (senexenim erat & tormentis diffractus) lectica clam emissus, paucissimis post diebus animam Christo reddidit. Mar. 5. 22.

Robertus Coplæus laicus, in lacum ad dies 7. constitutus.

Mens. die. 30. 31. *Ioannes Paynus presbyter iudicibus exhibitus, & postero item die mendaciſsima quadam criminatione conuictus, quod Reginam occidere voluiſſet, mortis damnationem accepit.*

April. 2. *Ioannes Paynus presbyter Londino eductus præclaro martyrio coronatur.*

7. *Gulielmus Hildesleus laicus fidei iuſſoribus datis è carcere dimittitur.*

Eiſdem ferè conditionibus, Ioannes Stonerus & Ioannes Cottonus nobiles laici liberantur.

Thomas Alfildus presbyter capitur.

29. *Lucas Kirbæus, & Thomas Fordus presbyteri ad mortem condemnati, dum mortem expectant, compedibus ferreis per triginta dies vinciuntur.*

Maij. 19. *Stephanus Rauſamus presbyter, & Thomas Burnus laicus, comprehenduntur & in Turrim adducuntur.*

2. *Thomas Fordus, Ioannes Shirtus & Robertus Ionſonus presbyteri martyrio afficiuntur.*

30. *Gulielmus Filbæus, Lucas Kirbæus, Laurentius Richardſonus, & Thomas Cottamus presbyteri eandem martyrij palmam morte conſecuti ſunt.*

Iul. 19. *Gulielmus Corterus laicus, librorum impreſſor poſt aliquot annorum afflictiones in alijs carceribus, in Turrim deducitur.*

23. *Richardus Slackus presbyter capitur, & compedibus per dies 23. oneratur. deinde in lacum*

Aug. *ad duos menſes compingitur.*

14. *Ioannes Getterus iuuenis laicus, ex Gallia diens capitur.*

Stephanus Rauſamus presbyter in Litileſium com-

compingitur, vbi manſit decem & octo menſibus ac diebus 13. Menſ. die.

Prædictus Ioannes Getterus poſtquam Scauingeri filia cruciatus fuiſſet, in lacum ad dies octo demittitur, deinde eductus ad Equuleum, grauiſſimè torquetur ad deliquium ferè animæ, in quo ſummo cruciatu cùm iam animam efflaturus videbatur, inſigni vultus lætitia Ieſu nomen inuocabat & tortoribus illudebat. Sept. 1.

Gulielmus Hartleius presbyter, & Ioannes Iacobus, Ioannes Haruæus, Ioannes Harriſius, & Ioannes Tukerus laici ex Turri in alios carceres dimittuntur. 16.

Rodolphus Letherborus mercator, Rothmago veniens, propter fidem in Turrim conijcitur. 20.

Ioannes Hartus presbyter ad mortem condēnatus viginti dierum compedibus caſtigatur, eò quòd cuidam Reinaldo miniſtro cōſentire nollet. Decemb. 1.

Anno Domini 1583.

Ioannes Mundinus presbyter capitur & compedibus ferreis ad dies viginti ſtringitur. Febr. 16.

Ioannes Hartus prædictus propter eandem offenſionem per quadraginta quatuor dies in lacum conijcitur. Iun. 19.

Stephanus Brinklæus nobilis laicus, interceſſione amicorum & fide iuſſoribus datis, poſt duorū annorum incarcerationem dimittitur. 24.

Ioannes Someuilus nobilis laicus Edouardi Ardeni clari viri gener, cùm eſſet catholicus, ea crimination in Turrim conijcitur, quòd animū habuiſſet occidendi Reginam. Octob. 30.

Hugo Hallus presbyter Someruili confeſſarius, triduo poſt & idem Edouardus. Nouemb. 4.

Ardeus Socer eadē de cauſa cōprehenduntur. 7.

Mens. die. Franciscus Trogmortonus præclarissimarum dotum iuuenis, & Ioannis Throgmotoni Equitis aurati primogenitus, accusatus quòd pro Regina Scotiæ nonnulla tractasset comprehenditur, & primo die in Litilesio custodiebatur.

16. Maria Ardena, & Margarita eiusdem filia, vxores prænominatorum Edouardi Ardeni & Ioannis Someruili; Elizabetha etiam Someruila virgo, soror germana eiusdem Ioannis, in Turrim conjiciuntur.

17. Georg. Trogmortonus prædicti Domini Francisci frater comprehenditur.

23. D. Franciscus Trogmortonus Equuleo grauissimè torquetur & eodem die in lacum dimittitur, eodem etiam die D. Edouardus Ardenus eidem Equulei cruciatui subijcitur.

24. Hugo Hallus presbyter Equuleo etiam torquetur.

Decemb. 2. D. Franciscus Trogmortonus iterum Equuleo subijcitur bis eodem die.

16. D. Edouardus Ardenus & Ioannes Someruilus, nobiles laici, Hugo Hallus presbyter. Maria etiam Ardena Edouardi vxor, ad mortem condemnantur.

22. Ioannes Someruilus cùm vix sanè mentis esset, è turri in alium carcerem traducitur, nocteq; sequenti in carcere strangulatus inuentus est an à se vel ab alijs, non ita constat.

26. D. Edouardus Ardenus ad patibulum eductus, suspendio interemptus est, protestatus se innocentissimum esse in ijs omnibus quorum insimulabatur, præterquam quatenus religionis Catholicæ professio crimen esset.

Anno

Anno Domini 1584.

	Mens. die.
Gulielm. Carterus laicus ob libri Catholici impressionem martyrio affectus.	Ian. 11.
Guliel. Shelleius vir clarus & nobilis, Geruasius item Perpointus nobilis ad Turrim perducti.	18.
Robertus Nutterus presbyter capitur, & post biduum in lacum ad dies 47. coniectus, compedes ad dies 43. gessit, die autem quarto & sexto post apprehensionem Schauingeri filiam bis passus est.	Febr. 2. 3.
Georg. Haddocus, Ioannes Mundinus, Iacobus Fennus, Thomas Hemerfordus, & Ioannes Nutterus presbyteri, sententiam mortis acceperunt, quorum posteriores tres in lacu post condemnationem ad dies sex compedebus ferreis oneratiiacuerunt quousque omnes martyrio afficerentur.	Mar. 4. 5. 10.
Thomas Steuensonus presbyter comprehenditur & humi cubans sine lecto dies 27. compedes etiam gessit ad dies 39.	13.
Georgius Godsaluus, & Stephanus Rausamus presbyteri ex Turri in alios carceres mittuntur.	15.
Gulielmus Brumlumnus & Franciscus Ardenus nobiles laici capiuntur.	22.
D. Franciscus Trogmortonus nobilis laicus, morte afficitur, eodem ipso die sparso contra illum per hæreticos ignominioso libello.	23. Iun. 10.
Thomas Laytonus nobilis laicus capitur, in ac lacum traducitur.	13.
Thomas Vorthingtonus presbyter capitur, & in lacu detinetur ad menses duos, dies tres.	19.
Thomas Barnus presbyter comprehensus.	Aug.
Guliel. Apricius nobilis laicus, in Turrim conijcitur, & statim post in lacum ad dies 23.	24. 27.

Gerad.

Mens. die. Sep. 13. 16. Gervasius Perpointus nobilis laicus fide iussoribus datis dimittitur, sed mense sequente iterũ comprehenditur.

Gulielmus Critonus societatis Iesu, & Patricius, Abdæus Presbyter Scoti, cùm in Scotiam proficiscerentur, contra omne ius gentium ex mari in Angliam trahuntur ad carceres.

24. Gulielmus Apricius iterum in lacum conjicitur ad dies 48.

Oct. 26. Gulielmus Cramlummus in lacũ traditur ad menses duos, dies verò 24.

Nou. 10. Robertus Nutterus iterum in lacum compingintur mensibus duobus & diebus 14.

Anno Domini 1585.

Iun. 4. Patricius Addæus presbyter Scotus in lacum dimittitur ad dies 40. item fit Gulielmo Cramlummo iterum ad dies 7.

7. 21. Gaspar Haynodus, Iacobus Bosgrauius & Ioannes Hartus Soc. Iesu presb. Christophorus etiam Tonsonus Arturus Bittus, Robertus Nutterus, Thomas Steuensonus, Sichard Slackus, Thomas Barnus, Thomas Vorthingtonus, decẽq; alij sacerdotes, & vnus laicus (eramus enim numero viginti & vnus) cùm nihil tale expectaremus præcepto Reginæ in naum impositi, inniti planè in littus Normanniæum eiecti fuimus, & non longè post quinquaginta alij, eodem exilij genere consecuti nos sunt, imposita nobis omnibus expressa capitis pœna, si vnquàm in patriam reverteremur.

LAVS DEO.

RELIGIO

RELIGIOSORVM ET SACERDOTVM nomina, qui pro defensione Primatus Romanæ Ecclesiæ, per martyrium consumati sunt, sub Henrico 8. Angliæ Rege, præter laicos & quamplurimos alios; qui pro eadem causa bello & alijs modis sublati sunt.

Ioannes Roffensis Cardinalis.
Abbas Barlinghensis. Abbas Colcestrensis.
Abbas Fontanensis. Abbas Glasconiensis.
Abbas Geruiensis. Abbas Riuerius.
Abbas Redingensis. Abbas Saulensis.
Abbas VVhallensis.
Edouardus Bochingus.
Ioannes Deringus. Hugo Richæus.
Richardus Risheus Richardus Malterus.
Henricus Goldus.
Augustinus VVebsterus Prior Carthusianus.
Robertus Laurentius Prior Carthusianus.
Laurentius Cochus, Prior Dancastrensis monasterij, & tres monachi, cum illo eadem de causa.
Ioannes Mayrus. D. Reginaldus.
Haylus presbyter.
Ioannes Rochesterus.
Hunfredus Middlemorus.
Gulielmus Exmeus. Iacobus VVarnettus.
Sebastianus Nudigatus.
Richardus Berus. Thomas Greenus.
Ioannes Danis. Thomas Ionsonus.
Guilelmus Grenuodus. Thomas Scriuanus.
Robertus Salteus. Gualterus Personus.
Thomas Redingus. Gulielmus Hornus.
Guilielmus Onionus. Ioannes Ruggus.
Rector Parochiæ VVandesuorti.

Anto-

Antonius Brorberus.
Thomas Belchiamus.
Thomas Cortus.
23. alij Franciscani in varios carceres coniecti vbi mortui sunt.
Ioannes Forestus..
Thomas Abelus.
Edouardus Pouellus.
Richardus Fetherstonus.
D. Larcus.
Ioannes Irelandus.
Duo sacerdotes quorum nomina non extant.

Laici.

Thomas Morus antè Cancellarius Regni.
Margareta Comitissa Sarisburiensis.
Aegidius Heronus.
Clemens Philpottus.
Germanus Gardinerus.
Ashbeus.

NOMINA PRESBYTERORVM QVI sub Elizabetha Henrici filia, pro Ecclesiæ Romanæ Primatu, glorioso martyrio consumati sunt.

Thomas Vvodosius.
Cutbertus Maynus.
Ioannes Nelsonus.
Euerardus Hanseus.
P. Edmundus Campianus
Rodolphus Ceruinus.
Alexander Briantus.
Thomas Fordus.
Ioannes Shertus.

Robertus

Robertus Ionsonius.
Gulielmus Philbeus.
Lucas Chirbæus.
Laurentius Richarsonus.
Thomas Cottamus.
Ioannes Painus.
Guliel. Laicus.
Richardus Kirckmannus
Iacobus Thomsonus.
Gulielmus Hartus.
Richardus Threlkellus.
Ioannes Mundinus.
Ioannes Nutterus.
Georgius Haddocus.
Iacobus Fennus.
Thomas Emerfordus.
Thomas Alfeldus.
Iacobus Bellus.
Edouardus Transamus.
Hugo Talerus.
Vvoodfinus.

Laici pro eadem causa martyrii.

Thomas Percius Northumbriæ Comes.
Ioannes Soreus I. Doctor.
Ioannes Feltonus Nobilis.
Thomas Sheruodus.
Iacobus Laburnus nobilis.
Ioannes Finchius.
Richardus Vitus.
Ioannes Bodeus.
Ioannes Slaidus.
Thomas Vvebleius.
Gulielmus Carterus.
Marmaducus Bous nobilis.

NOMINA EPISCOPORVM QVI in carcere vel in exilio pro eadem causa mortui sunt.

Nicolaus Hethus Archiepiscopus Eboracensis & Angliæ Cancellarius.
Edmundus Bonerus Londinensis.
Ioannes Vitus Vintonienſis.
Cuthbertus Tunſtallus Dunelmienſis.
Ogolthorpus Carliolenſis.
Richardus Cateus Vigornienſis.
Rodolphus Bainus Lichfeldenſis.
Thomas Thurlebeius Elienſis.
Ioannes Polus Petroburgenſis.
Burnus Bathonienſis.
Cuthbertus Scottus Ceſtrenſis.
Turberuilus Exonienſis.
Thomas Vatſonus Lincolnenſis.
Thomas Goldwellus Aſſaphenſis.

His addi poſſunt.

Ioannes Fecnamus Abbas Weſtmonaſterienſis.
Mauritius Chaceus Carthuſianorum Prior.
Catharina Palmera monialium S Brigittæ Prioriſſa.
Elizabetha Creſnera monialium S. Dominici Prioriſſa.
Item decem Cathedralium Eccleſiarum Decani, & totidem Archidiaconi, & infinitus penè numerus omnium ordinum, ætatum, atque ſexuum, qui domi per carceres, vel foris per exilium extincti & conſumpti ſunt.

FINIS.

INDEX RERVM PRAECIPVARVM QVAE TRIBVS HISCE NICOLAI SANDERI LIBRIS CONTINENTVR.

A.

ABbates nouem martyres. 156.173
Anglia fidem accipit * 10. dat tributum Pontifici, * 10. quã fidem sub Henrico tenuit. 11. 153 fit schismatica 74.249. reconciliatur 301. relabitur 322. magnæ ex parte adhuc est catholica 340
Arundeliæ Comes. 430
Audlæus Cancellarius. 81
Anna Cliuensis 182. quare repudiata. 185.189
Articuli sex Henrici. 151
Anna Bolena filia Henrici * 11.15.16.17.18. eius luxuria. 2. 3. incestus 18.147.148. mater & soror eius erant cõcubinæ Henrici. 17.24.36. eius descriptio. 17.18. fit Marchionissæ 83. nuptiæ eius 84.99. impedimenta earundem 20.23.32. 88. sententia Pontificis contra nuptias illas & prolem inde oriundam. 102 133. haretici nuptias has adorant vt fundamentum Euangelij sui 89. iurare coguntur optimates matrimonium & prolem esse legitima 107. accusant aliquot 178. quales habuerit Anna Cliẽtes, & quales in aulam duxerit 90.91. inuidia in Catharinã mortuam. 145. Dei vindicta in illam 147. in custodiam conijcitur 148. plectitur & quare 149. erat Lutherana 18. Henricus testatur quod non potuerit esse vxor sua 313. Thomas Bolenus fatetur non esse filiam suam 11.16 mater Annæ idem testatur 16. Maria Bolena 16. 20. Thomas Bolenus fit Baro 15. Georg. Bolenus & alij pleãtuntur propter incestum & adulterium cum Anna. 148

B.

Baconus. 321
Bernardinus Ochinus. 234

Bonuisi mercatoris Itali charitas. 269
Brianus. 17
Britanni conuertuntur ad fidem quomodo. *14

C.

Campegius legatus in Angliam 32. *Acta eius* 33. 39. 51. *reuocatur.* 56
Campianus 376 379. *capitur* 409. *martyrium subit.* 410
Cecilius. 356
Catharina nuptiæ cum Arthuro 2. *non erat cognita ab illo* 3. *cum Henrico nuptiæ* 4. *proles* 5. *eius mores.* 5. *libri contra & pro eius matrimonio* 23. 51. 61. 62. *Roffensis ea de re oratio* 50. *Mori iudicium* 24. *Pontificis sententia* 82. & 83. *Catharina quid gesserit in causa diuortij* 31. 40. 41. 45. *&c. eius aduocati qui & quales.* 49. *excluditur ab aula* 90. *Reginæ nomine priuatur* 103. *amici eius puniuntur* 104. *optat martyrium* 136. *Foresti ad illum litera* 140. *eius ad Forestum litera* 136. *Epistola eius ad regem* 144. *mors* 143. *virtutes* 143. *vide Diuortium.*
Clerus ab Henrico inuasus 79. 80. *ab Hæreticis in odium raptus* 92. *defensus à Moro* 94. *iurare contra Pontificem cogitur* 95. *sub est Cromuelo* 97. *Protectori* 228. *vide Monasteria, Visitationes, Episcopi & Sacerdotes.*
Cranmerus Romam mittitur 58. *fit Archiepiscopus* 76. *astutia eius* 76. *periuriũ* 77. *mores* 77. *sententia fert pro diuortio* 98. *eius nequitia sub Edouardo* 229. 252. *comburitur.* 291
Cromueli initia 91. *Blasphemiæ* 114. *fit Regis Vicarius* 151. *Canones facit* 152. *Regem incitat contra Catholicos* 161. 162 *eius crudelitas* 183 184. 185. *rogat legem per quã ipse plectitur.* 185. 186. 187

D.

Diuortium tentatur clam 10. 23. 26 *palam in senatu* 11. *publicè dolis* 11. 13. *largitionibus* 59. 58. 60. 70. *muneribus* 28. 35. *Romæ* 28. 29. 30. 31. *&c. iudicialiter in Anglia* 31. 34. 40. *&c. libri de eo* 23. 51. 52. *orationes* 50. 51. *urgetur à Volses*

Volsæo 52.53. *differtur à Campegio* 53. *fautores eius puniuntur* 208
Dissimulatio vide religio.
Disputationes 265.266.332
Dudleus fit Baro 226. *fœdifragus* 262. *insidiatur protectori* 261.279. *affectat regnum* 280.282.283. *scelera eius* 285. *proditor declaratur* 286. *plectitur* 287. *filij eius condonantur.* 287
Dudlai filij comites, vnus Varuicensis, alter Leceſtrensis. 287.321.445

E.

Edouardus 157. *fit Rex* 224. *caput Ecclesiæ* 224. 252. 238 *corrumpitur à Protectore* 230. *inuadit bona Ecclesiæ* 293. *ritus hæreticos instituit* 243 244. *Missam abolet* 247.248. *visitat Ecclesias* 253. *agitur de nuptijs eius* 231. *moritur* 282
Elizabetha natiuitas 105. *Baptismus* 105. *cuius filia fuit dubitatur* 105. *iuratur quod sit legitima* 107. *qui nolunt iurare in carcerem mittuntur* 107. *declaratur hæres regni* 109. *pœnitet Henricum* 150. *Mariæ de illa opinio* 313 *iurat in fidem Catholicam* 320. *vnctio eius regia* 320. *Caput Ecclesiæ* 322 323. *mutat religionem* 329. *visitat Clerum* 341. *eius festa* 344. *regimen* 356. 357. *iuramentum in primatum eius* 320.322.323. *Recusantium pœna* 322. *Pontifex mittit ad illam* 361. *Epitaphium de se ab ipsa factum* 330. *Legati eius quid faciant* 450. *Excommunicatur* 368. *Belgicis rebus se immiscet.* 378. *Ferdinãdo literæ a dillam* 300. *timet sibi ab omnibus* 419. *nõ curat religionem.* 419
Exules 268.336.436.437.438
Ethelbertus Rex recipit fidem. *14
Excommunicatio 131.132.368.
Episcopi sequuntur Henricum 108. *timidè se opponunt nouitati* 248. *coniciuntur in carcerem* 256. *priuantur dignitate* 335. *Pseudoepiscopi sub Edouardo*, 242. *quomodo sub Elizabetha creati* 348. *vxores eorum.* 351.352

F.

Fides, vide religio.
Ioan. Foresti afflictiones 139. *literæ eius.* 140. *martyr.* 164
Franciscani incarcerantur 107. 161. *martyres fiunt.* 162

G.

Gregorius Magnus Apostolus Anglorum. *10
Gulielmus Alanus præest Seminario Rhemensi 364. *eius Apologia pro Seminarijs.* 391
Gaspar Hayuodus. 412
Georgius Bolenus. 149

H.

Hæresis Anglicanæ turpe initium. 89. 152
Hæreses propagatæ per fœminas. 320
Hæretici clerum in odium rapiunt 92. *sub Edouardo prædicunt* 229. 230. *quid primo docet* 239. 240. *incerti sunt quid doceãt* 241. *eorũ officia introducta* 243. 244. 245. *statuũt de nuptijs Sadleri* 247. *visitant Ecclesias* 252. 253. *dissentiones eorum inter se* 259. 260. 263. *quomodo Rempublicam administrant* 276. *Synagogas omnium nationum Londini aperiũt* 235. *prodigia* 276. *furta* 396 *fraudes* 399. *seditiones* 155. *Pseudoprophetissa* 300. *Calendarium eorum* 282. *comburuntur ab Henrico* 165. *ab Edouardo* 263. *à Maria* 291. *eorum ritus & officia in Anglia primò* 246. *secundò* 328. *tertiò.* 243. *Clerus eorum quos gradus habet* 345. 348. *non habent donum castitatis* 350. 351. *vestitus qualis* 353. *ieiunia* 355. *Ad Concilium Tridentinum inuitantur.* 36.
Henricus quare schismaticus *11. *opponit se Pontifici* 74. 79 *de matrimonio & diuortio eius* 3. 4. 10. 13. 82. 199. 200. 84. 85. 102. *Defensor fidei* 14. *Cæcus amor eius* 21. *Excommunicatur* 102. *sæuit in Pontificem* 110. 111. *primatum vendicat* 81. *factum libris defenditur* 112. *persequitur repugnantes* 112. 113. *&c. excommunicatur* 131. 133. *Visitat monasteria & inuadit bona eorum* 137. *diruit ea* 137. *ducit Catharinam* 4. *repudiat* 98. *ducit Annam Bolenam* 83. 99. *occidit eam* 148. *proxima die ducit Ianam Seymeram* 149. *quæ à medicis iussu eius laxatur ad partum & ma-*

moritur 157. ducit Annam Cliuensem 162. 182. repudiat 185. 190. octauo die post ducit Catharinam Howardam. 190. eam occidit 193. ducit Catharinam Parram 194. eius acta contra religionem 166. 167. 173. 184. accipit nomen Regis Hiberniæ 195. Artes ad expilandum populum 203. 204. Eius amicos castigat Deus. 206. eius mores 211 mors 215. sepulchrum 216. testamentum 218. 219 soboles eius 282. mendacium, 85

Hibernia. 195

Hollandia occupata ab Elizabetha 445. & quare. 346

Hoptonus. 422. 423

I.

Iannis Nicolai confessio. 474

Ianna Buchera quare combusta. 263

L.

Laicorum potestas in spiritualibus 136. 151. 324. 325. 327

Leges contra Catholicos 109. 172. 173. 206. 237. 239. 249. 373. 382. 386. 438.

Latimerus. 230. 259

Libri scripti 267. 271. 336. 386. 428. 196

Litera. 114. 119 140. 139. 269. 416. 144

M.

Maria nascitur 5. eius educatio 6. nuptiæ expetuntur 7. sponsalia cum Delphino 7. priuatur dignitate 104. 109. iterum à patre honores ei restituuntur 213. eius constantia sub Edouardo 250. 251. insidias deuitat 282. conclamatur Regina 286. venit Londinum 288. eius nuptiæ 289. clementia 290. pietas 290. restituit religionem & loca religiosa instaurat 302. 303. 304. mittit ad Elizabetham 315. moritur 378

Martyres 106. 119. 156. 161. 175. 165. 184. 191. 192. 201. 412. 413. 440.

Maria Bolena 16. 20. 24.

Miraculum 130 375

Moringenium 24. 118. 119. fit regni Cancellarius. 58. non probat diuortium Henrici 24. 55. magistratu se abdicat 81. scribit contra Hæreticos 94. 125. incarceratur 107. e-

ius constantia 124.125.126. causam dicit & condemnatur 126. post sententiam acta eius 128. Epistola ad filiam 128. ad Bonuisum 269. martyrium 129. sepultura 129.
Monasteria visitantur 137. inuaduntur. 137. 138 172 cura vt non instaurentur 179. dispensatio de retinendis Ecclesia bonis 308. Vestmonasterij instauratio 307. aliorum 309. monastica disciplina in Anglia 175. 176. 177. Glasconiense monasterium. 175
Monachos protestantes desiderat Elizabetha 341
Missa abrogatur 245.328. mulcta audientiũ missã. 335.338
Ministri vide Hæretici.
Mors Sanderi in Hibernia Anno 1581. *12

N.

Nobiles eximuntur iuramento Primatus 331. decipiuntur ab Elizabetha 329. deserunt pastores suos 331. præda fiũt Hæreticis 419. misera nobilium Catholicorum conditio sub Elizabetha 418. Multi nobiles Catholici profitentur fidem 409. sæuitur in eos. 418

O.

Officia Ecclesiastica sub Edouardo 244. sub Elizabetha. 322.

P.

Pagettus Baro. 241.418
Parlamentum 172 mutat religionem 329. facit Episcopos 318. decernit de rebus fidei 243.246.322. de matrimonio 246
Paulus tertius. 130.131.132 157.169
P. Personius 404.377.80.109 113. & seq. 128.160.167
Persecutio 174. 183. 184. 181. 191. 201. 409. 410. 412. 436. 437. 428. 440. 452
Petrus Martyr. 234.235.290
Pontifex Romanus dispensat cum Henrico 2. eius potestas spreta 74.322.314.327. capitale est ei obedire 109. nomen Papa deletur vbique 110. acta eius in negotio diuortij 27. 28 31.55
Primatus in Anglia qualibus obtigerit. 222. 223. 230. 231
Poli integritas 59.71. scripta 113.296. legatio 158. 159. 295. 302. reconciliat Angliam 304. moritur. 313

Poynetus hæreticus. 273
Protestantes vide Hæretici.
Protector Edouardi 226.227. discordia cum fratre 259. plectitur. 280
Puritanorum secta. 376

R.

Religio quæ sub primatu Hērici 153. 154. 155. arma sumpta pro religione 155 362. sub Edouardo corrupta 232. 249. disputationes 264 265. 332 Exules 268 271. 336. 421. restituta per Mariam 293. 312. corrupta per Elizabetham 320. qualis sub Elizabetha 322 Et deinceps Catholici primo dissimulabant 342. mulcta nolentium adire Ecclesiam. 392
Religio vide monasteria.
Regina Scotiæ 231. venit in Angliam 361. 362
Roffensis fauet Catharinæ 50. 51. veneno tentatur 96 decipitur & pœnitentiam agit 97. 98 incarceratur 107. eius martyrium 111 eius merita in Rempublicam 111. scripta 121. disciplina. 121

S.

Sacerdotum cōiugia 255. proles 25. 351. vxores 352. sacerdotes Catholici mittuntur in exilium 421 437. 426. in quanto honore olim fuerint in Anglia. 453
Sadlerus duxit alterius vxorem. 247
Schismatis causa * 15. 1. apertum schisma 74 generale 249 conciliatio 302. relapsus 322. iuramentum schismaticum 320 schisma inter Mahumetanos. 1
Scholastici Doctores contempti. 234
Stephanus Gardinerus. 26
Societas IESV incipit 180. patres veniunt in Angliam 377. 379 394.
Seminaria instituta. 363. 364. 366

T.

Thomæ Cantuariensis monumenti m diripitur. 166. 167. condemnatur ad tribunal Henrici mortui. 168
Thomas Bolenus fit Baro. 35

INDEX V.

Varamus. 49.75
Vallia. 6
Volsci mores 8. *Papatum ambit* 8. 9. *Catharinam quæ exagitat* 9.10. *Legatio eius in Galliam* 15. *reditus* 15. *recedit ex gratia Henrici* 56. *exuitur bonis* 58. *eius mors.* 73
Vniuersitates corrumpuntur 232.236. 237. *visitantur* 233. *magistri eis dantur* 234. *fœminæ permittuntur in Collegijs* 235. *disputationes.* 265.266
Visitationes cleri & collegiorum. 136.233 253.256.257.310.

FINIS.

AD LECTOREM.

Amice Lector absentia translatoris, amanuensis insciti, & mala manus, ac præpropera festinatio expressionis, fecerũt vt hoc exemplar aliquantulum incorrectius prodiret. Promittimus, Deo fauente, alteram editionem castigatiorem; interim corrige sequentia hoc modo.

Errata sic corrigenda in Sandero.

PAgina 4. lin. 14. Elizabetha pag. 8 l. 29. dignitatis pag. 11. l. 15. tentandum. pag. 12. l. 10. Re pag. 14. l. 9. latæ. pag 15. l. 2. constitutos.

Errata in Appendice sic corrigenda.

PAg. 2. lin. penult. antè p. 3. l. 6. ante iam, adde ac, p. 4. l. 11. animos l. 19. impias. l. 24 metuentibus. Anglicanæ. p. 7. l. 10. diuini. p. 8. l. 10. relatas. ibid. l. 20. præclarè. p. 9. l. 23. incæcat⁹. p. 10. l. 7. verũ p. 13. l. vl. Georgius p. 18. l. 1. alius. p. 20. l. 15. qui l. 28. ipse p. 22. l. 15. mille. p. 25 25. Ciue. 27. l. 20. habitũ & tractatũ iri. p. 29. l. 3. viperæ l. 7. toxicum. p 31. l. 18. vestibus. p. 34 l. 13. dele est. ib. l. 30. Vallisolitano. p. 37. l. 16. obtestatæ. l. 24. se esse dele Et oppeterent p. 45. l. 4 eodem. p. 48. l. 8. sperarent. l. 9. iri derectum. l. 16 educatæ. p. 49 l. 3. viue. p 51. l. 12. indicatum l. 14. officium. ibid. l. 24. talî p. 52. l. 17. immensæ. p. 52. l. 2. dele. ac l. 7. duo. l. 23. perfugiẽtes. p. 58. l. 2. præstantia p. 60 l. 12. illa p. 68. l. 22. agitassent p. 68. l. 26. dele pro fide Catholica. p. 70. l. 1. constituatur p. 72. l. 6. censura & disciplina Ecclesiastica p. 73. l. 18. pertinent p. 74. l. 28. Ecclesiasticæ. p. 78. l. 20. populo p. 79. l. vlt. lore p. 84. l. vlt vocari. p. 85. l. 1. nulli p. 103. l. 12. illa p. 106. l. 29. derelictos p. 107. l. 22. imperatore p. 113 l. 9. prę-fitum p. 116. l. 7. effecit p 117. l. 19. prauis p. 118. l. 21. prosectus p. 119. l. 16. obstinatione l. 22. dele m. p. 120 l. 15. Sanctissime l. 20. erga p. 122. l. 21. ea quæ p. 124. l. 22. epulis ibid. reficientes. p. 125. l. 34. dissolutorum ibid. adde; eam fore p. 131. l. 26. habitum & affectum iri p. 132. l. 71 regina p. 113. l. 27. immitando p. 136. l. 4. indicatur p. 139. l. 9. facinorosi p. 141. l. 13. valore p. 142. l. 12. ante nos, adde, per p. 143. l. 16. marchio p. 144. l. 28. cum p. 156. l. 1 facere p. 160 l. 21. Valladolid lege Vallisolitano. l. 30. Seuillarum lege Hispalense.

n

FINIS.

R. P.

PETRI RIBADENEIRÆ SOC. IESV THEOL.

APPENDIX

Schismatis Anglicani,

IN QVA DE NONNVLLORVM Martyrijs ac de ijs rebus agitur, quæ à primæ huius NICOLAI SANDERI partis publicatione in Angliæ regno contigerunt.

OPVS *NOVVM, NVNC PRIMVM EX Hispanico summa diligentia in latinum conuersum.*

PERMISSV SVPERIORVM.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Sumptibus Petri Henningi, sub signo Cuniculi, M. D. CX.

APPROBATIO.

Præsens liber intitulatus, APPENDIX SCHISMATIS ANGLICANI à R. P. Petro Ribadeneirâ hispanicè conscriptus & nunc in Lat. conuersus, iussu meo à Docto viro Theologo reuisus & recognitus est, & nihil inuentum quod Catholicæ Religioni, aut pijs moribus aduersetur, ideò illum prælo mancipãdum iudico. Actum apud Prædicatores Coloniæ *1610.* pridiè Calend. Septemb.

Fr. Gisbertus Spechtius
Apostolicus Inquisitor.

SVM-

SVMMARIA CAPITVM APPENdicis Schismatis Anglicani.

EDictum contra Catholicos promulgatum, suadente Leceſtrię Comite, Eiuſdem mors, & aliorum quorundam Dei ſeruorum actiones. CAP. I. pag. 1

De duorum Catholicorum lapſu, deque ijs quæ Deus per eoſdem operatus fuit. CAP. II. 8

Martyrium de duobus Sacerdotibus ac totidem Catholicis Laicis in Ciuitate Oxonienſi ſumptum. CAP. III. 15

Alij nõnulli Londini Martyriũ paſſi. CA. IV. 23

Mors Franciſci Valſingami Reginæ Secretarij. CAP. V. 28

De crucib. quę in Anglia apparuerũt. CA. VI. 30

Sacerdotum nonnullorum ex Seminario Vallisolitano in Angliam ingreſſus, & actiones. CAP. VII. 34

De tribus falſis Prophetis Puritanis qui in Anglia emerſerunt. CAP. VIII. 39

Mors Chriſtophori Hattonis, Cancellarij Regij CAP. IX. 41

Edictum à Regina Elizabetha contra Sacerdotes & Catholicos promulgatum. Eorundem mortes. CAP. X. 43

Primariæ nonnullæ matronæ ob fidem Catholicam bonis, honorum inſignibus, & vita ipſa ſpoliatæ. CAP. XI. 46

Hæreticorum ſtultitia exploſa in quatuor pueris, & fratribus pro fide capiendis. CAP. XII. 55

Hæretici Anglicani Catholicis Veneficij crimen imponunt. CAP. XIII. 59

Fructus, quem ex ea perſecutione Catholici ſunt indepti, CAP. XIV. 64

Catholici in Anglia Hæreticorum Synagogas adire, & Reginam pro Eccleſiæ ſuæ capite agnoſcere nolunt. Eius rei cauſæ CAP. XV. 66

Edictum Reginæ Angliæ Caluinianam hæreſin oppugnantis, aduerſus omnes Catholicos ſui regni, quod in alios quoque Chriſtianæ Reipublicæ Principes indigniſſimas contumelias

continet; promulgatum Lōdini 29. Nouemb. Ann 1591. per Reginam. CAP. XVI. 75
Edictum Anglicanum impium, & in Deū blasphemum est CAP. XVII. 88
Bellum Gallicum, quod Regina iustissimum appellat. CAP. XVIII. 93
Seminaria Anglicana in Angliæ regno ab Anglis excitata. CAP. XIX. 99
Hæretici Anglicani Papam propter Anglorum Seminaria reprehendunt, Noui econtrà Iaponiæ Christiani eidem pro Seminarijs in suo regno excitatis, gratias agunt. CAP. XX. 108
Qui Seminaria ingrediuntur, iuramento se obstringunt, ac postea in certis rebus occupantur; Eorum requisita. CAP. XXI. 115
Animus & modus, quo Anglicani Alumni in Patriam suam reuertuntur. CAP. XXII. 117
Quomodo alumni illi in Angliam reuertantur, & quid illic agant. CAP. XXIII. 123
Edicti crudelitas contra Seminaristas & Iesuitas CAP. XXIV 127
Ipsā falsitatē esse quòd nemo in Anglia ob religionē occidatur, Edictū mēdax. CAP. XXV.
Rationes Edicti quibus asseritur neminē in Anglia ob religionem mori. CAP. XXVI. 141
Edictū istud acerbissimū, & toti Angliæ intolerabile est. CAP. XXVII. 145
Cùm Edicta hæc tàm falsa sint, cur publicentur. CAP XXVIII 151
Nonnulla huius persecutionis authoribus considerāda. CAP. XXIX. 157
Quæ Seminar. Sacerdotes ac alios Catholicos ad hoc certamen animare debeant. CAP. XXX. 161
Continuatio præcedentis Capitis, & trium causarū, quæ Martyribus animū addere debent, explicatio CAP. XXXI. 167
Causæ propter quas Deus Anglicanā illā persecutionē permittit. CAP. XXXII. 175

APPEN.

APPENDIX

Siue

LIBER QVARTVS SCISMATIS ANGLICANI:

IN QVO DE NONNVLLORVM Martyrijs, ac de ijs rebus agitur, quæ à prima Nicolai Sanderi partis publicatione in Angliæ Regno contigerunt.

EDICTVM CONTRA CATHOlicos promulgatum, suadente Lecestriæ Comite. Eiusdem mors. Et aliorum quorundam Dei seruorum actiones.

CAPVT PRIMVM.

POstquam Reginà, quique ab eius consilio sunt vniuersi à metu classis Hispanicæ aliquantisper respirauissent, illicò ad instar leonum contra eius regni Catholicos resurrexerũt: Promulgato crudelissimo confestim edicto, quo eos persequẽdi sororemq; suam & rabiem in illos effundendi, omnibus passim copia dabatur. Erat huius tã atrocis edicti primarius facilè author Ro-

bertus Dudlæus Comes Leceſtriæ, qui capitalis Catholicæ religionis & quotquot eâ profitebantur inimicus, ad eã barbariem & immanitatem euaſerat, nihil vt eum dicere puderet, cupere ſe Londinum vniuerſum sãguine Catholicorum pictum & coloratum intueri. Erat hic Ioannis Dudlæi Ducis Northũbriæ filius, cui regnante Maria propter proditionem, nouarumque rerum ſtudium, vti ferebatur, caput à ceruicibus fuit reſectum. Cuius cùm quatuor etiam filij eidem ſupplicio fuiſſent adiudicati, Mariæ tamen Reginæ clementia factum eſt, quòd vitam retinuerũt. Fuit inter hos Robertus Dudlæus, qui à dictæ Mariæ obitu tanta mox apud Reginam Elizabetham gratia & authoritate polluit, ipſe vt totius regni quaſi princeps, Pacis belliq; ſtudia ſuo pro libitu moderaretur. Erat idẽ Hollandiæ & Zelandiæ gubernator, ac totius regni generalis Capitaneus: cumque ea dignitate non contentus rerum ſummam, iam ſibi à Regina conceſſam ſpe ac animo complecteretur, ſenatu Regio difficultatem eius in priuilegij executione faciente, ipſoque adeò regni Cancellario literas ac diploma ſuper nouo officio exaratum ſigillo ſuo obſignare detrectante, tanto repentè furore Comes percitus fuit, vt in terribilem morbũ prolapſus horribili mortis genere animam exhalarit. Erant planè qui tunc dicerent eum à ſecunda ſua vxore fuiſſe interemptum, idque non contra diuini Numinis vindictam, quòd videlicet is ante primam ſuam vxorem, ac deinde ſecundę primum maritum Comitem Exeſtię

de mẽ-

de medio sustulisset. Cuius quidē mors, quòcunque demum modo homini impio & flagitijs quibuslibet obsito illata, ita Catholicos vniuersos affecit, singulari, vt eā diuinæ prouidentiæ ferrent acceptam. Cùm præsertim Tyrannus ille patre Catholico natus esset iāiam coram vniuersa hominum multitudine extremo supplicio afficiēdus, magno affectu populum exhortatus fuerit, quatenus in fide Catholica perseuerans, omnes Hæreses quæ regnum istud pessundabant execraretur; prout à nobis libro tertio huius Historiæ relatū est. Quin cùm idem Robertus non absque singulari Dei beneficio mortem cui adiudicatus erat effugisset, gratiæ sibi à Diuino Numine præstitæ prorsus oblitus, nimiaque Reginæ familiaritate corruptus, ac prospero rerum secundarum vento elatus, eo turpitudinis ac scelerum peruenit, vt suæ se Reginæ fidelem seruum probaturus, crudelissimus ac atrocissimus omnium Catholicorum eo in regno viuentium hostis fieri non dubitarit. Quam improbitatem Deus, à quo vti diximus seruatus tantoque in dignitatis gradu collocatus erat, amplius non ferens, ijs hominibus tragicum & funestum aliquod ob oculos exemplum ponere voluit, qui secundo blandientis fortunæ successu dementati, ac sui obliti, ita viuunt planè ac si Deus nec esset, nec iustum iudicium exercere, nec bonis præmia, nec etiam improbis sempiterna supplicia aliquando posset decernere.

Hac insperata Comitis Leceſtrię morte nunciata, edicti executio aliquantisper ſuſpenſa fuit. Verum mox Deo nonnullis ſeruorum ſuorum martyrij coronam conferre cupiente, ne qui ad tantam dignitatem à Diuino numine vocati electíque erant præmio ſuo fruſtrarentur, maximam eorum partem quos ipſe Comes viuus adhuc morti adiudicarat, de medio Regina tolli curauit; quod videlicet exiſtim, et regni ſui Catholicos à Leceſtriæ Comitis morte animus ac ſpiritus eſſe ſumpturos. Qua quidem ratione factum eſt, multi vt Dei ſerui in diuerſis Angliæ locis Martyrio vitam conſummarint.

Erecta tunc Londini fuerunt, nouæ crudelitatis inſtrumenta, ſex numero noua patibula, paſſimque circa ipſam vrbem in pagis & oppidis magna Catholicorum multitudo impios Anglorum manus cæde & ſanguine ſuo madefecit: morientibus vniuerſis admirabili cum conſtantia, patiẽtia, addo gaudio & voluptate. Atque hi cùm ad patibulum deducti eſſent nulla ratione populum affari poterant, metuantibus Anglicam fæuitiæ executoribus, ne forſitan eorum ſermone & exhortatione ad ſaniorem doctrinam traduceretur. Hinc cum ex Sacerdotibus quiſpiã Deanus appellatus, vir morum, grauitate & literis conſpicuus, cauſam aſtantibus eſſet declaraturus, quare infœlici illo ſæculo tanti ſanguinis in Anglia profunderetur: Hæretici tanto confeſtim cum impetu ac violentia multa nequicquam dicere molienti os compreſſerunt, vt propemodum ſuffocatus exanimis

nimis relinqueretur. Quamuis autem sanctis illis Martyribus eo tempore ad populum dicendi facultas non concederetur, ipsa tamen hominum Sanctorum, Innocentum, ac inculpatæ vitæ virorum, tum multorum etiam nobilium adolescentum magno cum gaudio tolerata mors, satis superque astantibus indicabat, fidem illorum veram esse oportere, pro qua ipsi adeò fortiter & constanter mortem oppetere non dubitarent.

Accidit eo tempore Londini memorabile quoddam. Cum enim Beati illi Martyres ad supplicia pertraherentur, primaria mulier, pectus Christianum mentemque Catholicã testatura magna verborum contentione Sanctos illos Dei seruos exhortata est, quatenus magna cum patientia & constantia tanquam Iesu Christi Martyres illata sibi tormenta perpeterentur. Quæ cùm deinde etiam ad illorum se pedes benedictionem petens prostrauisset, subitò ab Hæreticis comprehensa, & in carcerem coniecta fuit.

Alium quoque Catholicum, qui non sine admiratione tantum Sacerdotum ac Laicorũ in furcam agi conspiciens, quod in more habebat, attonitus Sanctę Crucis signo se muniebat, mox maximo cum tumultu & clamore, ad carceres similiter abripuerunt.

Mirabilius & haud aliquantò fructuosius fuit, quod eodem tempore Deus operari dignatus est. Cum enim Martyrum illorũ quispiam iamiam in restem induendus, ex scala magno cum affectu populũ obsecrauisset, vt si Catholicorũ aliqui præsentes essẽt, ij preci-

bus suis se apud Deum commendarent, quod videlicet eorum opera ac auxilio indigeret: Catholici confestim quotquot adderãt Martyris illius sermone commoti, existimantesque eum tentatione quadam in mortis agone constitutum impugnari, secretò precibus suis apud Deum illum commendauerunt. Cùm ecce tibi vnus præ cæteris feruentior, suique officij esse existimans, fidem Catholicam audaci confessione condecorare, pro qua Martyrem illum publicè mortem oppetere conspiciebat, flexis genubus magno cum effectu & deuotione, coram vniuersa hominũ multitudine Deum pro eo obtestatus est. Quo facto Martyr mirabiliter recreatus & animatus, ipsi autem hæretici tantum in furorem confestim acti fuerunt, hominem vt illum è vestigio ad pœnas suppliciaque abduxerint.

Inter cæteros eo qui tempore mortem pro Christo & fide Catholica sustinuerunt, mulier fuit Margareta Vuarda, cumque ea nobilis adolescens Thomas Felton. Erat in mulierem capitalis lata sententia, quòd Sacerdoti carcerem perfringenti auxilium porrexerat: quam priusquam subiret, multis diebus antè atrociter flagellis prociſſa, & brachijs in aërem eleuata, non absque astantium stupore Carnifices & Carnificinam despiciebat. Dicens, Tormenta illa quæ perpetiebatur, præludia quædam eius Martyrij esse, ad quod diuina misericordia opitulante aspirabat. Ad extremum itaque mortem magno cum desiderio exspectatam incredibili robore magnaque astantium ædificatione tolerauit.

Tho-

Thomas autem Felton nobilis sicut diximus ac elegantis admodum formæ adolescēs glorioſi Martyris *Ioannis* Felton cognatus erat. Publicarat is Ioannes, sicut in libro tertio Historiæ nostræ diximus, Lugduni, bullam Pij V. contra Angliæ Reginam, ob eamque causam aliquot annis ante Thomam, Martyrio fuerat coronatus. Huius ergò vestigijs Thomas Felton animosè insistens, & admirabilis Dutini seruitij ac religionis Catholicæ zelator, ab Hæreticis in obscurum carcerem conijcitur, illicque tres ipsos menses & medium inter latrones miserrimam vitā degit. Cùm tamen ille animo nequaquam cadens, seipsum erigebat, planeque confidebat fore, vt sanguinea *Ioannis* Cognati vestigia ipse quoq; sanguinolētus sequeretur. Donec tādē admirabile adolescentis robur, insolentemque exagerati illius animi constantiā Hæretici amplius perferre non valentes, ex carcere protractum extremo supplicio, similiter afecerunt: admirantibus quotquot aderant, Diuini prorsus Adolescentis illustria dona, raram indolem, præclaras virtutes, excellentem pietatem, insignem deuotionem, & admirabilem in pœnis patiendis constantiam, vnà cum mansuetudine singulari etiam erga ipsos suos Carnifices se prodente, & videri spectarique gestiente.

De duorum Catholicorum lapsu, deq; ijs quæ Deus per eosdem operatus fuit.

CAPVT II.

FAciunt inaudita crudelissimaque Hæreticorum, quibus Catholicos prosequuntur tormenta, ipsique adeò actus & fraudes, quibus illos peruertere & transuersum agere conantur: vt humanorum operum inspector & arbiter Deus nonnullos cadere patiatur, qui de suis sibi viribus abundè omnia pollicebantur; vt ita nos per talium casus & lapsus nostram infirmitatem agnoscamus, & victorias à fidei Catholicæ hostibus relatos soli Diuinę bonitati feramus acceptas. In hac itaque de qua tractamus persecutione, Deo permittente, duo Catholicam religionem professi, tormentorum metu superati fidem suam eiurauerunt (quemadmodum in alijs quoque persecutionibus aliquando legimus accidisse, verum eo modo & ratione, vt non ipsi tantum à lapsu surrexerint, sed alios etiam Apostatas in veritatis viam reuocarint, vniuersumque Catholicum populum prę stare admodum ædificarint. Erat inter hos Sacerdos Antonius Tirelus, qui primùm metu superatus, mox verò ambitione ac promissis etiam expugnatus ad Hæreticorum partes transfugit, & à Reginæ ministris persuasus multos primarios Angliæ nobiles, cumque his Doctorem VVilhelmum Alanum, Patres Societatis Iesu, ac alios etiam Sacerdotes accusauit, quod Romæ cum Gregorio XIII. fœ-

licis

licis recordationis Romano Pontifice de Angliæ Regina sustollenda, deque vniuerso eius regno turbando tractauissent: qua quidē fraude & prætextu impiam suam crudelitatem, crudelemque impietatem, etiam qui hodiè regnum illud administrant, tegere cōsueuerunt. Vix præfatus Sacerdos in profundum illud Apostasiæ Barathrum præcipitatus erat, cum ecce tibi Deus, qua misericordia est, manum continuò suam illi porrigit, atque vt peccatum suum agnoscens & deplorans ad fidem Catholicam reuertatur, suauiter eum pellicit atque inuitat. Constituens itaque Angliæ regno egredi, ac seriam pœnitentiam de peccatis suis aliqua cum quiete & tranquillitate agere, priusquam præfati regni terminos excederet, scripto errores suos abiurauit; vanitatemque suam in multis Nobilibus, Catholicis & Innocentibus accusandis, confessus est. Egressus itaque Anglia, vbi aliquandiu Catholicam vitam egisset, mox vel à Diabolo deceptus, vel alio quodam vano respectu insecatus, ad regnum è quo profugerat reuertitur. Cum autem interea temporis, quo is abfuerat, fidei suæ declaratio, & iniusta accusatio diuulgata esset, ministri Regij apprehensum, qua blanditijs & pollicitationibus, qua minis & terroribus hominem eo impellere conati sunt, contraria vt declaratione priorem euerteret, quosque antè accusarat, verè ac meritò delatos à se esse asseueraret. Vt autem totum hoc negotium maiore cum solennitate & applausu perageretur, Apostatæ illi iniunxerunt, vt

coram vniuersa multitudine fidem publicè confiteretur, quæ scripserat, infitiaretur, Catholicam religionem eiuraret, omniaque illa quæ in prima sua accusatione cõtra Sacerdotes & Dei seruos continebantur, confirmaret. Promisit miser se obtemperaturum; rerum mox conscientia aliud dictante, ipsoque Deo quiescere eum non permittente, postquam huc illucque oculos coniecisset, re tota Deo commendata, eo quo dicemus modo, se gerere & tractare constituit.

Eo die, quo Antonius Tirelus declarationem suam facturus erat, Sathanæ ministri vniuersam multitudinem in forum S. Pauli (vbi templum totius ciuitatis maximum populosissimumque spectatur) inuitauerunt, vt spectaculo illi ac triumpho adeò abominabili de fide Catholica agendo interessent. Confluxit ingens nobilium, Ecclesiasticorũ, ac Consiliariorum populus, auidus audiendi ea, de quibus ab aliquot iam diebus tota passim vrbe rumor erat disseminatus. Collectis iam omnibus atque in Auditorio congregatis, ipse Antonius Tirelus, facto silentio, vultu nescio quam turbationem ac animi motum præ se ferens, simulac pulpitum conscendit, causas collectæ multitudinis ac tantæ hominum frequentiæ aperire instituit. Deinde verò se maximum grauissimumque peccatorem, Dei ac illius Ecclesiæ, à qua desciuerat hostem, & proborum innocentumque hominum contra ius & æquitatem persecutorẽ, accusatoremq; appellauit. Cũ ecce tibi plura dicere aggredienté; ac quemadmodum

dũ ipse Catholicus esset, vtq; ab Hęreticis circũuentus fuisset declaraturũ, imperato cõfestim silẽtio, vi ex suggestu detraxerũt. Verùm ille magnã schedarũ vim, in quibus fidẽ suam profitebatur, hæreses abiurabat, & falsò Sũmum se Pontificẽ, Sacerdotes, & nobiles Catholicos, persuadẽtibus Reginæ ministris accusauisse fatebatur, in populũ conijciens, clara subinde voce exclamabat. Quoniã loquẽdi mihi facultas non conceditur, istæ vobis schedæ satis superq; indicabũt, quid credam ac quid sentiã, omniaq; ea quę circa me gesta sunt liquido & veraciter declarabunt. Ego sanè animã meã Deo, corpus autẽ omnib. tormentis ac pœnis, quas Regiæ crudelitatis administri inferre mihi poterunt offero: sciẽs tot ac tãtis affici me non posse, quot & quãtas promeritũ me fuisse confiteor. Dici omnino nõ potest quomodo his auditis totũ auditoriũ turbauerit, Londinũ, illiusq; hæretici tumultuati sint, quãq; è cõtra voluptati Catholicis hæc audire ac spectare fuerit. Donec tãdẽ Sacerdos ille à Reginæ ministris in horribilem carcerem detrusus, multis exquisitis & atrocibus supplicijs fuit excarnificatus.

Alter Apostata adolescens fuit virtutibus antè lapsũ cumulatissimus, qui propter naturalẽ quandã simplicitatẽ ab Hæreticæ prauitatis affectis & ministris à recta rationis semita fuit depulsus. Erat huic nomen Ioannes Chapina, qui simulac à sana doctrina desciuisset, iam in libertate constitutus, propriæ conscientiæ remorsum experiri, pœnitentia duci, suamque sortem deplorare incepit.

Vnde

Vnde ad amicorum suorum non neminem, quem in carcere pro fide Catholica detentũ reliquerat, in hæc verba breue epistolium exarauit.

Constituto mihi cum socijs meis, ante Iudicũ tribunal, eam vt sententiam exciperem, qua morti adiudicato Deus pro infinita sua Misericordia Martyrij coronam pariter adiudicaret. Succurrerunt confestim mihi (prô dolor) ministrorum hæreticorum illecebræ, quibus Pridie animum meum delinierant. Iisdem itaque & tunc inescatus, mortis timore consternatus, ac vitæ dulcedine expugnatus, breui & momentaneo huic quod in hoc seculo degitur tempori, immarcessibilem coronam postposui. Nunc autem ad instar ouis perditæ oberrans, animum intolerabili dolore tanquam clauo aliquo trabali transfixum ægrè circumfero. Vestrarum itaque partium fuerit, pro me apud Deum intercedere ac meo exemplo alios, ne quid de propriis sibi viribus polliceantur, neúe aures hæreticorum serpentinis sibilis accommodent, admonere.

Postquam Catholici resciuissent, quàm malè infœlicem illũ adolescentẽ lapsus suus haberet, animos denuò sumpserunt, feruentiqúe oratione Deum conuenerunt, quatenus Catholicos cæteros vniuersos dextra sua protegeret, neque similiter labi aliquando paterentur.

Mar-

Martyrium de duobus Sacerdotibus ac totidem Catholicis Laicis in ciuitate Oxonienſi ſumptum.

CAPVT III.

NOn contenti Hæretici anno ſupra milleſimum quingenteſimo octuageſimo octauo tantũm innocentis ſanguinis ob cauſas quas diximus profudiſſe, eadem planè barbara & ſcythica crudelitate, anno Milleſimo quingenteſimo octuageſimo nono, non minus illuſtres Martyres per atrocia exquiſitiſſimaque ſua ſupplicia ciuium Beatorum numero inſeruerunt. Inter hos, in ciuitate ac vniuerſitate Oxonienſi, in religioſæ cuiuſdam viduæ domo, nocte concubia, maximo cum tumultu & ſtrepitu duo Sacerdotes cõprehenſi ſunt: quorum alter Georgius Nicolai, alter Iaxlæus ambo ex ſeminario Rhemenſi, vocitabantur. Capti cum his vna fuerunt eques Belſenus, qui patrem Georgium viſitaturus aduenerat, & domeſticus Omfridus eximius Dei ſeruus, qui ipſos duodecim annos magna cum deuotione Catholicis ſuppetias tulerat, operamque ſuam collocarat. Ipſam deinde viduam ad magnæ pecuniæ vim numerandam coegerunt, omnibuſque illius bonis confiſcatis, domo ſua egredi prohibuerunt; quatuor autem illos Dei ſeruos, puta Dei Sacerdotes, & totidem Laicos vniuerſitatis Vice Cancellario ſtiterũt, vt ab eo ac alijs eam in rem aſſumptis iudicibus examinarentur. Gregorius itaque Sacerdos in ma-

in magna hominum præsentia forti & exaggerato animo elataq; insuper voce dixit: Cõfiteor ergo me Dei & Apostolicę sedis gratia verę, sanctę, Catholicæ & Apostolicę Romanę Eccleſię Sacerdotẽ esse. Quo dicto, simulq; à Sacerdote illo nonnullis Hæreticis ministris fedè confusis & superatis, omnes in carceres coniecti sunt. Ex quibus eum deinde etiam catenis onusti, protracti ac quæstionibus subditi, neutiquam conuinci possent, nihilque planè eorum de quibus interrogabantur prodere vellent, tãdem Iudicum mãdato maxima cum ignominia Londinum deuecti fuerunt. In quo itinere quas iniurias, illusiones, explosiones, quantamq; Anglicanorum Carnificum, turpiter ijs insultãtium, libidinem ac petulantiam sustinuerunt; verbis explicari vix potest. Imò cum in ipsam etiam ciuitatem deueherentur fide propemodum maius est, quantum contumeliarum, scommatum, & blasphemiarũ à perdito sceleratoque illo populo in immeritos ac innocentes homines fuerit congestum. Vidisses tu illic immanem hominum multitudinem ad eos, tanquam ad transmarina aliqua monstra videndos confluere, atque ad ipsum vsq; carcerem comitari. Dei autem seruos, patientia armatos, omnia pœnarum genera magno cum animi sui gaudio ac voluptate ab hostibus & inimicis suis, pro amore Iesu Christi, cuius crucem cordibus suis insculpserant præstolari, vbi Londini aliquot dies in carceribus substitissent, Francisco Valsingamo

gamo Secretario, capitali Catholicorũm hosti, & pessimo planè hæretico, repræsentati sunt: A quo quicquã multa interrogati, atq; vt eos apud quos hactenus diuertissent, proderẽt, sollicitati fuerunt. Vnde Pater Georgius Nicolai aliud nihil respõdit, quã omnes Catholicos, se autẽ Ecclesiæ Romanæ indignum Sacerdotẽ esse. Hoc audito, hęreticus exclamare, & magno cum furore ac laterũ cõtentione vociferari: Si Sacerdos es, nunquid idcirco Regiã coronam prodere debes? Cui Dei seruus respondit: Næ verò ego cõsequẽtiam istham tuã miror, siquidẽ is, qui primũ Angliæ istud Regnum Idololatriæ tenebris depulsis, veritatis luce collustrauit, Sacerdos fuit: quiq; post hunc doctrinã Euangelicam, quamq; nos profitemur fidẽ docuerũt, omnes omninò Sacerdotes fuerunt. Et quid si etiam dixero eos, qui regnũ istud diuersimodè præ cæteris illustrarunt & condecorarunt nõ nisi Sacerdotes fuisse? Ad hæc Secretarius respondit: At non agebant Sacerdotes illi vti vos, non turbabant regnum, neq; id contra Reginã suscitabant. Si Euangelium Iesu Christi annunciare (dicebat Sacerdos) si verã fidẽ & Catholicam religionem ignorantibus tradere est regnum turbare, ego quoq; palam & disertis verbis confiteor similiter & eos Sacerdotes nouis rebus operam dare. Si autem maxima vtriusque differentia est, quomodo tam insigni iniuria Deum afficere, illiusque ministros adeò crudeliter & efficaciter barbarè habere non dubitatis?

Vidẽtes ergo Regiæ crudelitatis administri, minimè

minimè quæ desiderabant ex Dei his seruis posse exculpere, vtrumque Sacerdotem vnà cum perditis & sceleratis hominibus in locũ infamem retruserunt, illicque miserrimè excarnificatos, ac quinque horarum spacio in aëre suspensos, nulla ratione eo addigere potuerunt, vnicam vt saltem voculam quã volebant inuitis exprimerent: Tolerantibus illis magno cum animo, patientia & constantia quaslibet pœnas & tormenta, quæ pro Christi amore illis inferebantur. Videntes autem mox ijdem Hæretici, nihil se supplicijorum suorum immanitate proficere, ad fraudes & astutias suas confugerunt. Hominem ergò egregiè vafrum & callidum subornant, quatenus Catholicum se fingens, ab ijs in fidei nostrę articulis instrui petat, aut si id propter pericula fieri non possit, aliquẽ sibi saltem indicent cuius ductu & auspicijs ad sempiternam vitã aspiraret. Aduertit confestim fraudem & malitiam Pater Georgius, homo præter raram doctrinam, & deuotionẽ egregiè prudens. Vnde fictitius ille Catholicus egregiè confusus discessit; ipse autem Pater Georgius in locum subterraneũ insectis plenum, dimissus est; altero interim in turre Lõdinensi quotidianis tormẽtis ac ęquuleis subiacente. Manserunt eo in loco, donec à consilio Regio vnà cum Laicis, in ciuitatem Oxonienſem, deuehi iussi sunt, pœnas illic in studiosorum exemplum persoluturi. Oxonium cùm veniſſent, ipsa confestim bona vidua perpetuis carceribus adiudicatur, bonisque suis omnibus, edicto publico spoliatur. Erat matro-

matrona illa adeò Catholica ac Deo deuota, vt hilari æquissimoque animo pro triginta annorum hospitio Catholicis & Sacerdotibus præbito, ac pro seruitijs illis præstitis, facultatum suarum confiscationem, bonorum distractionem, ac libertatis suæ priuationem sustinuerit: Deum insuper obtestata, quatenus cum Patribus ac hæredibus suis spiritualibus vna sibi mortem oppetere liceret. Hoc facto contra Clericos sententia perlata est, vt in furcam acti, proditorum instar in quatuor partes dissecarentur, quod videlicet a Papa instigati contra Reginæ mandatum, eius regnum turbas excitaturi, & falsam doctrinam tradituri, intrauissent. Duo autem qui supererant Laici ad restem condemnati sunt, quod videlicet dictos Sacerdotes comitati, texissent.

Hac sententia perlata, Dei serui pro inæstimabili illo beneficio quas poterant diuino numini gratias persoluerunt, & mutuis amplexibus se stringentes maxima gaudij & lætitiæ signa ediderunt. Eo autem die quo ad mortis supplicium subeundum, pertrahebãtur hilari & sereno vultu magnam hominũ accurrentium multitudinem salutantes dicebant: Ecce nos ad mortem pro fidei Catholicæ confessione, quam nostri Patres & maiores habuerunt, abducimur.

Obtulit se in primis & ante reliquos Sancto illi Sacrificio Pater Georgius, qui oratione ad Deum fusa, suaque fidei protestatione ad populum facta, plura cùm dicere vellet, à carnificibus prohibitus sanctè vitam

suam consummauit. Secutus hunc fuit aliud Sacerdos, qui sicut viuentem Georgium Patris & Magistri loco habuerat, ita interfecti corpus amplexatus, eius animam obsecrauit, quatenus se apud Deum commendaret. Mox cum frustra pauca ad populum dicere voluisset, fidei suæ confessione facta, non absque magno circumstãtium dolore Spiritum Deo reddidit.

Erat enim is adolescens nobili genere oriundus, tum morum elegantia & formæ venustate apprimè conspicuus. Post hos adductus fuit Belsonus adolescens similiter nobilis, qui cùm Patibulo appropinquasset sociorum suorum corpora magna cum reuerentia osculatus, eorum animas, quæ iam cælesti gaudio perfruebantur, obsecrauit, vt earum intercessione pari cum constantia & magnanimitate illas subsequeretur. Credebat senamque ille quotquot sunt mortalium fœlicissimum esse, quod eorum spiritualis filius esse meruisset, quodque cum his socijs Deo se esset præsentaturus; sicque ad extremum magno cum gaudio spiritum Deo reddidit.

Vltimus qui in hoc tam glorioso actu spectari voluit, fuit Omfridus, qui quanta cum animi voluptate ad mortem & Martyrij locum procurrerit, dici omninò non potest. Quin cum iam etiam scalæ insisteret, ad populum conuersus dixit. Testor vos quotquot adestis vniuersos, in præsentia Dei suorumque Angelorum, me pro fidei Catholicę confessione mortem oppetere. Quæ verba cum ex

ex hæreticis ministris feruentior non nemo audiuisset, subiecit: Vtrum ergo infœlix ignoras quidnam sit Catholicum esse? Respondit Martyr: probè omninò ego noui quid sit esse Catholicum, tametsi id terminis Theologicis explicare forsan non possim. Et noui etiam quid mihi credendum sit, tum quare sanguinem ilthunc meum Innocens profundere non verear. Quibus dictis mox sanctè in Domino obdormiuit.

Hoc spectaculum & supplicium in ciuitate Oxonienſi exhibitum magnum dolorem, & admirationem etiam in præsentium animis excitauit, quæ postea alterius, quod narrabo, facti nouitate mirabiliter aucta fuit. Cum enim duo illi Sacerdotes & Sancti Martyres, iuxta sententiæ in eos perlatæ tenorem, in quatuor secti partes, vna cum capitibus, vestibus Castelli Oxonienſis muris impositi essent: adfuerunt confestim Hæretici, partesque illas exanimes egregiè adhuc venustas & elegantes conspicati, Spiritu Diabolico instigati, repetitis cultrorum ictibus, earum carnes deformare ausi sunt. Ob quam deinde causam ex Iudicum mandato partes illæ ablatæ, & portis ciuitatis impositæ fuerunt.

Eo cum delatæ essent, itaque collocatæ, vt manus singulorum terram versus defluerent ac dependerent, sola Sacerdotis Georgij dextra sursum eleuata, & ciuitati minitans fuit deprehensa. Quod deinde miraculum, etsi nonnulli Hæretici, vti solent obscurare

causæque naturali & neruorum rigori afferibere conarentur, nihilominus Catholici vniuersi, & non omninò pauci inter ipsos Hæreticos, rem illam supernaturalem & Deo propriam esse agnouerũt. Cum enim feruenti aqua partes illas exanimes coxissent, intelligere planè non poterant vnde hic neruorum rigor quem alij dicebant, deberet proficisci.

Quin cum etiam dictus Pater Georgius coram tribunali iniustam sententiam, qua contra ipsas Anglicani regni leges opprimebatur secum expendisset, Iudices commonefecit, esse adhuc maiorem & potentiorem longè Iudicem, quæ ab ijs aliquando strictissimam rationem exacturus, & pœnis sempiternis adiudicaturus illos esset Cuius cum viuentis admonitionem audire noluissent, singulari Dei prouidentia factum videbatur, vt etiam mortuus & minitabundus eadem illa denuntiaret. Confirmata fuit hæc opinio, à populi existimatione, de Patris Georgij sanctitate, feruore, zelo, & charitate concepta: quodque eum sex ipsos annos in animabus lucrifaciendis eo in regno occupatum fuisse, ac per eundem memorabilia quædam patrata designataque constabat. Vt enim alia hoc loco taceam, eodem, quo ipso Oxonij degebat tempore, adolescens quidam Hæreticus Areotus appellatus, proprer latrocinia grauissimaque alia scelera in castello Oxoniensi captus, & in carcerem coniectus fuit. Cumque in eadem custodia nonnulli Catholici vincti tenerentur, persuadere illi incœperunt,

perunt, quatenus peccata sua agnoscens, ad Deum fidemque Catholicam conuersus posthea mortem & supplicium tanquam scelerum suorum mercedem æquo animo perpeteretur.

Cum ecce tibi adolescens ille elegantis admodum ingenij, diuinæ lucis radium in pectus admittens, paratum se esse dicit, ea quæ Catholici facienda sibi consuluissent, præstare & exequi. Hac re Sacerdoti Georgio per literas explicata, peccatrix illa anima ad peccata sua deplorãdum ac certo tempore illa confitendum à Catholicis extimulata, tantum repentè de peccatis suis dolorem habere incœpit, integras vt noctes & dies lachrymis transigeret, & morte pro ijs sua Deo satisfacere desideraret. Cumque nocte quadam indicatum illi esset sequenti eum die ad mortem esse rapiendum, confestim Catholicos accessit, & in terram prostratus dix.: Væ mihi Domini, Patres, & Magistri mei, Væ mihi, cui sine confessione moriendum est. His ita dictis totam noctem illam in peccatis suis deplorandis, pœnitẽtia facienda, & Deo, quatenus se in necessitate ista non derelinqueret, obtestando transegit. Sequenti die capitali supplicio, quod de latrone adeò celebri & famoso sumendum erat publicato, ingens hominum multitudo confluxit. Aduenit & inter hos Georgius, qui quod à Catholicis monitus esset, dissimulato habitu equitem & agnatum latronis mentitus, carcerem velut illum visitaturus & consolaturus intrauit. Vbi postquam peraman-

ter coram tota hominum frequentia se salutauissent, ipse Georgius Latronem velut consolaturus & ad mortem constanter oppetendam exhortaturus, sub arborem carceri astantem, à reliquo populo seduxit: ibique latronem magna cum lachrymarum copia peccata sua confitentem absoluit, ac inter amplexus & oscula ab eo in carcere relicto discessit. Incæpit tunc confestim latro se Catholicum profiteri, & quamuis sæpenumerò ab Hæreticis impeteretur, nunquam tamen peruerti aut transuersum agi potuit: imò cùm iamiam in furcam agendus esset, magna cum lætitia & gaudio professus est, se simile etiam vitas haberet, multò quam libentissimè pro fidei Catholicæ confessione eas esse impensurum. Quæ quidem ille tanta cum deuotione dicebat vt mortis suæ instrumenta, scalam, restem, & patibulum oscularetur: mirantibus vniuersis subitam in subsessore itinerum mutationem, ac constituentibus peccatorum quantumuis flagitiosum omnino neminem debere desperare: Elucente præterea mirabili Dei potentia in animabus ad religionem Catholicam conuertendis, quæ in hac, sicut etiam in pluribus aliis rebus Diuina est, & vniuersis Infidelium ac Hæreticorum sectis, falsisque religionibus multò quam dissimilima.

Alij nonnulli Londini Martyrium passi.

CAPVT IV.

ANno 1590. Capti sunt Edouardus Ionnes & Antonius Mideltonus Sacerdotes. Quorum iste multis ab annis in Anglia non absque magno animarum fructu versatos, quod imberbis pœnè esset, pro Sacerdote habitus non fuit. Hic etsi non admodum diu in Angliæ regno vixisset, admirabili tamen suo in concionando zelo, magnam sibi inter Christianos existimationem peperit, ob eamque causam maximo apud Hęreticos odio flagrauit. Capti sunt ambo in ciuitate Londinensi opera exploratorum nonnullorum, qui vtmelius Innocentes comprehenderent Catholicos se fuerant mentiti Simulac autem comprehensi essent, duobus patibulis ante ipsas domos in quibus oppressi erant, excitatis, nullo examine aut inquisitione prævia fuerunt appensi, & postea in quatuor partes dissecti: His verbis patibulis inscriptis: Ob proditionem, & regni nostri ab exteris inuasionem, Patuit tamen mox innocentiam constantiamque iustorum improborũ malitia & hæreticorum artibus esse superiorẽ. Cum enim in ciuitate Londinensi in qua duo illi Martyrio vitam cõsummauerunt, vniuersa populi multitudo, cum Catholicus quispiam supplicio afficeret, clara voce exclamare, illumq; proditorẽ appellare hactenus cõsueuisset, eo tẽpore, nihil tale

feciſſe, ſed altum ſilentium tenuiſſe, & triſtẽ ac conturbatum domum redijſſe fuit deprehenſus.

Dum Pater Antonius Mideltonũs mox in furcam agendus ex ſcala, paucis vt ſibi populum affari liceret fruſtra petiuiſſet inquit: Quoniam paucis non quæ volebam coram vobis expromere debeo, Deum teſtem facio, morte me iſthac affici propter Catholicam & Romanam Religionem, quodque Sacerdos ſum & verbi Diuini concionator. Eandem itaque Diuinam Maieſtatem ſupplex obteſtor, quatenus mortem hanc in meorum peccatorum remiſſionem accipiat, Sãctam Catholicorum fidem confirmet, & Hæreticos in veritatis viam perducat. Ad hæc verba eques quidam, qui inter cæteros ad illud etiam ſpectaculum confluxerat, ex equo cui inſidebat reſpondit: Benè admodum locutus es mi Pater, atque idipſum ſufficit. Vix verba protulerat, & ecce cum ſocio ſuo è veſtigio in carcerem conijcitur.

Sub Quadrageſimalis ieiunij initium, Patrem Chriſtophorum Bates Sacerdotem morte ſimiliter affecerunt; etſi diuerſa omnino ratione. Quippe quem viaueris proſecuti, ideò ſe condemnare dicebant, quod videlicet à Romano Pontifice Sacerdos ordinatus, Roma in Angliam contra regni leges ſe contuliſſet. Quem priuſquam etiam morte afficerent, crudeliſſimè tormentis excarnificarunt, vt vbinam loci Miſſam celebriuiſſet, apud quem diuertiſſet, & à quo ſuſtentatus

tatus fuisset intelligerent. Verùm cum ille post viginti quatuor horarum in aëre suspensionem admirabili cum constantia & fortitudine tormenta vniuersa perpeteretur, tandem Martyrio vitam consummauit.

Hic necdum mortis sententia perlata cũ à Iudicibus interrogaretur, vel letne adhuc aliquid in sui defensionem allegare, respondit; vnum tantum ex vobis sciscitabor Iudices, vtrum videlicet Diuus Augustinus, qui à Sancto Gregorio in Angliam ablegatus, fidem Catholicam regno illi annunciauit, proditor fuerit? Quid cum illi negauissent, Sanctus respondit: quamnam ergo ob causam me ad tribunalia raptum morti tanquã proditorem adiudicatis, cui ab eadem Apostolica Sede in Angliam ablegato, non plus obijci potest quam Diuo Augustino fuerit obiectum? Quæ etsi ille magno cum verborum pondere & authoritate proferret, nihilo tamen secius morti adiudicatus fuit: adiuncto illi Londinensi quodam ciui Hornero appellato, qui Sacerdotes suam in domum receperat. Hic cum de nocte mortem suam præcedente flexis genubus Orationem ad Deum funderet, Coronam super caput suum conspexit, quam manibus apprehendere volens, nihil deprehendit. Consurgens itaque ab Oratione, periculumque facturus, vtrum tantum imaginatio ac ipsius visio deceptio esset: animaduertit ipsam coronam secum moueri ac de loco in locum cum illo transferri. Hac ille itaque visione mirabiliter re-

creatus, ſe à Deo ad Martyrium vocari animaque intellexit. Et probauit hoc ſanè ſequentis diei effectus, ſiquidem admirabili cum fortitudine & voluptate mortem ſibi illatam tolerauit.

Eodem ſupra Milleſimum quingenteſimo nonageſimo anno, duo religioſi ex ordine Sanctæ Brigidæ, ex Hiſpania redeuntes (in quam profecti erant Regi vt Catholico ſupplicarent, quatenus Monaſterio Monialium Anglicarum eiuſdem ordinis in Galliæ ciuitate Ruan opitularetur) non abſque optima Eleemoſyna à Regia Maieſtate obtenta, ab Hæreticis Rochelenſibus per eius in qua vehebantur nauis præfecti proditionem, capti comprehenſiſque fuerunt. Rochelam itaque abducti, illicque Principi de Biarne præſentati, poſt longum examen aliquot dierum ſpatio adeò malè habiti fuerunt, vt fame & inedia confici debuerint, niſi à Gallo quodã Catholico aliquid ſemper alimenti ij fuiſſet porrectum.

Elapſis aliquot diebus, cum Princeps præfatus homines illos pauperes eſſe intelligés, nihil ab ijs exſculpere emungereque poſſet, bonam ſe gratiam apud Angliæ Reginam initurum ratus, dono illi eos tranſmiſit, ac hæretico cuidam Nauarcho commendauit. Hic cum homo barbarus & crudelis eſſet, omnemque prorſus humanitatem depoſuiſſe videretur, peſſimis modis Innocentes tractauit. Vnde vt ijdem Dei ſerui plura tolerarent ac perpeterentur, nauigatio Rochelana Anglian

gliam versus quæ intra paucos dies solet absolui, ipsos sexaginta durauit. Quo quidem tempore religiosi illi patres, ferreis catenis onerati ac seminudi acerrimum frigus perpetiebantur: manducantes quotidie salsarũ aliquid fabarum, cum aqua & sine pane. Quã miseriam ipsi cùm Hæretici ferre non valentes Nauarcho indicauissent, ille iuratus religiosorũ hostis, nihil planè mouebatur; imò tempestates & ventos quibus nauis quandoque iactabatur, Dei illis inimicis (ita homo flagitiosus viros religiosos appellabat) attribuens, aliquoties in mare eos voluit præcipitare. Tametsi postea in periculis & necessitatibus constitutus, propria suggerente conscientia intelligeret, eos Dei amicos esse sicque blandis verbis illos alloquens obsecrabat, Deum vt pro se ac nauis incolumitate precarentur. Promittens melius deinceps illos à se habitos & tractatos iri. Verùm cùm hi motus non ex virtute, sed ex metu tantũmodo nascẽs vi fuisset expressus, simulac periculum euasisset, ad pristinam crudelitatẽ reuertebatur. Ad extremum itaque post longas ac diuturnas maris molestias terræ appulsi, ab hæreticis, quos itineris socios habuerant, continuò in carcerem coniecti sunt.

(·:·)

Mors

Mors Franciſci Valſingami Reginæ Secretarij.

CAPVT V.

MOritur circa initium anni Milleſimi Quingenteſimi Nonageſimi primi Fráciſcus Valſingamus Reginæ Secretarius: qui præter Barbaram quandam ferociam & crudelitatem quantus Hæreticus & Caluinianæ ſectæ fautor fuerit, credi omninò non poteſt. Vnde authoritate qua pollebat, & gratia qua apud Reginam valebat, ac deinde etiam Comitis Leceſtriæ familiaritate fretus, multa crudelia & atrocia cõtra Catholicos deſignauit. Quæ etſi innumera planè ac infinita ſunt, in duabus tamen potiſſimũ rebus Scytica illius barbaries elucebat. Primum in Seminarijs ac Sacerdotibus qui in illis viuebant perſequendis. Secundo in diſcordijs inter Principes ſeminandis, & facibus alienis regnis injiciendis, vt ſuo quietem & tranquillitatem adferret. Et quãtum ſanè hic odiũ contra ſeminaria conceperit ac monſtrarit, ex ijs ſatis ſuperque liquet, quæ ad illa funditus extirpandum deſignare non dubitauit. Primum enim multis apud Chriſtianiſſimorũ Gallorũ Regem egit, quatenus omnes Anglos Catholicæ religionis fautores, ac præcipuè eos qui in Seminario Rhemenſi erant, regno ſuo proſcriberet. Quod cùm nequicquam ſe tẽtauiſſe videret, rationem quandam inijt, qua inter ipſam Seminarij iuuentutem diſſenſiones & diſcordias ſeminaret. Falſus fuit in hoc etiã

ſuo

suo instituto, siquidem ipsi adolescentes eius astutia & artificio animaduerso in sancto suo proposito confirmati, ex pestilentis viparæ veneno salutarem Theriacam confecerunt. Hanc ille vt rebatur iniuriam indignè ferens Doctori Alano Collegij Rhemensis pro tempore Rectori, texicum propinauit: credens eam si columnam labefactauisset, ædificium vniuersum extemplò esse ruiturum. Atque ob hanc deinde causam Anglos nonnullos in Galliam Italiamque, crudelissimi sui facinoris executores & administros ablegauit. Quæ quidem ipse immanitate contentus ratione iniit, aquas & fontes dicti Seminarij veneno inficiendi, vt ita vno hausto omnes vita priuaret. Verum Deus eadem Collegia quæ fundauit conseruare etiam volens, perditissimi hominis conatus & artes vniuersas elusit. Alterum vti diximus Valsingami studium fuit, ignem & funestas faces vicinis & adiacentibus regnis inferre: in qua quidem ille re mirum est quam industrius ac diligens esse consueuerit. Quo enim facilius desiderio suo satisfaceret, facultates & opes suas vniuersas in exploratores, emissarios, & coryceos profundere non dubitauit, vt ex ijs deinde Catholicorum, hæreticorum, Christianorum, ac infidelium simultates ac concordiam etiã intelligeret. Propter hæc nuncia, quodque Secretarius esset, splendidos admodum reditus à Regina habebat: Cui quidem ille omnia ita depingebat, magna vt voluptate quandoque eam perfunderet: Ignaram interim eorum quæ eius animus spectabat & molieba-

liebatur. Donec tandem Valsingamus omnibus suis facultatibus, amicorumque etiã fortunis absũptis, ac in Reginæ seruitio, ac Catholicorum persecutione dilapidatis, magno ære alieno oppressus, turpi & horribili intestinorum Aposteмate laborans, velut alter Antiochus aut Maximinus tristem & flagitiosam suam vitam consummauit, mortemque in omnem æternitatem duraturam inchoauit: Exultãtibus vniuersis Catholicis ac Deo gratias agentibus quòd ex crudelissimi tyranni manibus illos liberauisset, quòdque eius morte omnes mortales docuisset, quẽadmodum fœlicitati temporali nõ confidere, quæque caduca, breuia, & momentanea sunt non semper esse duratura, debeant existimare.

2. *Mach.* 9. *Euseb. Hist. l.* 3. *ca* 28.

De Crucibus quæ in Anglia apparuerunt

CAPVT VI.

Eodem anno *1591.* vigesima tertia Aprilis
1591. die, quæ Sancto Gregorio Martyri Angliæ Patrono sacra est, circa vesperam, in Comitatu Norfolciensi in Angliæ regno sito magnus in cœlo circulus cum duobus minoribus ac trib. in singulis solibus apparuit. Horum medius reliquis splendidior, collateles suos claritate anteuertebat: tametsi & illi tantum lucis diffunderent, quãtum ad noctem illustrandã requirebatur. Inter hos qui medius erat Sol, paruo circulo ambiebatur, qui Occidentem spectans, maiorem intersecabat. Huic deinde maiori circulo minor alius

lius, ac in illo Crux Sancti Andreæ inter Septentrionem & meridiem spectabatur. Quin & minori illo circulo versus plagam Orientalem, Similis Diui Andreę crux intermedio soli opposita videbatur: quæ priore maior & clarior maiorem itidem circulum diuidebat. Hæc in tota passim Anglia visa spectataq; fuisse, grauissimi quique illius scriptores testãtur. Super hac deinde crucium apparitionẽ, varij discursus & interpretationes euùlgatæ fuerunt: ipseque adeò Frarer Alphõsus Chacon ex ordine Prædicatorum tractatum Romæ edidit, in quo de Anglicanarum Cruciũ apparitione, præsertim autem de illis, quæ in mense Maio sequẽtis anni in ciuitate Burgensi, Amian, & alijs Galliæ locis, atq; adeò etiam Lutetiæ Parisiorum, diuersis diebus, in templis, festibus sacris, Albis, Casulis, & altaribus ac corporalibus visæ sunt: Quarum nonnullæ adeò firmiter subiectis inhærebãt, nulla vt planè artè industriaque posset auelli. Quid autem Deus per Cruces illas significare voluerit, ei tantummodò compertũ est; etsi enim Diuina Maiestas istiusmodi prodigijs homines excitare ac perterrefacere velit, non continuò tamen neque semper ijsdẽ voluntatem suam patefacit, quo videlicet à secreta & ineffabili illius prouidentia tota dependeant. Constat nihilominus Crucem sui amatoribus gaudiũ & cõsolationẽ, hostib. verò & inimicis dolorẽ tristitiãq; afferre.

Scimus Crucem, quã Constantinus ad bellum contra Maxentium Tyrannum proficiscens in cœlo vidit, victoriæ signũ fuisse: quã idem

idem Imperator in virtute crucis reportauit, quemadmodum illi à voce cœlitus delapsa: In hoc signo vinces, antè erat promissum. Neque verò ignoramus, crucem quæ Sancto Cyrillo Patriarcha Hierosolymis agente, suprà montem Caluariæ apparens, ad montem Oliueti vsque porrigebatur, multarũ illustriũ & memorabilium victoriarum fuisse indicium. Immò ne ad extrema exempla confugere debuisse videamur, Anno Octingentesimo decimo nono, Hugo Putonum Rex contra Athlestanum Anglorum Regem bellum gerens, periculumque in quo versabatur videns, Sanctũ Andream obtestatus est, quatenus sibi eo in prælio opitularetur. Cùm ecce tibi, Sanctus Apostolus Regi apparens, sequenti die victoriam ex hoste relaturum illum esse (quemadmodum quoque contigit) prædixit: apparẽte in huius veritatis confirmationem in cœlo S. Andreæ cruce admodum clara & splendida super Pictonum Castra.

Euseb. l. de vita Constant. c. 22. 23. & 24.

Greg. Nazian. orati. 4. in Iulianũ.

Niceph. l. 7. ca. 49.

Sozon l. 4. ca. 4.

Niceph. l. 9. ca. 31.

Similiter cùm Alphonsus AlbuQuercius cum classe sua Portugalẽsi in Insula Camarẽna quæ in Isthmo maris rubri ad plagam Occidentalem sita Pretiosi Ioannis Regnum attingit, versaretur, sanctissimæ Crucis vexillum in aëre apparuit, quam ille cum toto suo exercitu, ac nautis vniuersis non absque maxima reuerentia, & cœlesti consolatione adorauit, accipiendo illud in signum certissimę victoriæ, quam diuina assistente gratia à gentilibus & Barbaris Indis esset relaturus.

Boet. hist. scotorum li. 10. pag. 190.

Annales Portugal. & Maff. l. 5. Hist. Indic.

Transeo hîc innumera alia exempla, quæ passim in historijs sacris & profanis, antiquis

& re-

& recentibus reperta, veritatem nobis ist-
hanc declarant, planeque ostendunt, Deum
Ecclesiæ suæ crucem tanquam pignus bono-
rum præstandorum nunquam non exhi-
bere voluisse. Extant autem & alia exem-
pla, ex quibus intelligere possumus, Deum
per cruces exhibitas improbos & flagitiosos
perterrefacere castigareque voluisse. Quem-
admodum Iuliano Apostatæ contigit, qui
eximius Iudæorum fautor & Christianorum
persecutor cùm templum Hierosolymitanũ
esset restauraturus, iamque fundamentis ex-
fossis, omnem materiã comportari curauis-
set, ignis de cælo descendens vniuersa absũ-
psit: apparentibus in libris & vestibus Chri-
stianorum, Gentilium, & Iudæorum nigris
crucibus, quæ nullo modo tolli poterant &
aboleri. Hæc autem ad improbum & scele-
ratum illum Imperatorem puniendum acci-
disse, vel ex eo intelligi potest, quod ipse
impio & nefario bello Sanctã crucem, quique
in ea pro nostri amore mortuus fuit, perse-
qui non dubitauit.

Socrates l. 3. c. ca. 17. Niceph. l. 10. ca. 17. & 33. Cedrenus p. 252. Ruff. l. 10. c. 38. & 39.

Verùm dimissis istis quæ in historijs circa
cruces accidisse varijs temporibus & diuersis
effectibus legũtur, dico Anglicanas illas Ca
tholicos in Galliæ & Angliæ regno ruentes
animare excitareque voluisse, vt sanguinareã
Tyrannorum contra illos excitatam tempe-
statem fortiter tolerantes, quantumuis cru-
delia tormẽta cum Seruatore nostro ample-
cterẽtur: qui vt nobis vitam conferret, mor-
tem in cruce oppetere non dubitauit, ac per
illam deinde mundum sibi subiecit, gentiliũ

corda deuicit, idololatriam euertit, & mundum ac Infernum pariter debellauit.

Niceph. lib. 17. cap. 3. & lib. 14. cap. 34. Cedrenus pag. 303.

Anno 529. sub Imperatore Iustiniano eius nominis Secundo, Antiochiæ tantus terræ motus coortus fuit, totam vt propè ciuitatē euerterit, ipsiq; adeò illius incolæ, nudis pedibus ex domibus suis prouolantes, magno cum clamore & eiulatu Diuinam misericordiam implorarint. Donec Sancto ac religioso cuidam viro reuelatum esset, si domuum portis verba ista inscripsissent: *Christus nobiscum, state*; è vestigio terræ illum motum esse cessaturum. Idem planè est S. Euthymio Patriarchæ Constantinopolitano euenit, qui postquam de cathedra sua deiectus in Insulā, ad quam eum tempestas depulerat, venisset, in pariete eadem verba: *Christus nobiscum est, state*, legens mirabiliter fuit recreatus. Et debent sanè eodem modo omnes Catholici animari, cū cogitant Christū illis promisisse, quod vsq; ad consummationem sæculi cūipsis sit permansurus: quodq; in virtute cœlestis huius signi tentationum venti ponant, fluctus conquiescant, & maris tempestas in tranquillum conuertatur: Et quod denique illud aliquando tempus adfuturum est, quando constantes Dei serui ac veræ sponsæ suæ, hoc est sanctæ Ecclesiæ filij, pelagi furorem & æstum pedibus suis conculcabunt.

Sacerdotum nonnullorum ex Seminario Vallisholitano in Angliam ingressus, & actiones.

CAPVT VII.

CIrca hoc ferè tempus vndecim aut duodecim

decim Angli Sacerdotes, Seminarij quod Rex Catholicus & alij pij deuotiq; homines, sicut postea dicetur, Eleemosynis suis sustentarit, primitiæ in Angliã appulerũt. Qui etsi simulato habitu vterentur, & quatuor eorũ restibus nautas mentirentur, mox tamẽ capti, ad aulã missi, eius præfecto præsentati, ab eodẽ tandem liberi abire permissi sunt, quod sufficienter satis vnde & cur adueniissent declararent. Imò cùm etiam postea fraus & dolus ille innotuisset, nequaquã tamen ab Hęreticis cõprehendi potuerunt. Qui cũ mox etiam intellexissent priores illos qui intrauerant alios subsequi, credi omnino non potest, quã vniuersum Reginæ consiliũ eã ob causam turbauerit Sumpturi itaq; rationẽ ab ijs qui iam in regno suo versabãtur, omnesq; pariter alios, qui id aliquãdo ingressuri essẽt perterrefacturi, duos Seminarij Rhemẽsis Sacerdotes, quos captiuos habebãt Martyrio afficere cõstituerũt. Horũ alter Georgius Bisley magni animi Adolescẽs, alter Momfredus Scotus vir raræ virtutis & Sanctitatis appellabatur: qui cũ à multis iam annis innumerabiles animas Deo lucrifeciisset, mortem & Martyriũ præmij loco hilari animo tolerauit. Ambo autẽ magna cũ constantia mortui sunt confitẽtes publicè Sanctam fidem Catholicam & à Regina oblatã sibi gratiam fortiter respuentes.

Affecti sunt eodẽ tempore Martyrio in diuersis Angliæ locis ac prouincijs plures alij Dei serui, quos sigillatim ex Sacerdotibus quispiã in eo regno viuẽtibus commemorat: Cuius nobis epistolam subiungere visum est,

Apud nos misero & exulcerato isto seculo mortes, martyria, tormenta, cruces, & carceres quotidiani sunt: omnesq; adeò quæ ad vos emanant epistolæ non nisi de calamitatib. & miseriis quas Catholici perpetiuntur, de diuersis mortium generibus quibus afficiuntur, deq; copioso quem illi profundunt sanguine loqui tractareq; possunt. Non variauit adhuc facies & figura Angliæ, nec excessit furor & rabies Hæreticorum, cum qua hactenus Catholicos persequebantur. Benedictus itaque sit Deus, quod Catholicorum nostrorum vigor & constantia eadem adhuc est quæ semper fuit. Non expectet proinde V. R. aliud literarum mearum argumẽtum, quàm quod tormenta & mortes Dei seruis illatas explicet & complectatur.

In ciuitate Vorque, Mense Aprili Robertus Therfeus Sacerdos ex seminario Rhemensi, fortiter dimicans cursum suũ fœlicissimè consummauit. Fuit hunc ad idem Sacrificium comitatus Thomas Batinsonus Laicus, qui Roberti individuus in vita, morte, & Martyrij gloria socius sedulò operam illi suam in Dominica vinea excolenda collocauit.

Vintomiæ Mense Iulio magno cum omnium Catholicorum applausu & lætitia Sacerdos Rogerius de Kinsonio, & Rodolphus Milnerus Laicus coniugatus, magna cum constantia pro fide Catholica Martyrij coronam acceperunt. Quorum hunc postremum Rodolphum puta, cum iudex nequicquam admoneret quatenus sui, coniugis, & octo librorum memor, semel tantũ Caluinistarum Ecclesiam ingrediendo patibuli ignominiam declinaret: ille magno cum animo respon-

respondit: An ergo tu mihi suadeas, vt pro exigua substantia, pro vxore, & pro liberis Deum perdam ac missum faciam? Adeò videlicet in Sancto illo Dei seruo Iesu Christi illud impletum fuit, quo eum, qui pro sui amore Patrem, Matrẽ, vxorem, liberos, & seipsum impendere dubitat, se dignum non esse.

Eodem in loco eodemq; pro tribunali septem Nobiles virgines, quod dictum Sacerdotẽ Missam celebraturum in domum suam recepissent, morti adiudicatæ sunt. Cùm autem Iudices compassione moti mortis perlatam sententiam exequi differentes, Virgines illas metu tantummodo expugnari posse crederent, & idcircò ad carcerem reduci illos iussissent, omnes confestim in lachrymas solutæ, clara voce eos obtestati sunt, quatenus mortis sententiam exequentes à dulcissimo suo Patre se neutiquam separarent: Dicentes iustum esse, vt cuius in delicto sociæ fuissent, eum quoque morientem comitarentur; cõfidentesq; fore, vt eiusdem Dei benignitatẽ, qui illis animum ad ea quæ fecerant præstanda indiderat, pro sancta etiam Catholica fide mortẽ se constanter esse appetituras.

Eodem Mense Londini alij duo Sacerdotes admirabili cum constantia, voluptate, & fratrũ suorum ædificatione mortem perpessi sunt. Horũ alter Georgius Beseleyus, varijs exquisitisq; ante mortem tormentis excarnificatus, vt quibus cum Catholicis conuersatus, vel à quibus Hospitio receptus esset, reuelaret, Carnificum immanitate contempta nihil eorum manifestauit.

Cum Beseleyo mortẽ similiter passus est grauissimus & sanctissimus vir Momfredus Scotus,

Sacerdos tanta cum spiritus voluptate & modestia, ipsis vt Hæreticis admiratione perculsis, Regiorum Carnificum Princeps gloriabundus dicere non vereretur, optimè se, de vniuerso Angliæ regno, & de Regina ipsa promeritum videri debere, quòd Papistam adeò deuotum, ac pœnitentijs, ieiunijs, & vigilijs tantoperè exhaustum de medio sustulisset.

In turri Londinensi Mense Augusto Thomas Pormortus ex Seminario Romano aduentans, in carcerē abductus, & equuleo subditus fuit. Eodem hoc momento in eadem turri, Nobilissimus eques Thomas FikeHarbe captiuus tenetur, qui cum amicorum suorum non nemini bona & facultates suas vniuersas legauisset, ab eodem spē fruendarum auido accusatus est, quod Sacerdotem in domum suam recepisset: qui octuagesimum ætatis suæ annum agens, in momenta singula fœlicem Martyrij coronam præstolatur.

Verùm sicut turbata aqua fœlix piscatio est: ita Deus in medio istarum turbarum & persecutionum magna piscium quos habemus copia nos reficit ac consolatur. Nos certè Londini non ita pridem sexaginta numero Sacerdotes Sacramenta administrauimus, verbum Dei prædicauimus, & quotidiè aliquos Sanctæ Ecclesiæ reconciliauimus. Imò ne latius me diffundam carissimus noster Frater Thomas Estaucus vestrates liquando collegij socius in vna tantum prouincia trecentas animas Domino lucrifecit. De qua Prouincia cum his diebus Regina admodum sibi gratularetur, Comes Herfordiæ, Puritanorum Princeps ei dixit; posse se Regiæ Maiestati mille & ducentos, si opus sit, Papistas ex ea prouincia trans-

trãsmittere, qui suæ religionis templa frequentare nollent.

Hæc est ergo spes nostra qua erigimur; hoc solatium quo recreamur, quòd videlicet Spiritualia prosperè nobis succedere, & fidelium numerum quotidè augeri, ipsos verò hæreticos à se inuicem dissentire, Puritanos protestantes persequi, Consiliarios Regios, Triremium præfectos, ac vrbium gubernatores, Capitales simultates exercere conspicamur.

De tribus falsis Prophetis Puritanis, qui in Anglia emerserunt.

CAPVT VIII.

EOdem tempore Londini cum innumerabilis Sacerdotum multitudo pro Christi nomine pateretur, tres Hæretici Puritani spiritu & moribus differentes emerserunt Dei se Prophetas esse, ab eoque in regni Anglicani subsidium esse ablegatos impudentissimè mentientes. Horum primus Copengerus appellatus se misericordiæ Prophetam iactitabat: Secundus nomine Ardentonus Iustitiæ & vindictæ Prophetam se esse dictitabat: Tertius Harqueolotus Iesum Christũ se repræsentare inquiebat. Hi omnes simul curribus in forum recti magna voce populo conuocato, qui essent, & quare aduenissent exponebant. Loquebantur deinde admodum indè de Reginæ religione & administratione: acriter & asperè eam reprehendentes, quod Archiepiscopo Cantuarienfi, & equiti Hottoni, magno regni Cancellario

nimium fideret, quos illi à Deo reprobatos, morte dignos Reginæ & Reipublicæ proditores palã coram populo vniuerso nominabant, ac sectæ suæ Puritanæ contrarios esse clamitabant. Addebant deinde Reginam castigatam, ac Regno suo priuatam, moxque etiam in corpore suo punitam iri, anima vtilius saltem saluetur. Hoc facto fictitius ille Christus Reginæ imaginem magna cum alãtium admiratione ac turbatione confregit: cumque nemo non existimaret, eam rem rebellionis, tumultus, & turbarum semina cõtinere, eum confestim arreptum in primario Londini foro septimo Augusti, Anno 1591. patibulo appenderunt. Reliquos autem duos in stultorum custodia detentos, cùm quotidie acriter flagellassent, suis vt vaticinijs contrà Reginam promulgatis renunciarent, obstinatos & peruicaces, carcer morientes conspexit. Fictitius autem ille Christus cùm in furcam ageretur, terribiliter blasphemans, Eliamque compellans, ignem vt cœlitus dimitteret, omnibus malè puta Papam & pestilentiã imprecatus, spiritum Diabolo reddidit.

Adeò nimirum credi non potest, tametsi quotidiana experientia doceat, quanto odio Puritani & Caluinistæ inuicem flagrent. In portu GrauisEndæ Puritanus quidã Norton appellatus in Hollandiam abiens illic vt librum Anglicum contra Reginę Episcopos & profligatam illorum vitam à se compositum prælio committeret, captus, omnique illa pecunia quam pro impressione secum abstu-

lerat

lerat, spoliatus fuit. Sunt & alij non pauci Puritanæ sectæ concionatores, qui ex Anglia in Scotiam transfugientes, contra Reginam, illius administrationē, & sectā Caluinisticā librum procuderunt. Quæ cum ita sint, tantæque dissensiones, odia, & inimicitiæ, inter Sectarios flagrent, ita vt etiam libri atque adeò Prophetæ Reginam impugnent: vnicuique pro suo libitu viuere cōceditur, soli autem Catholici tanta cum barbarie & immanitate, sicut ex historia isthac liquet, incarcerantur, excarnificantur, & cōtrucidantur.

Mors Christophori Hattonis, Cancellarij Regij.

CAPVT IX.

TRes illos Puritanos Pseudoprophetas eo quo diximus modo è medio sublatos Christophori Hattonis Cancellarij Regij, in quem illi potissimum inuecti erant, eodem anno decimo septimo Octobris die, Mors secuta est. Hic Hatton cùm adolescens adhuc insignis formæ & elegantiæ, suas in Comœdia partes pulcherrimè coram Regina egisset, illa subitò pueri amore capta, seruitio suo adlegit, paulatimque maioribus præfectum officijs, tandem in ea, quæ post Reginā maxima erat, dignitate collocauit. Sacris ergò Scrinijs præpositus, ac socijs suis aliquāto moderatior, animo Catholicus, nihil perindè, quam innocentem illorum sanguinem adeò crudeliter profundi dolebat. Verùm cū Reginę voluntati in omnibus morigerari se-

mel constituisset, neq; veritatem dicere, neq; reliquis consiliarijs nostræ religionis capitalibus inimicis aduersari audebat. Habet namque & nostrum hoc sæculum in aulis Principum istiusmodi mortales, qui actiones suas, bona vel mala fautorum amicorumque suorum voluntate, non autem iustitia & ratione metientes, & Principum fauorem gratiæ diuinæ præferentes, extra omnem se culpa esse arbitrantur, quia nimirum tacitè eã non probant. Verùm qui malum facit, quique inid contendit, eandem pœnam promeretur: & sæpenumerò veritatem non dicere, est apud Deum illã vẽdere & prostituere. Porrò Hatton ille prædiues cùm matrimonio se copulare, hæredesque tantarum opum relinquere decreuisset, nunquam ei Regina consentire voluit. Ob quam deinde causam, & propter ea, quæ diximus ab æqualibus miser & infœlix censebatur: tametsi vulgus hominum eius authoritate præstrictum, fortunatum illum existimaret. Visitauit illum decumbentem Regina aliquoties, & quamuis diligẽtissimè eum curari præcepisset, nequaquam tamen morti (quæ veneno conciliata videbatur) eum subtrahere potuit, quemadmodum neque nunc ex inferno liberare.

Memini ego potissimũ in hac historia Comitis Leceſtriæ Valsingami & Hattonis, quod nimirum primarij Reginæ consiliarij, ac intimi amici fuissent. Ad cuius vt etiam beneuolentiæ auram melius velificarentur, Sanctam nostram religionem aut impugnauerit tanquam crudelissimi eius inimici, aut non defen-

defenderunt, tanquam falsi fictique amici. Discãt mihi ab istis Regum ministri & familiares, quomodo primùm Deo, à quo ea in dignitate constituti sunt, ac deinde Regibus suis morigerari debeant. Discant cõscientiæ, Iustitiæ, & publicæ trãquillitatis rationẽ habere. Discãt ex alienis successib. quid sibi cõtingere possit. Discãt ex aliena miseria, vanitate, & prosperitate, momẽtanea sua gaudia metiri: quò talẽ vitã degant, vt ea expleta & absoluta, eorũ pariter fœlicitas nõ finiatur.

Edictum à Regina contra Sacerdotes & Catholicos promulgatum. Eorundem mortes.

CAPVT X.

DEcimoseptimo Octob. die, Cancellario è rebus humanis euocato, sequenti statim die, à Regina contra Catholicos edictum promulgatum est, omnium eorum quę hactenus prodierunt crudelissimum ac lõgè acerbissimum. Cùm enim dictus Cancellarius animo Catholicis faueret, eius publicationẽ, vt crudelẽ hactenus inhibuit; ac ne id à Vvilhelmo Cicilio supremo Quæstore, illius authore publicaretur, neue is tantum authoritatis eo in regno habere videretur, sollicitè præuidit. Simul ac itaque Cancellarius humana destituisset, Cicilius solus ad gubernacula sedens, conceptam diu immanitatem ẽuomitutus, edictũ suũ iussit publicari. Quod quia adeò acerbum, Barbarũ, crudele, & mẽdacijs refertũ est, tùm quòd nonnulla cõplectitur, quæ ad huius historiæ continuationẽ & cõplementũ faciunt, inferius id ponemus,

Simul-

Simulac autem Regina edictum suum publicasset, pœnas in eo comprehensas executura, mox diuersos exploratores per vniuersum suum regnum misit, qui quanta possent diligentia Catholicos conquirerent, ac conquisitos non minore cũ crudelitate castigarent. Inter alios itaque tunc Londini Martyrio affectos, fuit Pater Patesonus Seminarij Rhemensis Sacerdos, qui ea nocte, quæ mortem suam præcedebat in profundum carcerem coniectus, septẽ latrones altera die supplicio afficiendos, socios inuenit. Cùm ecce tibi ille Spiritu diuino collustratus sex admodum ex ijs ad Catholicam fidem conuertit. Qui cùm postea ad mortem subeundam educti, eandem religiônem magna cum patientia, voluptate, & Catholicorum ædificatione confiterentur: Hæretici iniuriam vindicaturi bonum illum Sacerdotem viuum in quatuor partes dissecuerunt. Simile quiddã huic exemplo in Martyrologio Romano legimus, vbi septem latrones, ac deinde Martyres, à Sancto Iasone & Sosipatro, qui cum ijs capti erant, ad fidem Catholicam fuerunt conuersi.

25. April & Græci in suo Martyrologio.

Mortuus est similiter in Ciuitate Norwicẽsi alius quidam Sacerdos, qui in domo nobilis cuiusdam Graij captus, ad Londinense carcerem fuit abductus. Et ante hunc in eadem Londinensi Ciuitate septem pariter ac vna vice Martyrij coronam acceperunt: inter quos tres Sacerdotes Seminariorũ Rhemensis & Romani, quatuor laici, duo equites, & totidem serui, quòd cùm dictis Sacerdotibus

dotibus familiaritatem habuissent, fuerunt.

Martyrio etiã eadem in ciuitate Sacerdos quidam Anglici aspectus vitam consummauit. Et cùm eadem matrona quædam nobilis, filia Melchioris Copleij, & præstantissimi equitis coniux; quòd præfatum Sacerdotẽ domo sua recepisset. Erat hæc matrona iuuencula adhuc, attãmen mirabili religionis zelo prædita: Vnde pari cum constantia mortem intrepida tollerauit, vitãque & Reginæ gratiam, sibi ac Sacerdoti, suas si synagogas frequentassent, oblatam, fortiter repudiauit. Sacerdotem itaque in quatuor partes secuerũt, mulierem autem, non sine omnium dolore patibulo appenderunt. Cæterum hac tã immani tempestate in obuios quosque detonãte, multi nobiles & primarij viri domo profugi ac solum vertere coacti, partem in Irlãdiam, partem in Belgiũ, partem in alia remotiora loca concesserunt. Quin non pauci etiam prædiuites Catholici studiosi Reginæ edicto intellecto, ex vniuersitate Cantabriẽsi & Oxonienſi, ac alijs Angliæ Seminarijs dilapsi, imminenti procellæ se subtraxerunt, & vti postea dicemus, in Patriam quisq; suã redierunt.

Quemadmodum autem Hæretici, qualesnam sint, operibus suis produnt ac demonstrant: Ita Deus virtutem suam in Catholicis, & tenellis ac debilibus mulieribus ostẽdit atque declarat. Quippe cùm illæ sanctas quasdam superiorum temporum matronas imitatæ, opũ, existimationis, libertatis, tormentorum, ipsiusque etiam mortis contemtrices

ptrices, veras se Ecclesiæ Catholicæ filias esse comprobarint. Quemadmodum ex historia modò allata, & ex octo virginibus suprà recensitis licet deprehendere. Quod vt etiam aliquantò melius à nostris ac Hæreticis etiã intelligatur, in sequenti capitulo de constantia nonnullarum mulierum tractabimus, quę vt fidei Catholicæ naufragium non facerent, bona fortunæ, famæ, libertatis, & vitam ipsã in tempestuosũ Anglicanę persecutionis mare eijcere non dubitauerunt.

Primariæ nonnullæ matronæ ob fidem Catholicam bonis, honorum insignibus, & vita ipsa spoliatæ.

CAPVT XI.

INter cæteros Reginæ ministros, qui Catholicos crudeliùs persecuti fuerunt, primum facilè locum Edmundus Traffordus sibi vẽdicat, qui, etsi genere nobilis esset, pauper tamen, & idcircò in religione Cãtholica oppugnãda animosior fuit. Hic Prouinciæ Mauceſtriæ Commissarius declaratus, partim propter odium, quo religionem nostram prosequebatur, partim quòd ex Catholicorum bonis ditescere se posse speraret, officio suo quã posset optimè fungi, Reginæ ad nutum seruire. & Catholicos crudelissimè persequi, decreuit. Inter ea namque quæ Regiæ crudelitatis administri consectantur, primũ est, vt Catholici, quos carceribus adiudicare volunt, opibus & diuitijs effluant, vt deinde ijs ad se deuolutis, crudelitatis suæ fructũ aliquem reportent. Conabatur itaque Commissarius

missarius ille Edmundus matronam quandã Alanã Rosæahl, Cardinalis Guillermi Alanĩ cognatam : quæ cùm illius fratri nupsisset, tres filias ex defuncto habebat: puta Helenã, Catharinam, & Mariam, quarum quæ maxima natu erat, decimum sextum ætatis annum agebat, in nassam suam pertrahere. Sciebat namque eam egregiè Catholicam, Sacerdotibus imprimis esse addictam : cumq; Cardinalem Alanum non posset, rabiem suam in muliere, sanguine ei coniuncta, explere conabatur. Id cùm illa resciuisset ante Deum sibi placandum rata, & contra Sathanæ impetũ se armatura, Sacrificio missæ interfuit, sub illo communicauit, Deumq; obtestata est, quatenus viribus contra hostes suos instructa, animosè in campum descenderet, & antè bona, vitamque adeò ipsam deponere, quàm vel latum vnguẽ ab officio Christianæ & Catholicæ mulieris, discedere constitueret. Hoc ita facto in parte secura & minimè suspecta se abscondit, tribus suis filiabus domum & quæ in ea erant donans atque committens. Altera itaque post Epiphaniam die, Reginæ ministri eum magno sceleratorum hominum agmine in matronæ domũ irruentes, eius sibi claues & arma vniuersa adferri iusserunt. Exacto insuper à Domesticis iuramento, quod vbi eorum hera esset, ignorarent. Cùm ecce tibi equitis cuiusdam imaginem, quã illi Doctoris Alani esse credebant, muro affixam cõspicati, & nescio quo furore perciti, post mille cõuitiorũ claustra in picturã illã effusa, pugionibus tãdẽ adorti discerpserũt, terræq; affictã pedibus proculcauerũt. Post-

Postquam autem omnes domus angulos excussissent, bonaque vniuersa, præter sola honestissimarum virginum vestimenta comportassent, ac alia insuper in domo mille & quingentos Ducatos (quos bona mater filiabus suis, in necessitate cõstitutis reliquerat) conquisiuissent: longo sibi adhuc tempore inibi commorandum esse arbitrati sunt, tum vt omnia absumerent & dilapidarent, tum quod separarent, Matronam illam interea iri detectam. Verum illa de omnibus certior facta, ac bonorum tantùm oblita, nihil perinde timebat, quàm ne filiæ suæ Hæreticorum illo furore perterrefactæ & consternatæ, aliquid dicerent aut facerent, quod sanctam illarum, in qua educati erant, disciplinam dedeceret. Qua cura & sollicitudine extimulata eas officij sui admonebat, & quomodo imbelles illæ ouiculæ ex leonum se vnguibus liberarent, instruebat. Illæ verò maternum consilium secutæ, inuicem sibi animos addebant, & ante vitam, quam Catholicam religionem perdere constituebant. Cum autem deinde viam aliquã, si non securam, at saltem non periculosam, qua effugerent aliquãdiu circũspexissent: Ecce tibi circa noctis medium, domesticis excubijs dormientibus, porta clanculum & secretò egressæ, ad ripam scapham inueniunt: qua conscensa, & in alteram partem traijcientes, extra viam secesserunt, & ne forsitan comprehenderentur, nulli planè mortalium, qui essent, aperuerunt. Ita ergo quatuordecim diebus euolutis, post multas molestias & ærumnas

rumnas tolleratas, eum in locum, vbi earum mater erat, peruenerunt: quæ mortuæ quàm viuæ similior, ne inter spem & timorem pendula, & quid filiabus suis fieret incerta, nihilominus diuinæ bonitati confidebat, quæ eos nunquam deserit, qui pro religionis suæ zelo & amore antè vitam suam perdere, quàm religionem Catholicam prodere constituerũt.

Quamuis autem deuota mater, filiarũ suarum incolumitate perspecta, admodum lætaretur, angebatur tamen etiam, quòd iã neque Patrem, neque rem familiarem, neque aliud deniq; sustentaculum haberent. Quare ad amicos & necessarios suos conuersa, quibus bona sua vniuersa donauerat, eos obnixè obtestata est, vt in sui ac filiarum suarũ gratiam Iudices accederent, & quæ ex testamẽto Patris, Matrisque donatione filiabus debebantur, reposcerent. Verũm cùm homines suam potiùs quam alienam vtilitatẽ spectẽt, & cum dubijs & aduersis mutati, beneficiorum obliuiscantur, neminem bona mater reperire potuit, qui id negotij in se susciperet, Senatum Regium offendere bona confiscata repetere, & in hac materia religionis, Anglis tantoperè odiosa, vellet versari. Suadebant igitur alij, ipsas filias in iudicium mittere, ac bona sua reposcere; quod videlicet non dubitarent, eas, ratione ætatis, à Iudicibus habita, aliquid esse impetraturas, quod alius nõ citra maximam difficultatem obtinuisset. Intelligens autem deuota mater & Mulier verè virilis animi, filias suas non antè coram tribunalibus iri exauditas, quã Caluinistarũ se

Synagogas aditûras promisissent: & si id promittere nollent in carceres abducendas ac omnibus bonis spoliandas præuidens, ne filias suas ipsamq; adeò religionem Catholicã in apertum discrimen immitteret, nũquam huic tàm periculoso consilio obtemperare voluit.

Confiscatis ergò omnibus illius bonis, ac sententia in ea prolata, ipse Gubernator vniuersa quæ consequi poterat, ad se rapuit atq; pertraxit. Mater autem per amicos & tertiam sæpè personam ab inferioribus iudicibus, ad supremum Reginę consilium appellans multo tempore absumpto, illud tandem consecuta est, vt intelligeret, Consiliarios quantò altiore in loco & gradu constituti sunt, tantò ampliùs perfidos hæreticos, & immisericordes, filiabus suis minus compati, bonaq; sua ardentiùs expetere atque sitire. Verùm enimuerò nisi illustria illa officia & munera hominibus virtute præditis conferantur, tũ verò ambitionis, impietatis, & auaritiæ fomites sunt, sicut ex hoc negotio apparet.

Destituta proinde venerabilis illa matrona non modò omnibus suis bonis, sed eorum etiam recuperandorum spe, non tamẽ idcircò patientiam, & animæ suæ tranquillitatem perdidit; imò quãtas potuit Deo gratias persoluit, eò quòd se beneficio demereri voluisset: præferens paupertatem Christi, omnibus diuitijs ac fortunis, quas in Anglia possederat: E qua cum duabus maioribus natu filiabus egredi constituit, potiùs in paupere & securo exilio, quàm cum Patria in periculo versa-

versari volens. Ducta itaque à Dei Angelo, post longas & diuturnas mari & terra deuoratas molestias, cùm sæpenumerò interdiu in syluis delitere, ac noctu iter conficere cogeretur, ad extremum duobus euolutis mensibus, Rhemos incolumis cum maximo omnium Catholicorum gaudio, maximè verò Doctoris Alani cognati sui, peruenit: qui tùc Seminarij, Rhemensis Rector, nunc verò dignissimus Romanæ Ecclesiæ Cardinalis est.

Alij cuidam matronæ primariæ equitis Mordant vxori, pro fide Catholica captæ à Regina iudicatum fuit, vt sui, ac mariti memor, semel tantùm *Hæreticorum* templum, dum in eo diuinũ suum officicium celebrarent, pertranſiens, certissimo vitæ periculo & ignominiæ se subtraheret. Cui illa respõdit: Malle se, Reginæ, mariti, omniumque amicorum & familiariũ gratia excidere, quã aliquid dissimulationis in confessione suę fidei, & obedientiæ Deo debitæ, præseferre. In quo illa proposito constanter perseuerãs, multis annis in carcere remansit, quòd Reginæ obtemperare noluisset.

Tres aliæ matronæ nobilissimo genere natæ, cùm Missæ interessent, ipso Paschatis die comprehensæ, per publicas Londini plateas, magno cum ludibrio ducebantur: præcedẽte illas sacerdote eo habitu, in quo Missam dixerat, hęreticis autẽ mille conuitiorũ plaustra in eas euomẽtibus. Cũ ecce tibi illæ incredibili robore septæ, oĩa perpetiebãtur,

& hæreticos in stuporem dabant, Catholicos verò mirabiliter ædificabant.

Alia quædam matrona Clitera nomina, similiter nobilis & coniugata, postquam coram iudicibus intrepida Catholicam se professa foret, ad nullam prorsus quæstionẽ respõdere voluit, ne legitimos illos ea in causa videretur existimauisse: neue morte, quâ pro Christo Iesu perpeti desiderabat, respõsione aliqua impediret. Etsi itaque iudices crudelissima illã se morte affecturos minitarentur, nisi ad interrogata responderet, illa tamẽ fortis & constans, ne vocẽ quidem mittere voluit, sed mortẽ quã dicemus, intrepida tolerauit. Manibus & pedibus ligatam interra, oculis cœlum spectantibus, nudam deposuerũt: ac infra renes, immanæ magnitudinis saxum imposuerunt; pectus autẽ ingenti põdere sensim onerauerũt, quoad sanguine per os, aures, & nares erumpente, illa incredibili cum patientia animam suam Deo tradidit. Magna hæc crudelitas circunstantibus visa est, quòd cernerent genus mortis adeò terribile, in tale muliere, & in tali causa. Maneat proinde hærefin infernalem quandam Furiã esse, & impietatis ac crudelitatis suę modum ac terminum ignorare.

Nunc quoniam quà maritatarum, quà viduarum, quæ pro Christo mortem perpessæ sunt, mulierum hactenus exempla recensuimus: antequam capitulo huic finem imponemus, nõnulla etiam de Monialibus, Seruatoris

ris nostri sponsis in rem præsentem adducamus: vt ita quilibet mulierum status ac exẽpla habeat quæ imitetur.

Inter religiosos, qui persecutionem Elisabethæ declinaturi, ex Anglia in Belgiũ transfugerunt, fuêre integri quatuor conuentus, duo Carthusianorum & Frãciscanorum: Duos Monialium: quarum aliquæ Sancti Dominici, aliquæ Sanctæ Brigidæ (dictæ de monte Sion) profitebantur. Horum monasteriorum duo, puta Monachorum Franciscanorũ, & Monialium Dominicanarum, maturè & tempori subuersa fuerunt; alia verò integra adhuc visuntur, & sicut hactenus, ita nunc quoque Eleemosynis Regis Catholici sustentantur. Monasterium Sanctæ Brigidæ multas terribiles tempestates & procellas ab hæreticis Anglicanis perpessum fuit; tùm quòd in eo virgines, elegantis admodum formæ, Deo consecratæ, & carnalium voluptatũ ac libidinum hostes, quas illi tantoperè consectantur, erant; tùm quia multæ nobilium & primariorum filiæ ex Anglia profugentes, eis se adiungebant. Verùm cùm propter nimiam illarum copiam omnes se sustentare non possent, post multas orationes & pœnitentiæ opera se diuidere, Seniores Ruan in Galliam, iuniores verò & nobiliores in Angliam mittere constituerunt. Quo facto, hæretici in principio facilè se tenellas illas virgines, & monasticæ disciplinæ vix assuetas adhuc blanditijs se suis transuersum acturos & suplantaturos, existimabant.

In quo posteà admodum cum se falli videret easdem in diuersos Anglicani regni carceres abripuerunt. Verùm cùm neque isto modo quicquam efficeretur, indulserunt ijs Regij Cõsiliarij, vt ex carceribus protractæ, in priuatis quorundam magnatum ædibus custodirentur. Mox autẽ cùm multæ nobiles & primariæ virgines ijs se adiungerent, & cum Christo Seruatore nostro perfectam castitatem profiteri inciperent (tantum nimirum virtus laboribus pro Deo exantlatis confirmata, potest) re ad iudices perlata in carceres publicos denuò magna cum crudelitate coniectæ sunt. Inter has quædam Elisabetha Sandera, Doctoris Nicolai Soror, quoties capiebatur & affligebatur, prçter cętera hęc quoque scribebat. Apprehenderunt me apparitores, altera iam vice, in germanæ meæ sororis domo, & tanquam itinerum aliquem subsessorem cæpissent, multò crudelioribus iudicibus, quàm Anna, Caiphas, Pilatus, & Herodes erant, me representabant: qui etsi multa inepta à me scire cuperent, egò tamen breuiter ijs satisfaciens, primùm mulierem, ac secundò monialem esse dicebã: vt per illud intelligerent, noua me in Angliæ regno moliri nõ posse: per hoc cognoscerẽt, Catholicã me religionẽ profiteri, siquidẽ illorum secta Moniales ignorãt. Scisciabãtur ex me, quos nã in Anglia Catholicos nouissẽ & multa istiusmodi alia. Vndè ad extremũ indignati, in carcerẽ vrbis Vintonienſis me coniecerũt, vbi cùm fame mihi conflictanti absq; dubio moriendum fuisset, nisi Catholicorum quorundam

rundam charitas, qui eodē in carcere à tribus iam annis vincti tenebantur, necessaria mihi suppeditasset. Inuitabant me sæpè blandè & pertinaciter, vt eorum Ecclesias frequentarē, & concionibus interessem; quod cùm ego me facturam negarem, tribunalibus me sistebant, exigētes à me in menses singulos octuaginta Ducatos, quod videlicet eorū Synagogas adire noluissem. Quæ summa cū intra semestre spatiū ad quingentos ducatos excresceret, ego autē soluēdo non essem, perpetuò me carceri adiudicauerunt. Transeo hic ministrorum Regiorum & apparitorum multa infamia, & facinorosa dicta, quæ ego nequaquam deuorare potuissem, nisi similia Seruatorem pro peccatis nostris tolleraſſe cogitassem. Atq; vt breue faciam capta aliquando in castello de nocte per funem ex carcere me demisi, non tam vt ex diuturna custodia liberarer, quàm vt Rothomagum quo ab Abbatissa mea mittebar, concederem. Adiuuante ergo Deo, post multos & varios successus, ac carceres, cum magno animæ meæ refrigerio ad desideratum monasteriū perueni, vbi summa cum lætitia à meis sororibus excepta sum, quæ Deo gratias quas poterant persoluebant, quod me ex tot periculis & carceribus eductam, tandem in portu & vado constituisset. Cui laus, honor & gloria.

Hæreticorum stultitia explosa in quatuor pueris, & fratribus pro fide capiendis.

CAPVT XII.

EA est Anglicanorum Tyrannorum crudelitas, vt non contenti, Sacerdotes & a-

lios Catholicos, qui vel generis splendore, vel literarum præstantię, vel denique sua authoritate Caluinianæ sectæ formidolosi Catholicam religionem propugnare possunt; non inquam mulieres maritatas, viduas, & virgines cepisse contentis; ipsos etiam pueros comprehendere non vereantur, quorum tenera ætas, vel inter barbaros, extra omnem iniuriam constituta est. Relictis itaque pluribus exemplis, vnum tantùm modò referamus, quod sicut cæteris illustrius est, ita præclarè hæreticorum malitiam, & Dei, de illis triumphantis, bonitatem ostendit. Erãt quatuor fratres, Thomas, Robertus, Richardus, & Ioannes Vvortinthonij dicti, Patre nobili nati, & Sacerdotis Thomæ Vvortinthonij, qui Patris frater erat, nepotes. Horum maior natu Septendecim expleuerat, minor vndecim necdum annos exegerat. Omnes autem quatuor in prouincia Lanceſtre à Iustitię ministris, quadam in domo Sacerdotem illorũ auunculum quærentibus, capti fuerunt. Dici omninò non potest, quibus artibus Reginæ Consiliarij, eius Pseudoepiscopi, & ministri vsi fuerint in pueris istis peruertendis: quantoque è contra illi robore & spiritu præditi fidem Catholicam propugnarint, ac ne vocem quidem miserint, quæ Sacerdotibus & Catholicis illis, de quibus interrogabantur, aliqua saltem ex parte posset præiudicare. Primò namque ijs à se inuicem separatis, ac duobus maioribus à minoribus alijs seclusis, Ioannem natu minimum toto die famelica inedia se confecturum dixerunt. Eidem deinde

inde plurimum vini ingesserunt, sperantes, iudicio destitutum, facilius ad interrogata esse responsurum. Verùm ille Deo protegẽte, & si largiter bibisset sano adhuc iudicio ad interrogata responsurus, dicebat, se quòd liberaliùs vinum hausisset, ratione & iudicio obfuscato, eorum quæstioni satisfacere non posse. Qua quidem ratione eorum manus effugit. Hoc dimisso, maximũ natu Thomam appellatum introduxerunt: quem cùm Comes de Arbi multis illecebris ac delinementis eò perducere conatus esset, vt Ecclesiarum suarum aliquam adiret, ac ministorũ hæreticorũ concionibus interesset: promittendo illi, se eum in Domum suam acceptu. rum, liberaliter admodum habiturum: ille annis puer, animo autem viro similior, respõdit, fidem se Catholicam omnibus Comitis beneficijs anteferre. Vnde cùm etiam postea interrogaretur, vbi Missam audiuisset, quis esset, & vbi eius auunculus moraretur: Adigentibus illis eum ad veritatem iuramẽto confirmandam, respondit, Neutiquam se facere posse quod imperarent: Iurare nolle, quòd necdum quid Iuramentum sit, sciret, & quandò, vel quomodo, & vtrum secundum Dei leges iurare liceret. Hæc quoad ille non perfectè didicisset, conscientiam suam neutiquam oneraturum dicebat. Quæ omnia etsi similiter in duorum aliorum fratrum examine obseruassent, ac multa pertinaciter ex eis exsculpere tentassent, verbum tamen omninò nullum exprimere potuerunt, quod in alicuius Catholici iudiciũ cessurũ videretur.

Atque ne diutius me diffundam, omniaq; ea, quæ totos illos quatuor Menses, quibus pueri isti captiui tenebantur, acciderunt, in pauca conferam, dico eos sæpenumerò per primarios viros ac præcipuos Reginæ ministros, Pseudoepiscopos, Concionatores, Doctos, & Iustitiæ ministros aditos & examinatos, diuersis modis & vijs tentatos, non blanditijs, non promissis, non minis, non scuticis, non asperis vel bonis verbis latum digitum à lua cõstãtia & religione potuisse dimoueri. Imò cũ violẽter in Caluinistæ cuiusdam Ludimagistri scholã deportati essẽt, vt corruptæ societati immixti, sub disciplina & institutione hæretici Præceptoris blandè & secretò dulce hæreseos venenum imbiberent: nunquam librum legere, vel audire voluerunt, qui religionis materias persequeretur: dicẽtes, in ijs quæ ad fidem sunt ita se informatos instructosque esse, nihil vt noua doctrina, ac alio Magistro indigerent. Quin ne quid etiã miraculorum à Deo, qui ab ore infantium ac lactentium laudari vult, prætermissum videretur, ijdem pueri bono suo exemplo & verbis ita nonnullos condiscipulorum sui in amorem pellexerunt, vt Catholicam religionem amplecti, ac illos imitari se velle dicerent. Iam cùm de religionis nostræ negotijs interrogarentur, adeò firmas & plausibiles eorum quæ dicebant, rationes adferebãt, quidam vt aliquando Hæreticus Concionator, qui falsæ suæ doctrinæ zizania in puerorum illorum pectoribus serere moliebatur, ijs respondere ac satisfacere nullo modo potuerit.

erit. Quemadmodum ergo hæreticarum quæstionum summa erat, vt Ecclesias Anglicanas irēt, & Reginæ morigerarētur: ita ij vnū hoc responsum continuò inferebant, se in rebus temporalibus & ciuilibus ei obedientiā præstituros, in religionis autem negotijs illi nequaquam se teneri obedire. Vt interim hoc loco alias rationes præteream, quas hæretici audientes, confundebantur; Catholici verò, ædificabantur, & ad vitam suam ea pro religione deponendam animabantur : pro qua imbelles illos puerulos tanta cum constantia & robore dimicasse videbant. Postquam verò Deus eos abundè probasset, ac per illos veritatis vim demonstrasset, eos ex hæreticorum manibus multifariam liberauit, ac aliquot mensibus euolutis, ad Seminarium Rhemense perduxit, vt aliquando doctiores ex eo in Angliam reuersi, maiore cum animo hæreticos capitales suos inimicos deuincant.

Hæretici Anglicani Catholicis veneficij crimen imponunt.

CAPVT XIII.

HAbet hoc præter cætera Anglicana Synagoga, vt Catholicos tanquā Magos & veneficos tractet & habeat, imitata in eo gentiles Imperatores & Tyrannos, qui in Christianorum persecutione, si quid virtutis heroicæ, aut miraculi in ijs fuisset animaduersum, id continò Necromantiæ & ma-

& malis artibus attribuebant. Si ignis eos nō vssisset, ferrum non læsisset, aqua non absorbuisset, si plagæ & inflicta vulnera diuina ope coiuissent; tùm verò sancti illi Necromitæ incantatores, & malefici appellabantur, prout ex sacris Martyrum historijs licet intelligere. Idem nunc planè in Anglicana synagoga obtinet, quo videlicet facilius huius nostræ persecutionis, cum antiquis illis similitudinem & consonantiam intelligamus: Sciamulque vnum illarum authorem esse, & sicut illæ cessauerunt, ita quoque hanc finituram & sanctam ad extremum Ecclesiam, de persecutoribus suis triumphaturam.

Pyramis Londinensis combusta.

Pyramis Londinensis nonnullis ab hinc annis, mirabiliter sanè de cælo tacta, conflagrauit incendio furioso & inextinguibili: quis aduersariorum rem non attribuit nostrorum præstigijs? veneficia quædam aut incantationes, membranulis & figuris conglomeratæ, cum similibus nescio quibus ineptijs, terræ venis abditæ, fuerunt aliquando à quibusdam inuentæ. Res putabatur ad Reginæ perniciem & interitum composita.

Minister de pewington.

Quis non insimulabat huius facti Catholicos? at paulò post compertum est, ministrum quendam magiæ fuisse authorem, & participes habuisse acerrimos Euangelicos: secutum est altum de re tota silentium, nisi quòd aliqui deriuandi criminis causa, adijcere solebant, illum fortè ministrum, dissimulasse religionem, & fuisse animo reuera Papistam. Cum haberentur comitia

Linckstius, in ciuitate Oxoniensi,

in ciuitate quadam Academica, oblatus est iudicibus Bibliopola quidam, cui verba nonnulla in religionis Catholicæ fauorem exciderant.

Habitus

Habitus est à consessu perasperè: præter multa enim grauissima carcere perpessa, res tandem partim Quæsitorum suffragio partim acerbitate iudicum, eò deducta est, vt hominis prius in foro diffamati auriculæ clauis ferreis colūnæ ligneæ affigerentur, & deinde cultro in manus propriæ tradito, ipse earum se dissecatione liberaret. Res visa est multis supra modum seuera. Quid secutum est? mirabile sanè Dei iudicium. Iudices ambo, (solent enim præesse duo) omnes etiã Quæsitores, & multi ex præcipuis totius consessus, cum plurimis assistentium, paucissimis diebus inaudito morbi genere, partim in ea ciuitate, partim alibi perierunt. Sed & hoc etiam Catholicorum magiæ tributum fuit.

Quid ergo nobis integrum, quid securum, cũ non solùm aliena peccata, sed & iudicia Dei manifesta nostram in fraudem & calumniam vertantur?

Verùm nos innumeris, quæ adduci possent exemplis in præsentiarum omissis, vnum tãtùm referemus, ex quo id quod dicimus manifestius euadat, tùm quomodo Catholici hæreticos suos vlciscantur, constet; omnia enim ista Sanctam nostram religionem astruunt atque confirmant.

Historia de restitutione.

Aegrotare cæperat generosus quidam aulicus, vitæ splendidæ, & fortuna non infirma. Huic grauiter laboranti (vt eiusmodi tempore euenire solet, vel negligentissimis) ingesserat se quædam acris de futura vita cogitatio. Aduocauit presbyterum, (erat enim sententia Catholicus) vt illius consilio rectè mori disceret. Ille, pro ratione officij, & Ecclesiæ Catholicæ consuetudine, admo-

admonuit inter cætera, vt si qua in re quemquã læsisset, aut aliena bona minus iustè occupasset: interetur statim, pro facultate restituere. annuit ægrotus: occurebat animo, quiddam olim Caluiniano cuidam, iuris quidem specie subla-

Sacerdotis nomen erat Alunaysus.

tum, sed conscientiæ Catholicæ minimè secura: iubet restitui: moritur. Vxor autem vidua, cũ mariti voluntatem perimplere discuperet, nec auderet tamen hæretico reddere, angebatur vehementissimè, nec expedire se poterat. Dum hærebat autem, accurrit fortè fortuna Sacerdos, impertit ei dolorem suum, obtestatur vt vel opera vel consilio iuuet.

Die tertio paschatis.

Vir Dei, perspecto fœminæ sanctissimo desiderio, zelo plenissimus, obtulit se in rei faciendæ discrimen, existimans hominem tàm ferum & barbarum non futurum, qui de beneficio vindictam expeteret. Itaque re prius Deo commẽdata, conscenso equo, viam ingreditur: cumq; ad ciuitatem peruenisset, quam habitabat is, cui

Huius nomẽ erat Fisherus, de ciuitate Vuarvuicensi.

erant pecuniæ reddendæ: collocat equum in proximo diuersorio, vt paratus ad fugam esset statim post expeditum negotium. Ipse domum creditoris petit, euocat solum, & manu prehẽsum, seducit à cæteris. Narrat se pecunias habere, quas ei sit ea conditione traditurus, vt nihil inquirat, vel demittente, vel de latere, vel de re ipsa: tantum accipiat & fruatur vt suis. Spondet

Pecuniæ erant 20. Libræ Anglicanæ.

senex, & firmissimè promittit: & gratijs amãt hominem dimisit. Sacerdos magna contentione festinat ad hospitiũ, vt equũ ad fugiendũ arripiat, sed frustra: statim enim à sene perfido proditus, & à viris ab eo missis comprehensus est. Et primùm quidem hanc ei calumniam fecerunt,

vt non

vt non hominem, sed diabolum esse dicerent, qui pecunias à se factas attulisset ad senem illaqueandum. Et huius rei illo argumento vtebantur præter cætera, quòd equum nigrum haberet; quem obseruabant diligenter, an aliorum equorum more fœnum commederet. Deinde etiam Sacerdoti ipsi iniecto ferro, & intra cubiculum munitum concluso, addiderunt quendam, qui die noctuq; cum illo esset, & obseruaret, an vllo tempore ocreas detraheret, & si pedes equinos, bisidos, aut bisulcos haberet, illo enim indicio cognosci dæmonem humana specie latitantem affirmabant. Ingens autem populi multitudo domum obsederat, & pecunias effusè offerebãt, vt hoc monstrum oculis intuerentur. Iam enim populo persuasum fuerat, esse reuera Cacodæmonem.

Hi erãt duo Fisoheri fratres.

Diabolus habetur qui aliena restituat.

Quis enim vnquam (inquiunt) humanæ mẽtis compos, pecunias vltrò offerret, & gratis largiretur homini ignoto, hospiti, & peregrino? Cum aliquandiu Christi seruum hac contumelia agitassent, simulabant. (& fictè ad maiorem iniuriam) se hominem velle liberum dimittere. At Caluinianus ille ingratissimus qui pecunias acceperat, subornarat qui egredientem retraheret è fuga, & reum ageret læsæ maiestatis. Quo facto, repentè totus diripiebatur. Et equo quidem eius vtebantur pro suo libitu: pecunias verò omnes auferebant, excepta quadam particula quæ itineris expensis inseruiret ad Londinensem vsque ciuitatem, quò eum paulò pòst captiuum mittunt, firmo & diligenti satellitio septum. Vbi cum veniisset, & consilio regio rem exposuisset, (vel vnipotius eorum, ne res ad

Hic erat Fischeri frater

mortu

mortui ignominiam diuulgaretur) reiectus est ab eis ad Superintendẽdem Londinensem, qui illum primùm in vnum carcerem, deinde in alium, tertiò in arcem Londinensem coniecit, vbi ad quartum ferè annum, vix euitatis tormentis, pœnam luit huius nefandi restitutionis flagitij.

Hoc est primò in ianitoris sui custodiam. Secundò in carcerem qui vocatur, Porta V vest- monasteriensis.

Fructus, quem ex ea persecutione Catholici sunt indepti.

CAPVT XIV.

AVdiuisti Christiane lector, modos quibus Anglicani hæretici religionem Catholicam ex suo regno extirpare, ac omnes qui eam profitentur, persuadere allaborant; Modos reuera absque modo, media impia, crudelia, infamia, hæreticis Caluinianis propria, in Inferno tradita, & in Sathanæ schola excogitata. Vt ergo bonitas Dei intelligatur, quantoque eius brachium hostium suorum malitia potentius sit, in vulgus etiam constet: Sciant mihi omnes Catholici, quotquot aliquando hanc historiam lecturi sunt, id tandem Reginam ac illius ministros cum omnibus suis machinis, quibus hactenus religionem nostram oppugnauerunt, fuisse cõsecutos, quod Catholici confirmati, purgati, in multis reformati, post persecutionem istam maiore cum cautela & diligentia, in fide sua confessione viuere incœperint. Cùm enim Regina Maria moriretur, & religio in Anglia mutaret, post Episcopos & prælatos Catholicos captos & fugatos, populus velut ouium grex, sine Pastore in magnis tenebris & caligine

gine animarum suarum oberrauit. Vndè etiã factum est, multi vt Catholicorum, superstitionibus, impijs dissimulationibus, & grauibus iuramentis, contra Sanctę Apostolicę sedis authoritatem cùm admodum paruo, aut planè nullo conscientiarum suarum scrupulo, assuescerent. Frequentabant ergò hæreticorum Synagogas, intererant eorum concionibus, atque ad easdem etiam audiendas filiam & familiam suam compellebant. Videbatur illis, vt Catholici essent, sufficere vnà cũ hæreticis eorum templa non adire ferre autem posse, si ante vel post illos eadem intrassent. Communicabatur de sacrilega Caluini cœna, vel secretò & clanculum intra priuatos parietes Missam qui audiuerant, ac posteà Caluinianos se haberi volebãt, ij Dei se præcepto satisfeciſſe existimabant. Deferebantur filij Catholicorum ad Baptisteria Hæreticorum, ac inter illorum manus, matrimonia contrahebantur. Atque hæc omnia sine vllo scrupulo fiebant, puta propter Catholicorum Sacerdotum ignorantiã, qui talia vel licere credebant, vel timore quodam præpediti, dissimulabant. Nunc autem per Dei misericordiam omnes planè Catholici intelligunt, vt saluentur, non satis esse corde fidem Catholicam credere, sed eandem etiam ore oportere confiteri. Tùm non Iudam tantùm, qui Seruatorem nostrum prodidit & vendidit, sed D. Petrum etiam peccasse, qui eum negare non dubitauit. Non negant Papam vniuersale Ecclesiæ caput esse, & Christi in terris vicarium; Inficiantur autem Reginam

Spiritualem aliquam in Anglia authoritatẽ sibi arrogare posse. Sciunt non licere sibi hæreticorum synagogas adire, & eorum conciones non audire: Sciunt se filios & domesticos suos ad Caluiniana templa mittere non debere, ne, quos Christo genuerũt, eos Diabolo immolent atque sacrificent. Venerãtur illi sancta Ecclesiæ Sacramenta, honorant Sacerdotes, ac omnia alia sacra obseruant. Imò etsi Regina morte sanciat, ne quis agnũ Dei, cruces, medalia, & rosaria benedicta circumferat: ea tamen Catholicorum pietas est, potiùs vt vitam, quã deuotionis suæ fructum perdere velint. Denique vt vno verbo omnia complectar, petet horribilem isthanc persecutionem, Catholicos magna ex parte correxisse: tribulationisque illum igne, præteritorum peccatorum scoriam sustulisse, ac illos in Dei amore feruentiores splendidioresque effecisse.

Catholici in Anglia Hæreticorum Synagogas adire, & Reginam pro Ecclesiæ suæ capite agnoscere nolunt Eius rei causa.

CAPVT XV.

DVo ferè esse, quæ hæretici Catholicis in Anglia opponere ac obijcere consueuerunt, ex ijs quæ hactenus à nobis allata sunt exemplis, facilè omninò intelligitur. Primi est, quòd Anglicanas Synagogas non frequentare, & hæreticorum concionibus non interesse: Secundum, quòd Reginam Angliæ, in spiri-

spiritualibus caput, non fateri velint. Vndè operæprecium facturi videmur, si in hoc Capitulo causas præcisas & obligatoreis commemoremus, propter quas meritò & benè Catholici facere istihæc videantur. Ac primo quidem præsupponendum fuerit cum D. Hieronymo, tantam nonnullarum hęreseon esse impietatem, nullus vt homo ita impius & sceleratus sit, quem non hæreticus impietate superet & anteuertat. Hinc sanctus Ioannes Euangelista & multi alij, hæreticos Antichristos appellant. Hinc Sanctus Irenæus, contra Valentinum hæreticum scribens, dicit Apostolos nunquam cum hæreticis rem habere, aut sermonem instituere voluisse. Hinc Sanctus Athanasius in vita Sancti Anthonij Abbatis refert, eum hæreticos tanto odio fuisse prosecutum, passim vt author Catholicus esset, nullo vt cum hæretico cõuersarentur. Hinc Sanctus Cyprianus, in quadã epistola nos monet, vt neque cum ijs cõmunicemus, neque comedamus, neque verba cõmutemus; imò vt tàm procul ab ijs nos absentemus, quàm longè illi ab Ecclesia discedunt. Hinc Sanctus Leo Papa inquit: Fugite colloquia, & sermones hæreticorum, tanquã venena viperarum; nec cum ijs viuere præsumite, qui Christianorũ nomine abusi, bellum contra Christi fidem gerunt. Hinc Theodoretus in sua historia refert, in Ecclesia Samosatena, quæ Catholica erat, hominem planè nullum inueniri potuisse, qui Hæretico Episcopo concionanti, auscultare

Lib. 7 in Isaiam. 1. Ioã 2. & 4. Cypli. 4. epist. 7. Hilarius contra Aurel. Augustl. li. 2 contra aduersl. leg. & Proph. ca. 2. lib. 3. ca. 3. epist. 3.

De passione Domini.

Lib. 4. c. 14

vellet, nec cum eo balneum ingredi, neque etiam eum in id subsequi, nisi antè aqua, in qua lauisset, foret effusa. Hinc Lucifer, Episcopus in Sardinia pro fide Catholica exul, ad Constantium Imperatorem, à quo relegatus erat, librum scripsit, in quo multis Hagiographorum authoritatibus astruit, non potuisse Catholicos absque religione, vel salua conscientia cum hæreticis cõmunicare. Quãuis autem Catholici hac cautela in omnibus vti debeant, ea tamen præsertim in religionis negotijs, & Sanctissimæ nostræ fidei confessione necessaria fuerit: quæ sicut purissima est, ita nulla simulatione tegi, vel Hypocriseos macula debet aspergi. Hoc fundamẽto ita præsuppositio, intelligimus Sathanæ in Anglia ministros, aliud non quærere, quàm vt Catholicos cogant in religionis materia, obedientiæ quam Reginæ debent, rationem habere. Tùm vt ijdem in huius obedientiæ signum Synagogas suas adeãt, Diabolicamque suam doctrinam audeant: quod omninò Catholicorum nemo bona conscientia facere potest: Indicaret namq; isthoc modo ea, quę hæretici faciunt, sibi nõ omninò displicere. Sanctus Eusebius Vercellensis Episcopus pro fide Catholica, à Constantio Imperatore Ariano, pro fide Catholica relegatus, ad Episcopum missus fuit, qui ipsius Arij aliquando socius, Patrophilus dicebatur. Hic cùm Sanctum virum in obscurum & horribilem carcerem coniectum, aliquot dierum fame affixisset: cibum se ei porrecturum non dicebat, nisi

Nota.

nisi illum ex sua domo, & ex domesticorum manibus accepisset; addebatque id si faceret, confestim se publicaturũ, Eusebium secum communicasse, suamque fidem amplexatum esse. Sin verò cibum respuisset perhibiturum se, eum inedia ex desperatione vitam sibi violenter ademisse. Cùm ecce Sanctus ille vir mori potiùs, quàm quæ hæreticus Episcopus ex sua sibi domo misisset, comedere constituit; Non quòd mortem sibi conscisce vellet, sed quòd satiùs putabat mori, quàm hæretico occasionem aliquam dare publicè iactitãdi, se illius fidem esse amplexatum, prẽter quod ille aliud non desiderabat. Vnde literas ad eum dedit, in quibus causas, propter quas ex sua manu cibum sumere nollet, exponit, iuxtaque indicat, si inedia periret, non alium quàm Episcopum sui homicidam futurum. Vicit Sanctus vir sententia isthac sua, ita, vt nec fame conficeretur, nec cum hæretico communicaret; Deus autem in illo & per illum glorificaretur. Vide mi Christiane lector, vtrum hæc quæ à nobis hactenus allata sunt, non Anglicanos nostros Catholicos concernãt, qui hæreticorum templa frequẽtare, & eorum concionibus interesse coguntur; Quod tamẽ ipsum ferendum aliquo saltem modo posset videri, nisi Regina etiam sibi iuramentum præstari, & pro Anglicanæ Ecclesiæ capite se vellet haberi: In quo quidem vno infinita, prodigiosa, & horribilia monstra continentur. Vt enim hoc loco taceam, mulierem natura ipsa capacem non esse viri vt caput, ac multò minus integri

Commendationis opus.

Cultus & religio ergà Deum.

regni & Ecclesiæ constituantur: Vtrum homines non intelligunt, se potestatis isthoc nomine ei concedere, vt quæ ipsa non habet, ea alijs conferat & impertiatur. Nam quomodo illa Episcopis, quomodo Sacerdotibus potestatem concionandi, animas regendi, & Sacramenta administrandi potest concedere cùm nec ipsi secundum D. Pauli præceptum in Ecclesia concionari, vel loqui liceat; Quid quòd etiam ea præscribere & cõstituere potest, quid prædicatores concionari, quibus cæremonijs Sacramenta administrare, quomodo Deum reuereri, ac illi seruire debeãt? Quid quòd eosdem castigare, & beneficijs suis priuare illi licet, nisi statuta & leges Ecclesiasticas à se perlatas, obseruent? Quid est hoc aliud, quàm quidã Oceanus ineptiarum quàm pelagus sacrilegiorum, quàm abyssus quædam errorum.

Primùm enim Pontifici Romano, qui Ecclesiæ caput, & Christi in terris Vicarius est, potestatem derogant & adimunt, vt per Angliam in rebus spiritualibus imperare nihil possit: dum videlicet illum Pastorem vniuersalem à Seruatore nostro constitutum, agnoscere nolunt; Satis superque hoc ipso indicantes, se Dominico gregi annumerari nõ debere. Atque ex hoc deinde sequitur, eos in vno corpore mystico, quod est Ecclesia duo Capita, vnum Romæ, aliud in Anglia constituere; imò tot capita fabricari, quot regna & imperia Christianus orbis complectitur. Qua enim Regina ratione sibi spirituale imperium in suo, hac eadem quilibet Rex in si-

bi sub-

bi subiecto Regno id arrogare potest & vendicare. Quod si ita esset, iam tot Ecclesia capita haberet, quòd orbis regna; sicque monstrorum omnium monstrosissimum efficeretur. Vt nihil hic de communione sanctæ Ecclesiæ dicam, quam in symbolo Apostolico profitemur, & quam multiplicari, nodumq; illum & vinculũ solui oporteret, quo omnes totius orbis Christiani, per tàm diuersos mundi angulos diffusi, & moribus ac legibus differentes, constringimur, vnumque mysticũ corpus cõficimus, cuius caput Iesus Christus est, & eius loco, illius Vicarius. Sileo hîc etiam portentosa illa authoritate, portã ad quoslibet errores & hæreses patefieri, quas Rex aliquis sibi ipsi non constans, excogitare potest & propugnare. Quid quòd neq; generalia Concilia celebrarentur, si quilibet Rex in suo illa regno indicere posset, aut si celebrarentur, nemo eorum decretis & statutis parere vellet & obedire? Patuit hoc sanè in Consilio Tridentino, ad quod Regina, nullos cũ Legatos Prælato súe misisset: postea eiusdẽ etiam decreta recipere non voluit. Quo quidem illa omnes Episcopos, Archiepiscopos & Patriarchas non Anglicanos, vel si Anglicani sunt, non à suprema sua potestate consecratos excludit: adimens isthoc modo omnem authoritatem quibuscunque Iurisdictionem, & potestatem decidendi, & controuersias ac errores, quibus Anglia abundat, iudicandi. Confundunt ad extremum & peruertũt ordinem rerum humanarũ & diuinarũ, præferẽtes corpus animæ, imperiũ ciuile

ſpirituali, regnum terrenum cœleſti, poteſtatem inferiorem ſuperiori, & oues denique paſtori. Facientes ex capite pedes & ex pedibus caput: Concedentes ſubdito libertatem Iudicem ſuum iudicandi; eximentesque Reginam omni cenſuræ & diſciplinæ Eccleſiaſticæ: à qua quidã nemo, verus & legitimus Chriſti filius vnquã excipere auſus fuit. Cùiq; adeò prodigioſi, & horribiles in falſo illo titulo, errores contineantur, quid amabo cauſæ eſt, quòd homines ratione præditi legibus, pœnis, mortibus, & ſupplicijs adeò infamem & diabolicam Tyrannidem ſuſtentare non verentur? Imò quid cauſæ eſt, quòd Catholici titulum illum agnoſcere nolẽtes, vita priuantur, in partes ſecantur, tormẽtis affliguntur, & acerbiſſimis ſupplicijs excarnificantur.

In epiſt. ad ſolitariam vitam agentes.

S. Athanaſius magnus, vir aſſuetus hiiuſmodi procellis, in hunc modum de Conſtantio Imperatore ſcribit. *Quid hic, quòd Antichriſti non ſit, omiſit? aut quid ille, vbi venerit, plus committere poterit? aut quam ille in aduentu ſuo non repererit ſibi expeditam viam ad dolos ab iſto præparatam? ſiquid em iam dẽnuo in locum Eccleſiaſticæ cognitionis ſuum Palatium tribunal cauſarum conſtituit, ſeque earum litium ſummum principem & auctorẽ fecit. Et iterum: Quis videns eum in decernendo Principem, ſe facere Epiſcopum, & præſidere iudicijs Eccleſiaſticis, non meritò dicat, illum eam ipſam abominationẽ deſolationis eſſe, quæ à Daniele prædicta eſt?* Et iterum: *Quando à condito auditum eſt? Quando iudicium Eccleſiæ auctoritatem*

ctoritatem suam ab Imperatore accepit? aut quando vnquam hoc pro iudicio agnitum est? Plurimæ antehac Synodi fuere, multa iudicia Ecclesiæ habita sunt, sed neque Patres istiusmodires Principi persuadere conati sunt, nec Princeps se in rebus Ecclesiasticis curiosum præbuit. Et Hosius Cordubens. Episcop. vir celeberrimus ad eundem Imperatorem scripsit, teste Athanas. loco citato. Ne te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potiùs, ea à nobis disce. Tibi Deus imperium cõmisit, nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit:

Eodem quoque tempore, & eundem Imperatorem sics affatus est Leontius Trypolis Lydiæ Episcopus. *Miror qui fiat, vt cùm alijs curandis destinearis, alia tractes; Quum enim rei militari & ciuilib. negotijs præsis, tamẽ Episcopis ea præscribis quæ ad solos pertinet Episcopos. Verecundia igitur* (ait Suidas) *tactus Imperator, eiusdem edictis in posterum abstinuisse fertur.* Ambrosius itidẽ sic alloquitur Valẽtinianũ iuniorẽ Imperatorẽ. *Noli te grauare ô Imperator, vt putes te in ea quæ diuina sunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, sed si vis diu imperare, esto Deo subditus*, scriptum est: *Quæ Dei, Deo, quæ Cæsaris, Cæsari, ad Imperatorem Palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ; Publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum.*

Suidas in verbo Leõt. epist. 33.

Transeo hic D. Hilarij, D. Gregorij Nazianzeni, D. Chrysostomi, & aliorum Sanctissimorum, Sapientissimorumque Doctorum dicta & authoritates, quibus illi abominabilem illam Reginæ Elizabethæ potesta-

tem impugnant atque euertunt. Certè nisi hæc ineptia adeò detestanda foret, nunquam mihi credite, ipse Caluinus (cuius Euangelium tanta cum impietate Angli amplexantur, vt pro eius defensione, Innocentissimorum Dei seruorum sanguinem profundere non vereantur) Blasphemos illos existimasset, qui Regi Henrico 8. Elizabethæ Patri (viro non mulieri) titulum capitis Ecclesiastici, attribuebant. Adeò quidem, vt Infernale illud monstrum, & viua Sathanæ effigies Caluinus, eiusmodi abominationem pati nó potuisse videatur. Iam ipsi etiam Lutherani hæretici factum hoc reprehendunt & abominantur, vt Angliæ primores taceam, qui, cũ in primo Parlamento de Regina pro Ecclesię capite admittenda consultarentur, videntes rem absurdam esse, iuramentum pręstare noluerunt, tametsi ad id Episcopos, Prælatos, & alias Ecclesiasticas personas obligarent; quẽadmodum à nobis in tertio libro parte prima huius historiæ dictum est.

Quæ cùm ita sint, omnesque Anglicani Catholici, mille potius vitas profundere, quàm animas suas oppignorare, remque adeò fœdam, adeò monstrosam, sanctæ nostræ fidei contrariam, ab omnibus sanctis impugnatã, Ecclesiasticis vnioni aduersantem, & à nemine non rationis prædito hactenus iugulatã, admittere & approbare debeant: hinc Reginæ ministri tanta cum immanitate & barbarie sicut diximus, Catholicos persequuntur nullam reuera aliam ob causam, quam quia salutis suæ nolunt obliuisci. Nõ contenti autem

tem ijdem leges & edicta, superioribus annis contra illa publicasse, indies multò adhuc truculentiora acerbioraque promulgãt. Ea his ego, quod mihi crudelissimum esse videtur, quodque illi Anno 1591. ediderunt, loco huic annectam.

Edictum Reginæ Angliæ Caluinianam hæresim oppugnantis, aduersus omnes Catholicos suiregni, quod in alios quoque Christianæ Reipubl. Principes indignissimas contumelias continet; Promulgatum Londini 29. Nouemb. Anni 1591.

PER REGINAM.

CAPVT XVI.

DEclaratio magnarum turbationum, quæ contra Rempubl. intentantur, per multitudinem Seminariſtarũ, ac Iesuitarum, qui clam immissi, & per regnum dispersi sunt, vt insignes proditiones operentur sub ementito nomine religionis, cum prouisione valde necessaria de remedio ad malum hoc euertẽdum, edicto Maiestatis suæ publicata.

QVanquam non defuerunt probabiles quædã causæ, quibus persuadere nobis potuissemus, nunc tandem post triginta ferè & trium annorũ gubernationem nostram, quibus Deus Omnipotens perpetuò nos conseruauit in pacifica regni nostri possessione inimicorum nostrorum violentam ac ferocem malitiam, (præcipuè verò Regis Hispaniæ) qua tot annis iam conatus est sine vlla iusta causa Rempubl. nostram turbare, languidiorem tandem & infirmiorem futu-

futuram, hocq; non solùm in illo, verumetiam in alijs omnibus, qui ab illo dependent: & quod hac inimicitia mutaretur aliquando in morem, aliquando magis pacificum, quo Rex iste idoneè disponeretur ad viuendum nobiscum, & cum ceteris Christianis Principibus vicinis suis in concordia, eaq; ratione pax aliqua vniuersalis in in Republ. Christiana constitueretur, quamodò illius solummodò bellu, armisq;, & nulla alia prætereare perturbata cernitur.

Bellum ob ambitionẽ.

Nihilominus tamen ex præsentibus eius actionibus, quæ maiori apparàtu ac potentia susceptæ sunt, quàm vnquam anteà, contrariùm planè perspicimus: quòd nobis sane persuademus, placuisse tandem Omnipotenti Deo, exercitum permittere ruinam & correctionem istiusmodi hominum, qui induci non possunt, vt rebus suis contenti, pacificè viuant, & hac de causa permisisse huic Regi, vt hac ætate suà iam inclinata (quæ paci esset aptior) & eo tempore, quo maximè cõtentus esse deberet dominijs propijs, absq; hoc, vt aliena per vim & arma quæreret. (Plures enim hodie coronas, plura regna & nationes, plures etiam diuitias terrenas possidet, quàm vlli anteà maiorum suorum, aut vllus vnquam Christianus Princeps habuit.) Nunc (inquam) hac ætate permisisse Deum, vt bellum longè iniustissimum, & vniuersæ Reipubl. Christianæ periculosissimum contra præsentem Franciæ Regem incipiat, quod etiam manifestum est, illum contra nos quoque ante biennium cogitasse, vt regna scilicet nostra inuaderet, hocq; eo maximè tempore, quo nobiscum de pace tractabat, sed Deus ei restitit, & non solum ipse,

sed

sed vniuerso etiam exercitui suo iustam causam resipiscentiæ dedit.

Cum igitur nunc pro certo intelligamus, Regem Hispaniæ, vt nouo aliquo colore actiones suas exorbitantes & violentes muniat, prouocasse nuper, vt Mediolanensis quidã Vasallus suus ad Papatũ Romanum exaltetur, eumq; seduxisse, vt sine consensu Collegij Cardinalium thesauros Ecclesiæ exhauriat, ad milites in Italia (quæ antea in se nullum bellorum sonitũ habebat) multũq; alijs in locis conscribendos, quos sub nepotis sui ductu in Galliã mittat, ad regnũ illud inuadendum, quod illi Ecclesiæ in omnibus oppressionibus suis semper auxilio fuit: cumq; hoc bellum tam generaliter ac potenter contra Galliam susceptum nostro etiam statui ac dominijs non potest esse, non valdè periculosum, præsertim cũ nobis per multis modis pernotum sit, Regis præparationes, tam maritimas, quàm terrestres maiores fore contra nostram coronam ac ditionem pro anno sequente, quàm vnquam hactenus fuerunt.

Præterea cum sciamus Regem hunc pro istis promouendis, ex occasione potestatis Papæ sui peculiaris, quem sibi subiectum ac à cinctu suo pẽdẽtem habet, practicasse cum præcipuis quibusdam seditionum capitibus, Regni nostri ingratis subditis (licet obscuris admodum natalibus) vt magnis laboribus, ac Regis sumptibus multitudinem quandam dissolutorum adolescentum, qui partim ob victus inopiam, partim ob crimina à se commissa facti sunt fugitiui, rebelles, ac proditores patriæ.

Cumq; pro his alendis ab sustentandis receptacula

ptacula quædam partim Romæ, partim in Hispania, aliisq; in locis, Seminariorum nomine erecta sint, in quibus instituantur, & cum satis edocti in Scholasticis quibusdam seditionibus videntur, tum indè clam in dominia nostra mittuntur, cū amplissimis Pontificis facultatibus, ad persuadendum omnibus, quibuscum agere audebūt, vt obedientiam nostram, nostræq; Coronæ debitam deserant, spe nimirum Hispanicæ inuasionis, qua eos mirabiliter ditandos fore reliquorum nostrorum fidelium opibus persuadent.

Propter quam causam etiam Sacerdotes isti subditos nostros, quibuscum tractantur, iuramentis ac Sacramentis quibusdam deuinciunt, vt subiectionem suam naturalem nobis debitam abiurent, omnemq; obedientiam, vires, & opes, Regi isti Hispanico offerant, ad exercitum eius iuuandum, cum venerit: ad quam etiam rem efficacius efficiendam, & vt facilius populi simpliciori Seminatores illi seditionum imponāt, Bullas quasdam Papales secum adferunt; quarum aliquæ indulgentias habent, promittentes cæli omnibus, qui sua cōsilia sequentur; aliæ verò maledictiones continēt, damnationem & Infernum minitantes, si qui fortè perditis eorum persuasionibus non acquiescunt.

Et quanquam genus hoc molitionum Papalium, iamdiu apud aliquos in vsu fuerit, tamen aliquo etiam modo per nos impeditæ fuerunt, directa quadam legum contra istiusmodi perduelles executione. hocq; tantùm ob proditiones & læsæ Maiestatis crimina, & ob nullum

nimiū

minimè religionis articulum, vt eorum fautores falsò, ad actiones eorum fucandas persuadere vellent: quod tamen ex eo manifestè refutatur, quod in processibus criminalibus, qui contra istos fiunt, non accusantur, neque condemnantur, neque morti traduntur, ob aliud quàm ob supremæ Maiestatis læsæ crimen: affirmantes inter cætera, quòd si Papa contra nos & religionem nostram exercitum aliquem mitteret, ipsi ei adhærerent, & à partibus eius starent.

Præterea quod nullus istorum mortem patiatur propter religionis negotium, ex hoc etiam euidentissimè probatur: quod multi viri locupletes in regno nostro cognoscuntur esse, qui religionem nostræ contrariam profitentur, & tamen neque vita neque possessionibus, neque bonis, neque libertate, ob hoc ipsum plectuntur, sed tantùm vt soluant summam quandam pecuniarum, tanquam pœnam pro tempore, quo Ecclesias nostras frequentare recusant: qui modus agendi noster, clarissimè refellit sermones illos, & libellos infamatorios, quos fugitiui nostri in terris alienis diuulgant.

His tamen non obstantibus, certissimè nobis constat, capita quædam istorum latibulorum ac receptaculorum, quæ per duelles nostri Seminaria seu Iesuitarum collegia vocant, recenter admodùm Hispaniæ Regi iterùm persuasisse, quod etsi antea magna illa classis HISPANICA contra nos instructa; successum infœlicem habuerit, si tamen iterum rem aggrediatur, fore parata intrà insulam multa hominum millia

millia (vt ipsi ad commodum suum rationem ineunt) qui exercitum eius, in terram semel expositum, sequuantur, & quanquam Rex secundum prudentiæ regulam & experientiam superioris temporis, nullam huiusmodi spem de immittendis militibus suis in Angliam concipere deberet; falsis tamen his promissis & informationibus tentatus est.

Informationes verò istæ fiũt Regi in Hispania, præcipuè per Scholasticum quendam vocatum Personium, qui id sibi assumit, vt Regis Catholici Confessarius sit: & ROMANO Pontifici per alium Scholarem Alanum nomine, qui iam ob suas contra nos proditiones Galeri Cardinalitij honorem accepit. Hi duo nominum quorundam Catalogos his Principibus exhibuerunt plurimorum hominum, quos isti existimant factionis suæ esse, vel fore, præsertim in locis maritimis ditionum nostrarum, & certissimos Hispanicarum partium fautores, & coadiutores, cùm exercitus aduenerit. Et quanquam tum Papatum etiam Rex rectè intelligant maiorem partem eorum quæ isti suggerunt falsa esse: tamen cum videant Seminaristas istos, sacerdotes & Iesuitas idoneos esse, qui impijs suis designationibus inseruiant, & populum suum reconciliatum in perdita sua constantia conseruent, non paucos ex eis recenter, id est intrà decem vel duodecim mensium spatium huc clam in Angliam miserunt, vt per regnum dispersi, complicibus suis annuntient, Regem omninò statuisse, (quemadmodum ex aliquibus eorum comprehensis intelleximus) sequente anno vires suas vniuersas contrà Angliam iterum semel adhuc exerum

Iesuitæ in Angliam missi.

periri: sed quia nonnulli ex Consiliarijs Regis reliquis prudentiores existimant, nihil hac re profici posse, ideò Rex cogitauit, si contra nos nihil proficiat, eandem tamen classem posse, non incommodè contrà Galliã, aut Belgiũ, aut contrà partem aliquam Scotiæ (quò etiam nonnulla Seminariorum istorum progenies immissa est) conuerti.

Quapropter cum Regis Hispaniæ intentiones ita nobis patefactæ sint, vt amplius de eisdem dubitare non liceat; quanquam minimè profectò dubitemus, quin Deus iustarum omnium causarum defensor, easdem planè irritas facturus sit, (quemadmodum semper fecisse cernitur) tamẽ officij quoque nostri est, qui supremam sub potentissima eius manu gubernationem accepimus, media omnia adhibere, quæ ipse nos donauit, & ea concurrere cum diuino ipsius fauore per auxilium fidelium nostrorum subditorum, tùm ad vires nostras augendas, omni illorum potentia, tùm ad leges cõtra seditiosos exequẽdas, aliasq; politicas ordinationes adhibendas, quibus proditiones istæ impediri possint. Itaque primo loco & ante omnia hoc postulamus, ab Ecclesiasticis nostris, vt omnis diligentia adhibeatur piorũ Ecclesiæ ministrorũ vt tùm doctrina, tùm vitæ etiam exemplo retineant constanter populum in professione Euangelij, & in officio tũ erga Deũ, tùm etiam erga nos, eoq; magis, quod videant paucos seditiosorum ac proditorum dũces continenter in eo occupari, vt per Seminaria abducant simpliciosorum & ignorantium multitudinem ad fescinationes & incãtationes suas.

Secundò quantum pertinet ad copias nostras tàm mari, quàm terra parandas ad discutiẽdos vtres illos inflatos, qui ex Hispania nobis intentantur: confidimus per illum ordinem, quem his iam de rebus præscripsimus fore, nos potẽtiores, quàvn quã antè ab hostibus resistendũ: ad quod tamen omninò requirimus, vt subditi nostri, tùm manibus, tùm crumenis etiam, & consilijs suis nos adiuuent, & omnes oratione instante apud Deum agant, vt nobis adsit in hac defensione, tã naturæ debita, tàm honorifica, necessaria & vtili: cum sit tantummodò pro tuenda natura patria, pro conseruandis vxoribus, pro familijs, pro liberis, pro honoribus, pro bonis, pro libertate, & posteris, contra exteros crudeles, & rapaces, contra desperatissimos Patriæ depopulatores, ac proditores monstrosos.

Tertiò, vt remedia etiam opportuna & matura adhibeantur, contrà secretas & fraudulentas machinationes Seminariorum, Iesuitarum, aliorumq; proditorum (sine quibus videtur quod Rex Hispaniæ nihil saltem hoc tempore attentaret) quiq; falsa quadam Sanctitatis specie in animos subditorum nostrorum se insinuant, vt conscientias eorum peruertant, & ad proditiones paulatim disponant: omninò nobis constitutum est, Commissarios statim ad omnes regni nostri comitatus, prouinciasq;, cum mandatis amplissimis dirigere, & ad omnes ciuitates, oppida, locaq; maritima eorundẽ, qui summa diligentia, modisq; omnibus legitimis inquirant de personis omnibus suspectis, qui vel per-

sua-

suadeant, vel persuadere sibi permittant, obedientiam vllam cuiuscunque generis sit, Papæ vel Regi Hispaniæ præbendam esse.

Et quia multi ex istis Seminarijs cognoscuntur ementito habitu in regnum nostrum ingredi, & tanquam alterius longè generis homines in ipsas se vniuersitates, & aulas etiam Principũ, familiasq; nobilium virorum fœminarumq; (quo tutius lateant) callidissimè ingerere: ideò mandamus seuerissimæq; præcipimus omnibus & singulis, cuiuscunque generis, status, sexus, conditionis, dignitatis, personis, immò etiam cunctis palatij nostri officialibus, mĩnistris & Magistratibus & cuiuscunque familiæ Dominis, aut communitatis alicuius Rectoribus, vt statim ineant exactissimam rationem earum omnium personarum, quæ his saltem quatuordecim proximè elapsis mensibus domos suas frequentauerint, aut in eisdem habitauerint. versati fuerint, dormierint, aut comederint, aut in præsentia quicquam horum faciunt aut in posterum facturi sint, nempè cuius nominis, conditionis, & qualitatis istiusmodi personæ sint, in qua ANGLIAE parte natæ: vbi anteà conuersatæ per integrum saltem anni spatium, antequam in domum suam venissent: quomodo, & vndè se sustentent: quid faciunt, quænam loca soleant frequentare, quibuscum versari, & si temporibus debitis, & per leges nostras præscriptis ECCLESIAS nostras adeant, & diuina officia debitè audienda. &c.

Vniuersa autem hæc examina in libros particulatim referri præcipimus, hosq; libros apud vnumquemq; patrem familias diligenter per modum registri & cedarij asseruari volumus ex quibus Commissarij nostri, quando eis videbitur, expedire, tùm personarum quæ in suspicionem venient conditiones, tùm Patrum etiam familias diligentiam fidemq; inde perspiciant.

Si quis autem minus libenter ad hæc examina respondere perspectus fuerit, aut in responsis dubius apparuerit, huiusmodi statim comprehendi volumus, & ad aliquem ex Commissarijs, qui ei loco vicinior fuerit, cum custodia transmitti: Quod idem etiam fieri præcipimus de Patribus familias, domorumq; rectoribus, qui in examine hoc faciendo negligentes se aut remissos præbuerint, vt à Commissarijs castigentur pro qualitate delicti: si verò aliquis deprehensus fuerit, qui personas eiusmodi suspectas foouerit, aut intra spatium 20. dierum post huius edicti in prouincijs publicationem easdem Commissarijs non detexerit: hunc castigari volumus eadem pœna, qua proditorum ac perduellium complices, fautores; & coadiutores castigari solent. In quo firmiter omninò & determinate statuimus nullum prorsus permittere fauorem aut castigationem, ob cuiuscunque personæ respectum, cuiusuis fuerit dignitatis aut conditionis, imò nec vllam penitus excusationem negligentiæ, aut omissionis admittere, eorum qui proditores istos non detexerunt, aut examen iam dictum studiosè non fecerint de personis omnibus, quæ in suspicionem vllo modo venire

possunt

possunt, cùm hoc nullo contrarium sit, sed consonum omninò antiquissimis regni nostris legibus, optimisq; eiusdem consuetudinibus pro conseruanda subditorum obedientia, nobis ac Coronæ nostræ debita. Datum in palatio nostro Richmondiæ, die 18. Octobris 1591. Regni verò nostri 33.

Vide mihi iam nunc sis Christiane lector Reginæ Anglicanæ edictum, quod si tu attentius paulò legeris, & Anglicanæ religionis statum, & nostræ historiæ veritatem ipse agnosces. Quod si deinde illius finē, si rationes, si denique filum & contextum consideres, reperies edictum istud, contra Deum impium, contra Romanum Pontificem, & Catholicū Hispaniarum Regem Philippum falsum & impudens, contra Sacerdotes Seminariorum & Iesuitas crudele & barbarū, vniuerso Angliæ regno crudele & intolerabile, ac denique multis contradictionibus, repugnantijs, & falsitatibus plenum esse, quas qui illud composuit, vel non aduertit, vel certè dissimulauit. Etsi autem ego probè intelligam, historici nequaquam esse ad istiusmodi calūnias respondere, sed eas tantùm planè ac veraciter ita referre, vt præter fructum voluptas etiam aliqua lectori adferatur, tamē quia negotium istud Deum, ac illius regilionem concernit; & verò quia ego ad historiam hāc scribendam accedens, persecutionem omnium crudelissimam, legentium oculis subijre, hæreticorum nostri temporis malitiam & impietatem declarare, ac eorum fraudes,

astus, & stratagemata propalare conatus sum, beneuolum hic lectorem monitum volo, non minutim edicto me illi responsurum, sed vberiùs aliquantò quàm soleo ea quę nostram religionem cõcernunt, pertractaturũ. Quemadmodum enim historia ista non nostræ tantùm ætatis hominibus, qui rerum præsentium cognitionem habent, sed multò magis venturis seculis, ac hominibus rerum nostrarum ignaris, scribitur & consignatur; ita eos veritatem, vti est, non autem sicuti in edicto depingitur, cognoscere decet. Verùm enimverò quod mandatum istud a Regina publicatum est, cuius consilia grauia & circumspecta, decreta iusta & considerata, ac verba etiam vera & præcisa esse debent: existimare aliquis posset, quæ in hoc edicto dicuntur vero esse, quàm simillima. Quo quidẽ facto lector deciperetur, & fructum laboris mei nequaquam consequeretur. Vnde operę pretium fuerit vnà cum ipso edicto eius Alexipharmacũ, exponere, ne videlicet incautus lector veneno inficiatur, & falsitatẽ, veritatem esse arbitretur. Quatuor ergò præcipuè in hoc edicto continentur. Primò mẽdacia contra Regem Catholicum Philippũ. Secundò absurda & impudentiæ contra Papam. Tertiò falsitates & contradictiones aduersus Seminaria. Quartò edicta contra Seminaristas, & Patres Societatis Iesu. vnà cum nouis & exquisitis, eos capiendi & circumueniendi modis.

Quatuor mendacia Edicti.

Duo autem edicti huius fines sunt. Primus

mus vt nostra religio, & Catholici qui eam profitentur, ac Sacerdotes qui eam tradunt, in odium vocentur. Secundus, vt timore classis Hispanicæ & aliarum fictarum proditionum Anglos Reginæ subditos perterrefaciat; quo ita Seminaristas maiore odio prosequantur, & Reginam suam promptius propugnent ac tueantur. Ego itaque cætera omnia, quæ minus religionem nostram concernunt, præteriens directè illam attingentia, & finem meum spectantia huius historiæ insertum ibo. Non commemorabo itaque somnia ac deliria illa Anglicana, contra Papam & Regem Catholicum eo in edicto contenta; sed tantùm in duobus punctis, & quatenus religionem nostram attingunt, delibabo.

Quod præsertim ita falsa illa esse constat, nihil vt opus sit ad ea respondere, ipso lectore primò statim intuitu manifestam falsitatẽ vanitatemque deprehendente. Tũ verò, quia iniquum est sapientissimorum maximorumque Principum nunquam satis laudatas actiones, ab vnius mulieris, Hæresi præstrictæ, & à consiliarijs occœcatæ, putido & absurdo edicto velle defendere. Quod præsertim alij Scriptores sunt, qui edicto illi respondent, & veritatis luce densissimas illius tenebras ac noctem depulerunt. Horum ego duo quædam opuscula legi: alterum cui titulus erat. *Exemplar literarũ missarum è Germania ad Dominum Guilielmum Cecilium Cõsiliarium Regium*; ibi obiter obserua Ceciliũ

illum Anglicani edicti primarium facilè auctorem fuisse; alterum Theologiæ quidam doctor Andreas Philopater cõscripsit, ac Anno 1592. Lugduni publicauit; ad quæ Lectorẽ remitto.

Edictum Anglicanum impium, & in Deum blasphemum est.

CAPVT XVII.

NVnc vt eorum, quæ dicturi sumus initiũ faciamus, aio ante omnia, Reginæ illud edictum impium & in Deum blasphemũ esse; quòd videlicet omnibus suis Ecclesiasticis subditis imponit, vt in Ecclesijs pij ministri sint, qui sua doctrina, & vitæ morumque exemplo, populum in Euangelij professione conseruent. At quæro hîc ex vobis Caluinistæ, quodnam illud Euãgelium est, quod Angliæ populum retinere vultis & conseruare? Estne id Euãgelium Iesu Christi Redemptoris nostri? Estne id illud, quod Spiritus Sãctus dictauit & inspirauit? Quod Euangelistæ cõsignarunt? Quod Sãcti Doctores explicarũt? Quod fideles amplexati sunt? Quod innumerabiles fortissimorum Martyrum exercitus sanguine suo propugnarunt? Quod Ecclesia Romana, iam inde à Sancto Petro vsque ad Paulum V. propè iam ipsos sexcentos annos agnouit & conseruauit? Quod omnes nationes, Prouinciæ, & totius orbis Christiani regna, profitentur? Quod vsque ad Henricum VIII. omnes Principes & Reges Christiani in Anglia tãta cum deuotione & pietate habuerunt

erunt? Quod innumeris, manifestissimisque miraculis in omnibus retrò seculis & mundi regionibus fuit confirmatum? Propter quod multi nobiles & magnates Regum pallatia deseruerunt, mundi pompas contempserũt, ciuitatibus excesserunt, Eremos inhabitauerunt, & loca deserta in Paradisum & immortalia quædam Templorum mutauerunt? Propter quod Monasteria infinita & innumerabilia, quà virginum, quà Sanctorum Monachorum, qui in corpore mortali Angelicam vitam ducebant, excitata fuerunt? Quod crucem annunciat, quod pœnitentiam, quod vitæ rigorem, nostrarum passionum mortificationem, mundi nauseam & contemptum, æternitatis affectum, Deo obedientiam, ac illius ministris debitam, quod castitatem, quod humilitatem, quod patientiam, quod mãsuetudinem, quod denique innumerabiles alias longè pulcherrimas & diuinas virtutes tradit, quas Iesus Christus doctrina & exemplo suo nos docuit? Hoc est enim Euangelium Iesu Christi Seruatoris nostri, hi illius magistri & hæc effecta. Illud autem, quod hodierna die in Anglia floret, est Euangelium Caluini, & Sathanæ eius magistri, fundatũ in incestu & libidine Regis Henrici, qui viuente adhuc legitima vxore cũ filia sua, ita turpiter consueuit, vt ipse ad extremum eã publica sentẽtia iusserit decollari. Hoc vestrum Euangeliũ in Anglia Bucerus, & Petrus martyr, duo insignes Apostatę & fęx ac opprobrium religionum, annunciauerunt: Ioannes autem Caluinus Buceri discipulus, natione Picardus,

propagauit: homo sine fide, sine lege, sine Deo, propter turpitudines exul: cuius vita abominabilis, doctrina pestilens, mors horribilis, secta autem incendium quoddam infernale fuit, quod intra paucos admodum annos, multas prouincias & regna hausit atque absumpsit. Hoc vestrum Euangeliũ Deo bonitatem (constituendo illum peccatorum nostrorum authorem) hominibus liberum arbitrium, Ecclesiæ Sacramenta, bonis operibus mercedẽ & efficaciam, diuinæque gratiæ virtutem adimit & derogat: blasphemũ est contra Redemptorem nostrum, iniurioſũ contra redemptos, quia videlicet infernum dilatat, & omnibus peccatis ac corruptelis viam pandit. Hoc vestrum Euangelium innumerabiles religiosos & religiosas ex monasterijs pellexit & turpitudinibus Caluinianis dehonestauit: Hoc mentiri docet, hoc peiurare, hoc fingere, hoc dissimulare, hoc adulari, hoc Hypocritas esse, hoc principes ouinam pellem induere, & nihilominus laniare, occidere, sanguinem profundere, & more luporum gregem Dominicum deuorare. Quantas, Deus bone, seditiones, quantas turbas, & tumultus nouũ hoc vestrũ Euangeliũ, ab eo tẽpore quo primùm emersit, in mundo excitauit? Quot ciuitates euertit, destruxit, & solo adæquauit? Quot prouincias vastauit, quot regna depredatum est, quantum denique innocentis sanguinis profundere non dubitauit? Dicat hoc Gallia, dicat Belgium, dicat Scotia, dicat etiam vestra hæc Anglia: Siquidem omnis illa tyrannis, barbaries, crudelitas

Blasphemia in Deum maxima.

tas, & sæuitia, quæ hodie apud vos obtinet, aliud nihil sunt, quàm vestri Euangelij fructus. Quibus ita constitutis, Euangelium adhuc vestrum, Deo attribuere, & ad illum referre audetis? Potestne blasphemia maior ista reperiri? Potest aliquid impudentiùs contra Deum dici, quia sicut æterna & infinita bonitas est, ita omnem malitiam auersatur. Et sicut fons lympidissimæ aquæ est, ita Doctrinam adeò turbidam & cœnosam profundere non potest. Mihi credite, Dominici Euangelij puritas, sordes, maculas, & abominationes illas, quas vestrum prædicat, pati & tolerare non potest. Imò impossibilè est duæ vt viæ adeò diuersæ & contrariæ, vti sunt vitium & virtus, malitia & bonitas, peccatum & gratia, ad eundem terminum pertingant: vtque lux & tenebræ, Christus & Belial in vnum concurrant.

Maneat ergò quod in principio dicebam, Anglicanæ Reginæ edictum contra Deũ impium debere videri, quod videlicet pro Dei Euangelio doctrinã adeò monstrosam & impiam amplexatur, quæ vti dicebam cum incestu plantata, innocentum sanguine rigata, plus quàm Scytica barbarie & immanitate sustentatur, & ad tale Euangelium retinendum, Regina Ecclesiasticis suis iniungit, eos vt ministros Ecclesijs suis præficiant, sua qui doctrina & exemplo plebem instruere possint & gubernare. Iã quale Euãgelium est, tales etiã ministri sunt; imò eorũ vita adeò nõnũquã turpis, flagitiosa, & obscęna est, publica vt pœna afficiãtur, patibulis appendãtur.

Quo-

Quorum enormia grauissimaque flagitia etsi ego hoc loco enumerare possem, attamen ne honestas aures animosque offendam, tacitus præterire constitui. Atque hoc primum est, quod Elisabetha in suo edicto cauet: hoc illius fundamentum; vt videlicet in suo regno Iesu Christi Euangelio eradicato, Caluiniani è contra plantetur.

Bellum Gallicum, quod Regina iniustissimum appellat.

CAPVT XVIII.

Elisabethæ Calumnia.

ET potest adhuc alicui mirum videri, eam mulierem, adeò quæ in Deum impia est, in homines etiam iniustam ac iniuriam videderi? Eam terræ Principes & monarchas traducere, quæ Regem Regum, ac cœlorũ Principem adeò nefariè tractat? Calumnia illa Elisabethæ contra Romanum Pontificẽ & Regem Catholicum, quia religionem concernit, ideò à nobis ventillari debet & examinari. Nam quam aliam ob causam bellum illud contra Regem Franciæ periculosissimum & iniustissimum à Regina appellatur, nisi quia contra Principem Biernensem Caluinistam hæreticum, suæ sectæ & religionis, suscipitur? Nisi quia Elisabethæ displicet, cõtra quã quisquis bellum geret, is iniustè belligerare continuò debet existimari? Hæc enim reuerà causa est, quòd in edicto suo Papam, & Regẽ Catholicum taxat, qui arma contra Principẽ Biernensem mouerunt, nolentes permittere, vt regnũ Franciæ, in quo à tot iam annis Catho-

tholica religio tanta cum pietate & deuotione floruit: à pertinacissimo hæretico opprimeretur. Cur autem Elisabetha regnum Fráciæ inuadere, & impugnare eos dicit, qui Catholicam fidem defendere, propagare, & sustentare conantur? Quasi videlicet pauci nobiles & regni primores, non autem omnes prouinciæ, ciuitates, parlamenta, religiones, academiæ Catholicæ, Principes & status regni, qualemcunque demum hæreticum à regni successione excluserint; & consequenter Principem Biernensem, qui relapsus & recidiuus hæreticus est? Huic ergò toto corpori & regno sancto vnionis vinculo colligato, sub persecutione gementi, & pessimè tractato, Papa Romanus succurrere vult. Nec immeritò, Si enim quilibet Rex & Princeps Catholicus omnibus Italiæ Catholicis fauere debet & opitulari, quia videlicet vnius corporis mystici, hoc est, Ecclesiæ membrum est, imò si omnes Catholici & fideles muneri, nomini, & professioni suæ satisfacturi, idipsum pro viribus præstare debent: Quid totius Ecclesiæ caput, Pastor vniuersalis, & Princeps omnium Pastorum ac Prælatorum faciet, si cubi oues suas iamiam à famelico & immani lupo deuorandas ballare audiat & se inclamare? Quid faciat Pater, videns tot filios perdi? Quid agricola, messem suã incendio absumi, & vineas suas deuastari conspiciens? Quomodo Papa permissurus est, vt regnum Franciæ, tàm amplum, tàm opulentum tàm potens, tàm Catholicum, tàm sanctæ Apostolicæ

licæ ſedi obediens & deuotũ, tũ cuius maiores toties hactenus Eccleſiã Catholicã propugnarũt deſtruatur, deſoletur, vaſtetur & Tyrãno obſtinato & relapſo Caluiniſtę, qui fidẽ Catholicam extinguere, & obedientiã Papę, ac illi regno derogare conatur, adeò fœde & turpiter ſubijciatur? Imò cùm eadem ſedes Apoſtolica, propter ipſas illas cauſas iuſtiſſimis ſententijs, & grauiſſimis cenſuris Comitem Biernenſem excluſerit: quomodò armis & alijs medijs effectura eſt, vt quod ſemel conſtituit, ratum ac fixum permaneat? Cùm præſertim ille poſt hanc ſententiam perlatã perfidam ſuam & obſtinationem amplius vexarit, vexando regnum illud, affligendo & occidendo quam plurimos Catholicos, imò tot, tàmque enormia peccata deſignando, ſola vt illa regni priuationem meruiſſe debeãt videri? Et quoniam Eliſabetha Papam ingratitudinis arguit, quòd beneficia à Regibus Franciæ, ſedi Apoſtolicæ præſtita non agnoſcat: vt hæc etiam vanitas intelligatur, Quæro ex vobis, quinam illi Reges Gallorum in in neceſſitate ſedi Apoſtolicæ ſuccurrentes fuerint. An erant Caluiniſtæ, an Hugonotæ, an Principi Biernenſi ſimiles; Non certè; neque enim tunc, aut Hugonotas, aut Caluiniſtas mundus ſciebat. Erant ergò Reges Catholici, qui Pontifici Romano, tanquam capiti & ſpirituali Principi Eccleſiæ obediebãt ei ſuccurrebant, in neceſſitatibus conſtitutũ tegebant, & totius regni Gallici viribus ac armis propugnabant. Cùm autem ſedes Apoſtolica tot beneficia à Gallis Catholicis acce-

perit

perit, quis eam reprehendere ausit, quòd nostra memoria similiter Gallis Catholicis, nó autem hæreticis constituit opitulari? Audebitne negare aliquis, iustissimum esse, eam in Francia religionem cõseruare, per quam totum illud regnum floruit, & eius reges Christianissimi appellati sunt; ne videlicet ab ijs extinguatur, qui totam Christianitaté & Euangelium Iesu Christi è mundo liminare cõtendunt? Quænam isthæc noua Logica, & heteroclita argumentandi ratio est? Catholici Galliæ sedi Apostolicæ, contra Hæreticos & Schismaticos Principes, auxilium sæpè tulerunt: tenetur ergò eadem sedes Galliæ, Catholicos profligare, eos hæreticorum immanitati exponere, vt ab ijs affligantur, opprimantur, & excarnificentur; tota enim ista consequentia euidenter ex ijs quæ Regina in edicto suo prætendit, colligitur; Hæc est intolerabilis illa fraus, hoc scelus, hoc facinus, quod Philippus Rex Catholicus Summo Põtifici persuaserit, vt videlicet Patris, Pastoris, & Vicarij Iesu Christi officio fungatur: vtq; Sedes Apostolica pro ea fide & religione disceptet, quæ meritò Catholica, Apostolica, & Romana, appellatur. Quamuis autẽ summi Pontifici omnes hactenus id fecerint; ita vt nihil opus fuerit, Regem Catholicum illos aut adhortari, aut commonefacere; attamen si currenti equo calcaria admouit, & sedem Apostolicam viribus se suis adiuturum spopondit, quod peccatum, quod flagitium, quod facinus, designauit? Elisabetha certè cum omnibus suis Hæreticis

scelus

scelus appellabunt; Catholici autem & prudentes vniuersi dicent, Misericordissimi Principis opus id esse, quemadmodum & bellum illud fuit, quod eadem Regina iniustissimũ appellauit. At videamus, in quonam potissimum ea iustitia consistat? Vtrum iniustum est, Regem Catholicum, ac eum Regem, qui solus inter Reges Christianos, regis Catholici titulum sibi vendicat, fidem Catholicam propugnare? Vtrum iniustum est vicinum vicino, potentem debili, fortem ac robustum, infirmo opitulari? Vtrum iniustum est, hostẽ hæreticum comprimere, ne viribus sumptis contra Regnum exurgat, animas innocẽtum perdat, & religionem Catholicam extirpet? Si Elizabetha se iniustam non existimati dũ Principi Biernensi pecuniam, arma, militem, & instrumenta bellica mari terraque submittit, tantò vt felicius regnum Galliæ infestet, ac religionem Catholicam opprimat; Quia videlicet Caluinistam & religionis suę consortem, à se iuuari debere existimat: quomodo iniustum bellum ij gerere videbũtur, qui integro regno Catholico succurrunt, ne videlicet illud ab hæreticis opprimatur, ac illa religio extirpetur, quàm à mille & ducentis annis Galliæ regnum fuit amplexatus? Licebit Elizabethæ Tyranno hæretico, vt tàm Catholicum & nobile regnum euertat opitulari: Principi autem Catholico illi succurrere, ac dextram porrigere, non licebit? imò verò tantò laudabilior est Regis Catholici zelus, quantò grauiora bella, hactenus inter potentissimos illos Reges Galliæ & Hispaniæ Semiflagrarunt.

Seminaria Anglicana in Angliæ regno ab Anglis excitata.

CAPVT XIX.

QVoniam Regina Elizabetha in edicto suo maximè in Seminaria, quæ in Gallia, Italia, & Hispania adolescentes Catholicos Anglos alunt, qui patriam suam ad Sanctam nostram religionem reducere conãtur inuehitur; & quoniam illa Papam & Regem Catholicum insimulat, quòd istis Seminarijs ad regnum Angliæ turbãdum abuti mẽtitur; contraque illorum iuuentutem, ac Sacerdotes, & Patres societatis Iesu, qui eos gubernãt & docent, maledicentiæ suæ dentem acuit, machinas disponit, & furorem sæuitiamque suam demonstrat: operæpretium facturi videmur, si istorum Seminariorũ rationes reddamus, ac quid in ijs fiat commemoremus, priusquam ad ipsius edicti mendacia, & pœnarum tormentorumque diuersa genera, quę contra homines innocentissimos, in Anglia excogitantur accedamus.

Præsupponendo igitur omnia ea, quæ de Seminarijs Rhemensi & Romana, ac de illorum etiam fructu in libro tertio huius historiæ retulimus; Sciendum est, Romanos nonnullos Pontifices, adolescentes bonæ indolis ac in regnis Christianis natos, doctrina Catholica, & cæremonijs Romanæ Ecclesiæ imbuere consueuisse, vt deinde ijdem ad sua reuersi, quæ peregrè didicerunt, in compatriotas suos transfunderẽt. Certè de sancto Gre-

gorio eius nominis primo, qui ã Venerabili Beda, Angliæ Apostolus nominatur, eius in vita legimus, quòd suo sumptu in monasteriis iuuenes Anglos sustentarit: & Gregorius VII. de hac materia ad Olaum Norueg iæ Regem sequèns breue exarauit.

Ioan. Diaconus li. 7. ca. 46.

Notum autẽ vobis esse volumus, quoniam desideriũ nostrum est, si quomodo possemus ad vos aliquos de fratrib. mittere, qui fideles & docti essẽt, ad erudiẽdũ vos in omni sciẽtia & doctrina in Christo Iesu, vt secundũ Euangeliũ & Apostolicã doctrinã decẽter instructi, in nullo vacillãtes essetis, sed radicati atq; fundati super stabile fundamẽtũ, quod est Christus Iesus, abũdantiùs atq; perfectiùs in virtute Dei cresceretis, & secundũ operationẽ fructuũ fidei, ęterna retributione dignum redderetis. Quod quia nobis tùm propter lõginquitatẽ terrarũ, & maximè propter ignotas linguas valdè difficile est, rogamus vos sicut & regi Danorũ denunciauimus, vt de iunioribus & nobilib. terrę vestrę ad Apostolicã aulã mittatis, quatenus sub alis Apost. Petri & Pauli sacris ac diuinis legib. diligenter edocti, Apostolicę sedis ad vos mãdata referre nõ quasi ignoti sed cogniti, & quę Christianæ religionis ordo postulauerit, apud vos nõ quasi rudes aut ignari, sed lingua ac scientia, moribusq; prudẽtes dignè Deo prædicare & efficaciter, ipso adiuuante, excolere valeant.

Horum duorum Gregoriorum, primi puta & VII. exemplum secutus Gregorius XIII. postquam Seminarium Anglicum Duaci inchoasset, ac illud posteà Rhemos in Gallia transtulisset, Romæ etiam Seminariũ proiis-

dem Anglis instituit. Ad quod stabiliendũ & confirmãdũ vigesimo tertio Aprilis An. 1569. qui fuit septimus sui Pontificatus, bullã expediuit, in qua huius Seminarij abs se instituti causas commemorans, ita inquit.

Quare cùm quotidie non sine graui animi nostri dolore, Sãctã Do. No. Iesu Christi spõsam diuersorum eius hostium conspiratione & violẽto ex multis partibus incursu oppugnari cernamus, antiquisq; hostibus infidelibus Turcis, Iudæis, nouosque Hæreticos & Schismaticos nos accessisse, qui omni impietate & scelere imbuti, ac veluti aduersarij nostri furijs exagitati, in piæ matris exitium feruntur, quod officij nostri ratio à nobis expostulat ad hominum impetus, quo maximè opus esse videmus vires nobis à Domino traditas opponimus, populosque imbecillitati nostræ à diuina benignitate concreditos præsidijs cõtra hostiũ oppugnationes paratis cõmunimus; Cumq; nullum firmius præsidium aut remedium certius inueniri possit, quam vt Regionum ab hac peste oppressarum iuuẽtus, cuius teneres animos facilè est ad virtutem flectere Catho. Rel. imbuãt, ab initio vsque nostri Pont. operã dedimus, vt diuersarũ nationũ Collegia, nostris sumptibus in vrbe erigerẽtur. Quæ interea dum sedulò agimus ad Anglię regnũ magnis quõdã opibus & Catholicæ Religionis studio florentissimũ, nũc verò à teterrima hæresis labe, quæ omnes ferè eius partes comprehẽdit, deuastatum pietatis oculos dirigentes, eiusque calamitatẽ vt sæpè alios miseranter reperimus, Anglorum

Causa huius erectionis.

Greg. 1. induxit Anglorum nationem ad fidem Catholicam.

rum nationem ad Christi fidem à B. Gregor. Pont. conuersam, ex eo tempore singularem fidem, reuerentiam, atque obedientiam contra Ro. Pont. Sanctam q; sedem Apostolicam præstitisse, quæ etiam in tanta nostrorũ temporum caligine, in aliquibus insignibus illius quidẽ, & illustribus viris refulsêre, qui pro huius sedis dignitate & Orthodoxæ fidei veritate, vitas suas cum sanguine ponere non dubitarunt, versanturque quotidie ante oculos nostros, iuuenes ex illo miserrimo regno huc profugiẽtes, qui diuino spiritu ducti patria, parentibus & bonis relictis, sese nobis ad Catholicæ religionis, in qua nati sunt institutionem suscipiendam miserabiliter obtulerunt, eo animo, vt salutem sibi primũ comparent, deinde verò vt post adeptam diuinarum rerum scientiam in Angliã ad alios, qui à via veritatis declinarũt, erudiendos reuertantur. Nos igitur Gregorij eius nominis primi pia in Anglos officia, eiusque erga illos bonitatem imitari cupientes, vt quemadmodum ipsi concessionis, sic, & nobis ab errorum reuocationis beneficium accepisse in Domino lætentur, ac propensam eorum erga sedẽ prędictam deuotionem adolescentium, item Catholicæ doctrinæ adipiscendæ studiũ amplectentes, motu proprio & ex certa scientia nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine ad omnipotentis Dei laudẽ & fidei Catholicæ incrementum, dilectæque nobis nationis Anglicanæ commodum, & salutem in ædibus Hospitalis Anglorum de vrbe, vnum Collegium Anglicanum nuncupandum perpetuò erigimus & instituimus. Fructus

Angli verò qui tunc erga Ro. Pont. obedientes & Cath. fuerunt, in hæresim postea prolapsi sũt.

Hic igitur Pont. ad imitationẽ dicti Greg. 1. pro dictorũ Anglorum ab hæresi reuocatione Collegium Anglicum in vrbe erigit.

Fructus autem Seminariorũ istorum, quà Rhemensis, quà Romani, adeò copiosus fuit, vt præter multos illorũ filios, qui pro sancta nostra fide in Angliæ regno sanguinem suum profuderunt; hodierna etiam die plus quàm trecenti Sacerdotes illud illuminent, cæcos hæreticos illustrent, dubios confirment, & sustentent, ac denique Catholicos consolentur, & ad Dei gloriam ac honorem procurãdum extimulent. Quod cùm Regina intelligat, nihil illa cum vniuerso suo consilio pensodit, quàm Seminariorum illorum Clericos, exercendo contra eos extremum furorem ac immanitatem: quòd videlicet inquit, alios externos hostes, etsi multi & potentes sint, subditorum tantùm corpora inuadere; istos verò intellectus, voluntates, & animos ita vincere sibique subijcere, vt in ijs religionem Catholicam, reuerentiam & obedientiam Papalem plantent ac seminent. Quod quidem illi omnibus calamitatibus calamitosius esse arbitrantur, quia videlicet vident quòd religione mutata, regnorum etiam administratio variatur. Atque ob hanc deinde causam Catholicos regni sui adeò barbaris & crudelibus legibus persecuta est, qui solùm vertere, ac patriam deserere cum multis nobilibus, opulentis, & primarijs, quà viris, quà iuuenibus coacti sunt; ne videlicet proprijs indomibus, aut vitam aut fidem amitterent. Vnde cùm ad tantam Anglicanorum adolescentum, qui quotidie ex patria sua profugiũt multitudinem sustentandam, duo illa Seminaria, puta Rhemense & Romanum, non suf-

ficerent; Philippus II. Rex Catholicus præter Eleemosynas, quas Seminario Rhemensi hactenus contulit, nullam aliam ob causam, quàm vt hic in Hispania securũ & certũ perfugiũ haberent, aliud Seminariũ Vallisoleti Anno 1589. Deo aspirante, ac multis deuotis prælatis, ac Dominis opẽ suã porrigentibus, excitauit. Quod adeò felices progressus & augmẽta habet, æquè vt copiosum ex eo fructum, atque vel ex Romano, vel Rhemensi possimus expectare.

Præterquam, quòd iam quædam illius experimenta habeamus, dum videlicet nõnulli eius collegæ ac filij hodierno etiam die multa pro Christi fide in Anglia faciunt ac patiuntur. Quod quidem adeò magnum est, vt illo Ecclesia & ciuitas Hispalum permota adolescentes illos Anglicanos amplexari, domos illis assignare, Eleemosynas & sustẽtationem elargiri incæperit. Quæ quidem etiam deinde charitas nouo Seminario Anglicano initium dedit, nempe in eadem illa nobilissima ciuitate, anno 1593. in ipsa Octaua glorioſi martyris S. Thomæ Cantuariensis, ac Angliæ primatis: præsentibus Cardinale, Archiepiscopo, multis nobilibus, Ecclesiasticis, Senatoribus, & præstantissimæ Ciuitatis primoribus atque Patricijs. Vnde omninò fateri debemus, Deum maximo beneficio nostram nationem affecisse, dum videlicet illius gratia assistente, externos recipit, exules amplexatur, ac pro fide Catholica patientes, in visceribus suis collocat ac sustentat: dumque

que operibus amicitiam ac bonam correspõdentiam, quam duæ illæ nationes aliquando habuerunt, demonstrat: ostendens atque significans odium illud, quo Hispania Angliã prosequitur, non personas, sed hæreses concernere, neque ad omnes Anglos, sed tantùm ad Iesu Christi hostes se extendere, qui illius fidem detestantur, Sacramenta execrantur, & vexillum contra Deũ erexerunt. Et sequitur sanè in hoc Anglia, Regem ac Dominum suum, qui tanto cum affectu Seminaria illa amplexatur, tantaque cum benignitate illis amplexatur, vt nõ contẽtus Eleemosynis ijs succurrisse, ac multis alijs beneficijs ea affeciſſe, cum Vallisoleti anno 1592. ageret Seminaria illa Anglicana, cum propria sua, Serenissimæ infantis, & filiorum suorum persona, datis etiã literis voluit confirmare. Quin idipsum etiam Anglicanum Seminariũ Vallisoleti cum voluntate & authoritate Regis Catholici inchoatum, Clemens VIII. confirmare non dubitauit, qui primo Pontificatus sui anno, ad instantiam & petitionem eiusdem Regis, sequentem bullam expediuit.

CLEMENS Papa VIII.

Anglicanũ Collegium ad omnipotẽtis Dei gloriam & honorem à Philippo Rege Hispaniarum erectum est.

QVoniam præsidium firmius nullum est, nec remedium efficacius contra eos, qui falsis suis erroribus ac dogmatibus Romanam Ecclesiam oppugnare satagunt, quàm Prouinciarum hæresi infectarum iuuentutem in religione Catholica instituere; quod videlicet adolescentium animi molles ac faciles, virtutem sibi impressam recipiunt ac seruant: Et considerans istud piè ac attentè carissimus noster in Christo filius, Philippus Rex Hispaniarum Catholicus, cuius excellentem benignitatem & liberalitatem, Rege Catholico absque dubio dignam, multi Anglicani exules adolescentes fuerũt experti, qui ex miserabili Angliæ regno (quod aliàs tantoperè floruit, erga fidem Catholicam deuotissimum fuit, nunc autem Hæreseos grauissimo infortunio affligitur atque opprimitur) in Hispaniam transfugerunt, in ciuitate quæ in Diœcesi Valentiæ sita est, Collegium Anglicanũ ad Dei omnipotentis gloriam & honorem, ac eorundem Anglorum receptaculum extruxit: qui pro fide Catholica suapte sponte dictum regnum deseruerunt, constituentes suo tempore in illud reuerti, & ad veritatis viam, gentiles suos miserrimè occœcatos reducere. Cumq; dictus Rex Catholicus singulis annis, certos reditus ad studiosorum aliorumq; hominum eo in Collegio viuentium assignet ac repræsentet, nobis humiliter per dilectum filium, & nobilem Dominum Antonium Ducẽ de Sesa, & de Soma Legatũ suum supplicauit, quatenus benignitate Apostolica dicti

dicti Collegij erectionem ac institutionem dignari vellemus. Collaudantes itaque pium illud propositum ac opus Rege Philippo dignissimum, eius precibus inclinati, Apostolica autoritate, ac certa nostra scientia approbamus & confirmamus erectionem ac constitutionem dicti Collegij, ac omnia & singula, quæ ex hac institutione sequentur: supplentes omnes ac singulos defectus, tàm facti quàm iuris, qui fortasse possent interuenire.

Ecce tibi summorum Pontificum & Regis Catholici actiones. Ecce earundem intentionem, Ecce Bullas. Ecce Seminariorum excitatorum causas & rationes. Atque hæc omnia non modò iurè reprehendi non possunt, sed multis nominibus laudanda & commendanda sunt. Vt enim à Papa exordiamur, Ad quem Catholici Anglicani, vexati, afflicti, & desolati confugiendi, nisi ad caput Ecclesiæ Catholicę? An non ad eum, qui secundum D. Hieronymum est communionis fidelium securissimus portus, & lapis Lydius falsam doctrinâ à vera & adulterinum aurum ab Obrizo distinguens? Nunquid ad eum, qui primus Pastor & Episcopus nostrarum animarũ, imò Vicarius vniuersalis Iesu Christi est? Nunquid ad eum, qui rationes sui officij, vnctionem Spiritus sancti, & abundantiam caritatis, misericordiæ, & compassionis maiori in copia accepit, quique neminem fidelium, ex quacunque Christiani orbis parte aduentantem vt alienigenam depellit & auersatur? Nunquid ad eum, qui semper refugium & asylum fuit omnium Episcoporum persecutionem

Epist. 61.

tionem sustinentium, qui ad Sedem Apostolicam recurrebant, certissimum ab ea auxilium, solatium & refrigerium expectantes, quemadmodum Sanctus Cyprianus ad Cornelium, & Stephanum Papas. Athanasius ad Marcum & Iulium: Chrysostomus & Augustinus ad Innocentium: Basilius ad Liberium: Hieronymus ad Damasum: Theodoretus ad Leonem magnum; imò quemadmodum innumeri alij sancti viri sub alas & protexionem summorum Pontificum, pro tempore & necessitate sua confugerunt.

Eusebius Cæsariensis Hist. lib. 4. cap. 29. de Dionysio Episcopo.

Ad quem autem Angli exules propter fidem confugient, nisi ad eum, qui Angliæ Apostolis successit? ac eorum locum tenet, qui eandem fidem prædicauerunt, pro qua illi patiuntur? Ad quem inquam confugient, nisi ad eum, cuius sedes omnium afflictorum Christianorum asylum, in necessitatibus constitutorum refugium, & naufragantium, ac pro Christo patientium pactus fuit? Quod si ita est, quo ore, & qua fronte impudentissimi Caluiniani Hæretici vituperare mihi audebunt & accusare, vel Anglicanos Catholicos, quod pessimè ab ijs tractati, vexati, habiti, & afflicti, ad Sedem Apostolicam, tanquam ad benignissimam matrem confugerunt: Aut quomodo Romanum Pontificem culpare, quod illos ceu delictos filios recepit, sustemat & amplexatur.

Quod si oculos ad Regem Catholicum conuertamus, quid calumniæ illæ in eum contor-

contortæ aliud sunt? quam eorum dicta, de quibus Propheta inquit, Sunt inter vos, qui bonum malum dicunt, & malum bonum, qui ex tenebris lucem faciunt. & ex luce tenebras?

Rex Catholicus PHILIPPVS, tanquam Rex verè Catholicus, pro fide Catholica patientibus succurrit: & tanquam potentissimus Monarcha, iuuentutem nobilem, ingenuam, & afflictam sustentat: & denique tanquam misericors & benignus Oeconomus, fidelium suorum fratrum ærumnis, miserijs, & calamitatibus compatitur. Atque hoc factum non laude dignum, non prædicatione, non commendatione afficiendum nobis debet videri. Certè in omni memoria honorati, & à Christianis adiuti sustentatique fuerunt, qui pro CHRISTO passi sunt. Et idcircò Seuerus Sulpitius in sua Historia, scribens de sanctis Episcopis, qui propter fidem Catholicam à CONSTANTIO Arriano Imperatori præscripti fuerunt, hæc ait:

Ceterùm exulis satis constat totius orbis studijs celebratos, pecuniasq; eis in sumptum affatim congestas, legationibus quoque eos plebis Catholicæ ex omnibus ferè prouincijs frequentatas. *Lib. 2.*

Ambrosius de ijsdem sanctis Episcopis ait: *discurrunt per vniuersum mundum, tanquam homines qui nihil habebant, ac omnia possidebant.* *Epist. 27. ad Vercellenses.*

Quem-

Quemcunque illi locum attigissent, pro Paradiso habebant: nunquam eos aliquid defituit, quia fide abundabant; imò alios etiam ditauerunt, quia etsi pecuniam non haberent, diuina tamen gratia affluebant.

Hæretici Anglicani Papam propter Anglorum Seminaria reprehendunt, Noui è contra Iaponiæ Christiani eidem pro Seminarijs in suo regno excitatis, gratias agunt.

CAPVT XX.

NVnc vt quod diximus clarius & manifestius adhuc euadat, Papam videlicet Catholicos Angliæ exules in Seminarijs Anglicanis fouẽtem nequaquam regnum illud velle interturbare atque concutere, prout Elisabetha in edicto suo calumniatur, sed officij sui numeros ac partes implere desiderare: Alia Seminaria à Gregorio XIII. pro tot prouincijs excitata transeuntes duas hoc loco epistolas, duorũ Iaponiæ Regum ad Sixtum V. recitabimus: in quibus illi inter cætera Sanctitati suæ gratias pro Eleemosynis agunt, quas ab illa acceperant pro Societatis Iesu Patribus & Seminarijs Iaponiæ sustentandis. Et cognoscemus nos sanè ex ijsdem literis, quantum Anglicana impietas contra Sedem Apostolicam à deuotione & reuerentia duorum Christianorum Principum in Iaponiæ regno viuentium, differat ac discordet. Adducemus autem illas eo fine, vt infelices Hæretici confundantur, & cæcitatem

suam

suam deplorent, veri autem sanctæ Ecclesiæ filij consolationē accipiant, in Domino lętētur, ac illi infinitas gratias pro benignissima protectione agant; tùm pro curā & solicitudine religionem suam dilatandi, amplificādi, per omnia mūdi regna & prouincias propagandi, ac innumeras ouiculas miserè aberrantes ad sui amorem & cognitionem reducendi; vt ita cum reliquis congregentur, congregatę vnum ouile constituant, & sub vno Pastore Iesu Christo viuant ac maneant. Certè omnes Dei seruos, qui pro sancta Ecclesia persecutionem patiūtur maximo gaudio & lætitia perfundi necessum est, cùm cogitant Deum nostra ætate & memoria sanctā & Apostolicam fidem per tot ac tàm remota & longè dissita regna propagasse. Vnde etsi altera manu nos cædat & castiget, altera tamen è vestigio sanat, ac blanditur; & hæreticorum quas patimur iacturas copiosa gentilitatis acquisitione & saluatione recompensat. Huic laus & sempiterna gloria pro insigni illo beneficio, quo Ecclesiam suam affecit. Nunc duorum Regum epistolas, hanc veritatem nobis manifestantes, ascribamus.

Litteræ Don Protasij Regis Arimę ad Sanctiſ. Sixtum V.

Sanctissime Pater & inter omnes Christianos supreme.

Decima sexta lunæ sextæ, quæ fuit 21. Iulij anni præsentis 90. huc appulit P. Visi-

tator

tator Societatis Iesu, cum Cingitua Don Michaele cognato meo: Don Mancio, & cæteris, socijs, qui à me Romam fuerunt missi, vt pedibus Sanctitatis vestræ capita sua submitterent. quorum aduentu ita exhilaratus sum, ac si mihi mille autumni aduenissent, & decem annorum vitæ meæ accessissent. Narrauit Don Michael quo honore & fauore à Vestr. Sanct. Rege Philippo & alijs Principibus Christianis exceptus fuerit, cuius ergo gratias ago, quas nec penna nec charta explicem.

Reddidit etiam literas, quibus B. V. me dignata est, eoq; fauore prosequuta, cæteris vt Regibus Christianis annumerarit. Detulit praterea sacri ligni veræ crucis partem, gladium, & galerum, qua Vestra Sanctitas solita est ad Reges & Principes destinare. Qui fauor & studia talia sunt, tantiq; à me æstimantur, vt statuerim æternæ memoriæ consecrare, & inter præcipuos thesauros ornamentaq; & monumenta posterorum meorum referre. Estq; hic in me collatus honor eiusmodi, vt maior esse non possit in hac vita, & in bonam vitam futuram redundet.

Constitueram iuxta præscriptum à Vestr. Sanct. in suis ordinem, vtq; fauor & beneficia tam magna mihi delata merebantur, apparatu & celebritate qua potest, omni in regno meo maxima prædicta munera excipere: sed habendam esse rationem tyrannidis & summi odij, quo Quabacondono, Iaponiæ vniuersæ dominus tres tot os annos Patres & Christianos persequitur, indicauit P. Visitator: tam diuq; hoc festum

festum differendum, dum Meaco reuertatur: quo Proregis Indiæ nomine cum legatione visitaturus, Quabacondono profectus est; Ne si præuenirem, hoc meo in regno, nouæ alicuius commotionis & indignationis Quabacondono materiam daret. Quare hucusque non potui ardens meum desiderium exequi, vt præcipuo cum honore donata reciperem. Verùm vbi redierit P. Visitator quàm humillime excipiam, & incredibili cum voluptate, pia onera vertici inquam. Intellexi denique magna illa adiumenta, quæ Sanct. Vestr. liberaliter in Patrum, Seminariorum, Ecclesiarum subsidium contulit, quæ nos adeò recrearunt & refecerunt, vt prægaudio corda nostra saliant, nec enim ignari sumus augenda plurimùm hæc noua Christianismi in Iapone germina, quæ tam fidelibus oculis Sanctitas vestra intuetur & fouet; vnde infinitas gratias ago Sanct. Vestr. confidens futurum hinc, vt in Iaponiæ regnis latissimæ Sanct. lex nostra excrescat. Hæc maxima religionis euertendæ tempestas, quam Quabacondono excitauit, molesta nobis omnibus non parum fuit & laboriosa, me verò maximè exercuit, qui præter edictum & Imperium, præcipuum Patrum numerum ad me recepi, & regno meo concluſi, in quo adhuc num hærent, exponens me manifestissimo periculo & statui mei ruinæ ac euersioni, sed cum PATRIBVS ea declinandæ alia non est via, & famuli Dei constituissent omnes in Iapone vitam deponere, neque vlla ratione deserere, quos fidei pepererant Christianos, visum est ratione conforme,

vt me

vt me meaq; omnia pro Dei mei obsequio discrimini subijcerē: qui paterna sua prouidentia, non modò me hucusq; è periculis eruit sed etiā auxit erexitq; plurimū, eum eodē tempore, ex ethnicis & gentilis superstitionis perierint perierint multi; qui rerum euentus Christianis Iaponiæ fidem & in Deum spem auxerunt. Confidimus omnes P. Visitatoris ad Quabacondono iter susceptum finem impositurum oppugnationi & Christianorum persecutioni, quæ vt hucusque tyronum Christi exercitatio fuit quædam, ita spe adducor vt credam incremento ingenti ad augendam in Iaponia in Christum fidem. Cum verò sciam quòd cætera ex P. Visitatore S.V. rescisset, finem faciam, caput meum B.V. Sanctissimis pedibus submittens, hæcq; scribo ea reuerentia & animi demissione, quæ S. V. debetur. Anno Ix. Dell Eradicta Tenscio, decimooctauo lunæ, quæ est 12. Septembris Anno 1590.

Aduolutus pedibus Sanct. V.
Arimano, Sciurino, Daibu Don
Protasius.

Interior verò titulus.

Magno & Sanctiss. Papæ Sixto V. qui in terra Regis cæli locum tenet, Don Protasius Rex Arimæ magna cum reuerentia has offert.

LITTERAE

Litteræ Don Sancij Domini de Omura ad Sanctitatem Xisti V.

Sanctissime Pater.

HOc Anno 1590. ad nos rediit cum socijs Cingiua Don Michael, Regi Don Protasio & mihi cognatus, qui eiusdem Regis de Arima & Patris mei Don Bartholomæi nomine, annis præteritis cum Patre Visitatore Societatis Iesu, hinc abierat præstitutum obedientiam S. Vestræ, cuius regressu extrema consolatione affecti sumus, auditis fauore & honoribus, quibus & ipsa cũ prosequuta est, & eius consilio & voluntate Reges cæteri & Christiani Principes, intellecta etiam cura paterna, qua B. V. veluti Iesu Christi Domini nostri in terra Vicarius, & omnium Ecclesiarum caput, Christianos Iapomatuetur & protegit, perspecto præterea auri subsidio, quod Patribus Societatis contribuit, vt sese & Seminaria alant, multosq; alios sumptus quos in Iapone faciunt, releuent. Quibus ex rebus omnes exhilarati sumus vt par huic non videatur esse posse exultatio: simulq; noua quadã luce perfusi sumus, & veritatis ac charitatis Christianæ notitia. Quas ob causas, quod ad me attinet, infinitas gratias Sanct. Vest. & quas habere vellem maiores, nec charta, nec penna comprehendam. At cum Don Bartholomæus Pater meus vita functus sit, illi successi, S. V. deuinctus & obstrictus perpetuò ob S. Crucis lignum & gladium, quæ per Don Michaelẽ ad Patrem destinauerat, quæ munera maioris facio thesauro maximo, quem vel ipse vel posteri mei acqui-

rant, asseruabimusq; instar profundi pelagi & magni cumuli beneficiorum, à Sanctiss. V. manu, eiusq; opera à cœlo ipso acceptorum. Verùm mota à Quabacondono, vniuersæ Iaponiæ Domino, persecutio, qua Patres & harum partiũ Christianos afflixit, opportunitatem hactenus omnem ademit ea celebritate & festo, quibus par erat, prædicta munera suscipiendi: visumq; Patri Visitatori & mihi tantisper differre, dum dictus Pater redeat, qui iam inter se dedit visitaturus Proregis nomine, cum legatione & muneribus Quabacondono, cuius profectione speramus Christianis pacem restituendam, cum hac legatione nonnihil sedatus videatur; sed cum ea quæ in Domini nostri obsequium & Patrum bonum (quorum partem magnam in meas terras recepi, me meaq; omnia periculo exponens) & cætera quæ persecutionis tempore acciderunt V. S. ex Patrum litteris intellectura sit, finem faciam, quã humillimè pedes Sanctitatis V. capiti meo iniiciens, & Sanctissimam benedictionem Vestram postulans, scribo præsentes magna cum reuerentia & humilitate B. V. debita, IX. Anno del Era duta Tenscio, decimo octauæ lunæ, qui est 22. Septembr. 1590.

Eleuatis manibus & summa cum Reuerentia has litteras pedibus S V. *offero.*

Omura Scim Paciro Nobu Ache Don Sancio.

Interior verò titulus.

Offero præsentes magno & Sanctiss. Papæ Sixto V. quem humilime vt Dei Vicarium veneror.

Habes hic Christiane lector Regum Iaponiorum

niorum Epistolas. Nunc vt instituerámus de Seminarijs Anglicanis materiam continuemus; siquidem illa sedes Apostolica, Rex Catholicus, cum alijs Principibus & Dominis amplexatur, qui suis eleemosynis eorũ Collegas in spem Martyrij educant.

Qui Seminaria ingrediuntur, iuramento se obstringunt, ac postea incertis rebus occupantur. Eorum requisita.

CAPVT XXI.

AD Seminaria ista quæ modo diximus nõ omnes Angli indifferẽter admittuntur, sed ij tantum, qui ad finem illorũ consequẽdum aptiores esse videntur. Atq; hi plerumq; mediæ ætatis sunt, virtutibus prædíti, pręclarij ingenij, ac bonæ indolis. Inter hos sunt multi nobiles, equitum filij & magnatum, regni primorum ac procerum: qui manu Dei tacti, ab illius spiritu ducti, & gratia extimulati, domos, Parentes & cognatos, omniaq; quę inter suos habere poterant relinquunt, ne fidei Catholicæ iacturam faciant, & periculũ adeant eam amittendi. Adueniunt etiã nonnunquã homines docti, & in literis exercitati, vt scientijs melius imbuti, & virtutib. quibuscunq; instructi, in patriã suã redeant, & ex terra tã inculta & neglecta ante zizanijs extirpatis, religionis Catholicæ doctrinã seminẽt. Omnes isti, vbi per aliquot dies examinati probatiq; fuerint, tandẽ admittũtur, & solenni iuramento Deo facto, spondẽt se totos eius seruitio inuigilaturos, suo tẽpore sacros ordines accepturos, & in Angliã reuersuros esse. Iuramenti vero forma talis est.

Iuramentum quod Anglicanorum Seminariorum alumni præstant.

EGo N.N. huius Anglicani Collegij alumnus, considerans quantis me Deus beneficijs affecerit, tunc autem præsertim, quando ex Patria mea ab hæresi adeò nunc afflicta eduxit, ac me Ecclesiæ Catholicæ mẽbrum affecit; simulq; tam immensam Dei misericordiam grato animo prosequi volens, totum me illius Diuino seruitio, in quantum possum, ad huius Collegij finẽ adimplendum offerre constitui. Promitto igitur & coram omnipotente Deo iuro, paratum me ex animo esse, si diuina illius gratia me adiuuarit, Sacros ordines suo tempore recipere, & in Angliam reuerti, illic vt animas gentilium & proximorum conuertam, quoties & quando huius Collegij Superiori, instituto suo conformẽ esse videbitur, Domino mihi illud imperante. Atque hoc est Anglicanorum Seminaristarum iuramentum.

Eo tempore, quo Anglicani illi Collegæ in Seminario viuunt, Romæ, Vallisoleti & Hispalis pro superioribus habent Patres Societatis Iesu, quibus magna cum exactione obediunt. Habent regulas suas & statuta, quę accuratè admodum seruant: habent toto die certas & constitutas horas, quas virtutum & literarum exercitijs impendunt, ita vt à primo diluculo ad crepusculum vespertinum vsque, otiosum tempus non habeant. Exercentur autem in ijs ferè rebus, quæ animarũ suarum profectum & perfectionem concernunt, tum quæ eos scientijs imbuunt, admodum

dum reuera necessarijs, vt Hæreticos obstinatos in veritatis viam reducant. Vacant ergo orationi vocali & mentali, Missas cum deuotione quotidiè dicunt & audiunt, horas suas, Rosaria, & litteras recitant. Examen cõscientiæ, lectionem rerum sacrarum ad mensam, confessionem, hebdomadariam communionem, rerum ad finem suum ducentium ac mediorum eò pertrahentium auditionem solennem habent. Neque verò minori cum cura in omni literarum genere, qua humanarum, qua diuinarum in lingua Latina, Græca, & Hebræa, in omnibus Philosophiæ partibus naturalis & moralis, in sacra Scriptura, in Theologia Ecclesiastica, ac præcipuè in materijs controuersis, quas *Hæretici* Anglicani suis erroribus obscurant, exercentur; quo ita veritate Sanctæ Catholicæ fidei melius perspecta & armati, rauis hæreticorum argumentis facilius respondeant, ac illos cõfundant. Et ob hanc causam frequentes lectiones, repetitiones, collationes, disputationes, conclusiones, omniaque alia literariæ exercitia alicuius fructus & emolumenti apud illos sunt. Et laudandus est reuera Deus, quod alumnos istos tantoperè in omni virtutum ac scientiarum genere proficere conspicamur, siquidem finis & scopus, ad quem illorum studia collimant, Deus est, qui deinde illos ipsos iuuat & prouehit.

Iam cum superioribus Anglicanorũ istorum Collegiorum, nonnulli robusti, & ad negotium tàm difficile & arduum esse vidẽtur, maturiores & ętate prouectiores seligũt.

Quamuis autem omnes pro nostra fide mori desiderent, attamen quod omnes desiderãt, id nõ omnibus cõtinuò datur, sed tempus suũ exspectare cogũntur. Interea autem aptiores dimittunt, reliquis sancta quadam inuidia ac æmulatione flagrantibus, Deũ pro illis obsecrantibus, & cũ lachrymis ac gemitibus dulcissimos suos fratres deserentibus, nõ quia ad tormẽta & mortẽ in Anglia crudeliter oppetendam proficiscuntur, sed quia illos sequi non possunt, ac vna suppliciorum suorũ coronas & triumphos recipere è vestigio non merentur.

Animus & modus, quo Anglicani alumni in Patriam suam reuertuntur.

CAPVT XXII.

ANimus ac spiritus ille, cum quo fortes isti milites & athletæ Dei, ad tam eximium, & periculosum facinus proficiscũtur, admirabilis prorsus est, & non nisi à Dei manu profecta. Nam quomodo absque illa possibile foret, tot nobiles adolescẽtes domi suę lautè educatos, tanto cum animo & robore, inhorribile infinitorũ periculorũ mare, atq; in syluã immanissimis bestijs plenã intrare, scientes se ab illis lacerandos esse, nisi à Deo miraculosè ex illorum vnguibus rapiantur.

Anglicani filij, Romam iamiam discessuri, affectum & animum erga Catholicam Religionem demonstrant.

Vt autem zelus iste & feruor, quẽ Anglicanorum Seminariorum alumni habent pro Deo moriendi tum vt etiam gaudium cũ quo in Patriam suam Sanguinem pro fide Catholica effusuri, reuertuntur, intelligatur: apponam huic loco verba ex illorum numero cuiuspiã, quæ latina lingua Anno 1591. ad Sanctitatem

ctitatem Clementis Octaui dixit, quando octo ex Seminario Romano eius benedictionē accepturi Anglico itineri se accingebant.

Proficiscimur (inquit) Beatissime pater, in Angliam, quæ nostra patria est, & quæ aliquando vera & obedientissima Ecclesiæ Romanæ filia, nunc autem eiusdem capitalis hostis, & crudelissima aduersaria est. Proficiscimur ad ferarum stabula, & ad errorum ac hæresium syluam, quæ aliás sanctitatis & religionis pulcherrimum viridarium fuit. Proficiscimur in Angliam, quæ miserabilis est quod desolatur, miserabilior quòd perditionē suam non agnoscit, miserrima, quòd illa cognita se non emendat; quòdque cum peruersa & diabolica abstinatione se iactat, nobis miseriam suam prædicat, & quamuis illa nos execretur, ac licet suos filios proditores appellet, ac mortes & tormenta vt talibus minetur, nos tamen eam agnoscimus, amamus, & tanquam dilectissimam nostram matrem amplexamur. Si enim impietas illa in amorē naturalem extinxit, ita vt legitimis suis filijs mortem machinari non vereatur: iustum est pietatem & amorem diuinum, nos excitare & accendere, vt illorum vitam & salutem procuremus, tametsi id non absque nostræ vitæ iactura fieri oporteat. Proficiscimur, diuino fauente auxilio, vel Catholicam religionem in Anglia restauraturi, vel pro eadem, ac pro vestræ Sanctitatis authoritate, si id meremur, vitā profusuri, proficiscimur ad certa pericula cū incerta spe, quippè qui ignoramus, quid Deus facere constituerit; verum quicquid ille

constituerit, nos saltem proficiscimur, Sanctitatis Vestræ benedictioni confidentes, quæ nobis in itinere Dux, in periculis salus, & in tormentis refrigerium ac solatium erit. Hãc benedictionem humiliter à Vestra Sanctitate petimus;, & quoniam sancta ista Sedes tãta cum caritate exules nos & proscriptos sustentauit: nunc etiam, dum in Patriam reuertimur, sua nos benedictione muniat & comitetur. Neque verò pro nobis tantùm benedictionem istam petimus, sed cum quanta possumus instantia Sanctitati Vestræ supplicamus, quatenus infelicis nostrę Patrię memor de illa iuuanda cogitare non cesset. Per hanc vestram dextram, Sanctissimæ Pater, quæ diuinæ clementiæ instrumentum est, per flammas diuini amoris, qui in pectore vestræ Sanctitatis ardet, per benignitatem illam, quam Redemptor noster Christus tãquam Vicario suo dedit, ergo animas vniuersas, quas sanguine suo redemit, Beatissimis Vestris pedibus aduoluti, petimus, rogamus, & supplicamus, quatenus Angliæ succurrat, & manum porrigat, tametsi illam nec petat, nec mereatur imò repugnet, & contradicat. Dei proprium est dona sua & benedictiones ingratis conferre. Plus potest Vestræ Sanctitatis voluntas, quam nos cogitare possimus; imò sciant vniuersi, non minus cum pietate & voluntate, quàm cum authoritate & dignitate Sanctitatem Vestram cœlo proximam esse. Nos debiles & infirmi contra innumerabilẽ & crudelissimum Amalechitarũ exercitum proficiscimur: Vestra autem Sanctitas tanquam

Extremum vale dicunt Angli & benedictionem à Summo Pontif. exposcunt.

quam verus Moyses in sancto isto monte manus ad cælum attollens, nobis robur ad pugnandum, & gratiam ad vincendum potest impetrare. Quod si nonnunquam manus negotiorum grauitate & pondere deprimãtur, non deerunt qui suis orationibus, velut quidam Aaronis & Hur vatigatas sustentẽt; Quo nimirũ nos interea arma spiritualia fortiter mouere & victoriam ab hostibus nostris reportare valeamus. Vtinam, Pater Beatissime (dicam enim quod sentio) vtinã inquam mihi ea felicitas contingeret, vt pro Domino meo Iesu Christo, pro patria, pro sancta ista Sede Apostolica, & pro confessione Apostolicæ fidei mortẽ mihi oppetere liceret. O felicem diem, qua moriendo viuere inciperẽ! O quam glorioſum Sanctitati Vestræ foret, si mei sodales de hoste triumpharent! O felicem & diuinum Pontificatum V.S. si sub illo Anglia resipiscceret, si oues erroneæ ad suum pastorem reuerterentur, si sceptrum & corona illius regni ad pedes istos deponerentur, quos ego iam humiliter osculor, si fides & pietas, quæ sub Clemente VII. in Anglia exspirauit, nunc denuò sub Clemente VIII. cælo ac terra congratulantibus, refloresceret?

Hæc verba cum Adolescens Anglus, summo cum affectu protulisset, multique ex astantibus illachrymarentur, ipse Papa non parum etiam commotus ei hoc modo respõdit: non absque inuidia (vt ita loquar) Deus vos ad facinus tam eximium elegit, vt videlicet in sua vinea, hoc est in vestra Patria, pro-

pè cum certissima Martyrij spe laboretis. Nos certè felicissimos nos arbitraremur, si vobis associari, si vobiscum mori, ac vestrę felicitatis & coronæ participes fieri mereremur. Quod quia facere non possumus propter totius Ecclesiæ gubernacula & administrationem nobis commissam, & quia nō meremur in vestra patria Sanguinem profundere, quæ alias sanctam hanc sedem maxima deuotione fuit prosecuta: comitabimur vos certè desiderio ac Orationibus nostris, orantes Dominum, vt spiritum, quem cordibus nostris indidit, conseruare dignetur. Vos autem allaborate, vt feruor ac pietas illa, quam Deus in animabus vestris accendit, cum virtutibus & sanctis operibus crescat, quousque ad finem perseueret, cui soli corona & Brauium decernitur. His dictis, Summus Pontifex ad aliā partem cōuersus copiosè illachrymatus est. Atque vt constet Seminaris tam illum Anglū Franciscus Monford appellatum, eaque ad Sanctitatem suam dixit, ex intimo cordis sui penetrali depromsisse, necdum sex mensibus completis à profectione Romana, constanter pro Domino in Anglia Martyrium perpessus est.

Quo-

Quomodo alumni illi in Angliam reuertantur, & quid illic agant.

CAPVT XXIII.

HOc ergo animo fortes illi Dei pugiles in Angliam reuertuntur. Hic eorum scopus, & hoc intentum est. Redeunt ergo simulato habitu, puta propter legum Anglicanarũ cõtra illos latarum rigorẽ, & strictissimã executionem; propter exploratores, coryceos, & emissitios Reginæ satellites; adeò vt non nisi dissimulato habitu, modò militẽ, modò mercatorẽ, modò nautã, aut aliud vitæ genus mẽtientes regnum istud ingrediantur. Ne videlicet in manus Hæreticorum cadant, suamq; & aliorum Catholicorum, apud quos diuertunt, vitam prodigant, ac in præsentissimum periculum adducant. Et docuit hoc illos Sanctus Eusebius Episcopus Samosatenus, qui tẽporibus Imperatoris Constantij Arriani, militari habitu ac veste Ecclesias Catholicorũ visitabat, confirmabat, & instruebat, quique ad extremum glorioso pro fide Christiana tolerato Martyrio vitam consummauit. *Martyrolog. Rom. a. 21. Iunij.*

Inter cæteras autẽ cautelas quæ in Angliã profecturis solent proponi, illa propè præcipua est, vt nimirum politico regimini se nõ ingerant, siue id benè, siue malè administretur, ne videlicet Hæreticis occasio calumniandi præbeatur & dicendi, illos proditores ac perduelles esse, & idcirco supplicio affici

affici ac de medio tol.. Occupabunt te autẽ potius circa proximum, laborabunt vt ſua vita ac exemplo illum ædificent, vt ignorantes doceant, debiles confortent, robuſtos ſuſtentent, lapſos erigant, hæreticos confundant, & Catholicorum afflictas animas conſolentur: demonſtrando Deum barbara & crudeli illa perſecutione eos probare: in virtutibus cõfirmare, ac tãtò excellentiorẽ gloriã ijs velle donare, quantò maiorib. & acerbioribus malis fuerint afflicti; tùm oſtẽdendò tempeſtates illas breui ceſſaturas, eundẽque Dominum qui eas permittit, vires ac robur illas ſufferendi eſſe impertiturũ. Et quoniam illi primi in pericula ſe cõijciunt, primi tormentis ſubijciuntur, primi furcis appenduntur, ac gladios & ſecures cruentant, hinc eorum verba mirabili cũ energia fidelium cordibus imprimuntur. Concionantur in publico, cùm poſſunt; cùm nõ poſſunt, in oratorijs ſecretis, admonentes auditorem ac ſpiritualibus opulis reficientẽ, ne terrore perſecutionum examinati fiduciam in Deũ perdant. Legunt ijs Miſſarum ſacrificia, confeſſiones excipiunt, ſacram Synaxin præbẽt, benedictiones ſuas impertiunt, dubia eorũ ſoluunt, & ſi quæ lites ac controuerſiæ ſunt, placidè componunt; Catholicis tanto amore illos proſequẽtibus, omnia vt iſta eorum arbitrio poteſtatibus permittant. Quod ſi etiam diuina gratia hæreticorum corda illuminentur, ita vt veritatem agnoſcant (quod ſæpè & magno numero contingit) tùm verò iſti illos docẽt, in religionis negotijs inſtruunt,

unt, fide Catholica, Apostolica & Romana imbuunt; vt ex seruis & mancipijs Sathanæ (Spiritu Sancto fauente) filij Dei efficiãtur, & corpori mystico Iesu Christi, quod est sãcta Ecclesia, velut quædam membra incorporentur.

Atq; hæc nunc Seminaria illa Anglicana sunt, in Gallia, Italia, & Hispania excitata. Hic finis & scopus est, ad quẽ Papa, Rex Catholicus, & omnes boni, ac illorum fautores collimant. Hæc requisita alumnorum: hoc iuramentum, quod præstant: Hæc exercitia, quibus tam in suis collegijs, quàm posteà in Anglia vacant. Cum hoc animo Patriam suam repetunt; cum hac cautela & prudentia, inter gentiles viuunt; hunc fructum adferunt & consequuntur. Hoc illud bellum est, quod pauculi, & vt videtur infirmi Sacerdotes contra peccatum, hæresin, & infernum gerunt, cum tanta turbatione Reginæ ac suorum ministrorum, vt perterrefacti & exanimati vndique media conquirant, ijs vt resistere possint: quibus non repertis, ad tormenta confugiunt, ac suis supplicijs eos se coercere posse cõfidunt. Videamus proinde iam nunc, quid contra veritatem tàm certam & indubitatam, Regina in suo edicto adferat & mentiatur.

Primò comminiscitur, Regem Catholicũ Angliam pessundaturum ac turbaturum, Papæ potestate abusum, cum nonnullis suorũ subditorum, hominibus sordidis & desperatis conueniisse, quatenus multitudinem adolescentum dissoluturũ colligerent, qui partim

tim rei domesticæ angustius, partim scelerũ patratorum grauitate impulsi, ex patria profugerunt, & regni Anglicani proditores, ac perduelles effecti sunt: vt deinde isti in seminarijs ea edocti, quibus Angliæ regnum penitus subuertere valeant, ac posteà ad suos reuersi Reginæ subditis persuadeant, quatenus iugo excusso debitam obedientiam deserant: concitãtes illis nescio quam spem de opibus & diuitijs acquirendis, si Hispanus in Angliã perrumpat. Cui quidem calumniæ aliud mẽdacium adiungunt, dicentes eos iuramentum præstare, quòd Reginam oppugnare, Regem autem Catholicum adiuuare vellẽt. Ad quod vt faciliùs pertrahantur, cœlum ijs, si pareãt appromittitur, sin verò quòd iniungitur non exequantur, tùm verò virtute nonnullarum Papalium bullarum inferni minas illis iactẽtant

Habes hic edicti sensum, imò tot mendacia & falsitates, quot verba. Vnde ipse beneuolus & attentus lector facilè per se intelliget, perditi ac desperati huius populi calumnias, qui quod ipse est, hoc omnes cæteros mortales esse arbitrãtur. Et quoniam nobis minimè cõstitutum est, vanitates illas refutare, neque per partes singulas examinare; hoc mihi tantum attentus lector cõsideret, quomodo sub nomine Reginæ alicuius, res adeo falsę, putidæ & absurdæ imprimantur, cùm præsertim ipsum vulgus ab hæreticis odio præstrictis excogitatas illas esse animaduertat.

Edi-

Edicti crudelitas contra Seminaristas & Iesuitas.

CAPVT XXIV.

His tàm barbaris, & inhumanis edictis superioribus annis à Regina cõtra Sacerdotes Seminariorum & Iesuitas promulgatis: quæ omnia Tyrannorum scita & leges, iam inde à Christo nato cõtra Ecclesiam Catholicam rogatas vincunt & superant, Elizabetha alias adhuc rationes adiungit, quibus Catholici & Sacerdotes perquisiti ac inuestigati, elabi non possint. Non contenti enim iudices, tribunalia, & fora ordinaria per totũ regnum assignasse, ac innumerabilem lictorum, exploratorum, & Carnificum multitudinem instituisse: insuper in isto edicto mãdat, vt in qualibet Prouincia & Comitatu (quorum ferè quadraginta regnum illud habet) Commissarij particulares deputentur, qui summa cum diligẽtia & astutia istiusmodi Sacerdotes perquirant, inuestigent, & cõprehendant. Neque tantùm in qualibet prouincia istiusmodi Commissarij instituti ac deputati sunt, verùm etiam in omnibus ciuitatibus, oppidis, pagis, & parochijs singularũ prouinciarum homines quidam designati sũt qui magna cum vigilantia inquisitioni isti incumbant, & commissionis suæ terminos inter se diuidant, ac partiãtur. Hi deinde singulis saltem quadraginta diebus conuenient, de ijs quæ facta sunt, vel quæ fieri debent collaturi. Quod si ex suspectorum numero aliquis se absentauerit, id verò illi secretò Commissarijs aliarum Prouinciarum indicabunt

Elizabetha studiosa inquisitio.

bunt, eum vt prosequantur, & captum ad se remittant. Traditur adhæc in illa instructione forma, Catholicos interrogandi & examinandi; iubentur Commissarij singulis tribus mensibus ad Reginam & consilium omnia, quæ acciderint perscribere: omnes reliquos Commissarios, qui videbuntur, substituere, vt in illorum nomine cum amplissima potestate, super vniuersos, nobiles & Dominos regni proceres & ministros, Reginæ aulicos & cuiuscunque dignitatis viros, nihil non facere decernereque possint. Iniungitur deinde omnibus per vniuersum regnum Patribusfamilias sub grauissima pœna, ac illius executione, vt qui à quatuordecim mensibus domos suas frequentauerunt, in ijs biberunt, comederunt, aut dormiuerũt hos illi confestim examinent, reperta in libros referant, relata conseruent, ac denique conseruata cõmissarijs suis exhibeant. Quod si illorũ aliquis ad interrogata titubauerit, vel minus expeditè responderit, is confestim comprehensus cum bona custodia dictis Comissarijs transmittetur. Nec verò minus & à Patribusfamilias pœnæ exigẽtur, si in examinando, in annotando, & libros suos mõstrando, negligentiores fuisse comperiantur. Iam qui Sacerdotibus fauerit, vel eos nõ detexerit, is eo modo plectetur, quo proditorum & perduellium receptores puniri cõsueuerunt. Adduntur autem barbaro & crudeli huic mandato duæ potissimum res, quæ illud summè terribile, Catholicorum autẽ Anglicanorum conditionem extremè miseram

Dupliciter agere in hoc mandato Reginæ iudices statuunt.

ram & calamitosam faciũt. Altera est, quòd per huius edicti occasionem, scurris, nepotibus, Canoedis, & quibuslibet alijs perditis & profligatis hominibus conceditur, Catholicos vi abripere, ad tribunalia & carceres pertrahere, vexare, & molestare. Et contingit sanè non infrequenter, homines vt facinorosi, fures, homicidæ, falsarij, Reip. turbatores, & publicis notis infames pœnis & supplicijs, quæ illos manent, se subtracturi, Catholicum aliquem accusent, sicque non modo non accusentur, sed præmia etiam & mercedem reportent. Altera res est, quia adulatio, & Principibus placendi desiderium communissimum potentissimumque est; & quia Regina cum præcipuis suis ministris adeò manifestè, tantaque cum vehementia odium suum erga nostram religionem, ac Dei Sacerdotes, qui illam in regno suo tradunt, & docent, conceptum declarauit, dici nõ potest, quantum nunc hominum in Anglia reperiatur, qui Reginæ suæ adulaturi, edictum contra Catholicos latum exequi illos explorare, inuestigare, & perquirere non vereantur: credentes eo se modo pro fidelibus seruis habitos, & vt tales præmio ac mercede affectos iri. Neq; verò Plebæi tantum & vulgares homines istud factitant, sed reperti etiam sunt quandoque regni Anglicani proceres, qui quanta poterant diligentia Seminaristam, Iesuitam, aut alium quemuis Catholicum hominem, apud quem illi diuerterant omnibus in angulis quærere, odorari, & inuestigare honorificum sibi duxerunt. Vnde

Duplicitèr agere in hoc mandato Regina iudices statuunt.

Vnde pręclarè intelligitur odium illud, quo hodiè Angli veram & sanctam Romanæ Ecclesiæ religionem prosequuntur; quodque hæresis, homines quantumuis etiam nobiles & illustres, sordidos, plebeios, ac illiberales efficiat.

At dicet mihi hoc loco aliquis, quæ hic Reginā in edicto suo cōtra Seminaristas & Iesuitas promulgat, voces tantùm ac verba esse, quorū rationem habere non oporteat. Dicet edictorum suorum rigorem, nouorum Commissariorum institutionem, & tot exploratorum, ac ministrorum multitudinem commemorari, potiùs vt Catholicos perterrefaciant, quàm adeò crudeliter & inhumaniter tractēt. Cui ego respondeo, furorem & crudelitatem Reginæ tantam esse, vt omni se humanitate, ac muliebri mollitiæ exuisse, contraque belluinam feritatem induisse videatur: Quippè quæ adeò barbara, atrocia, & truculenta, contra innocētes subditos & peregrinos designare non veretur. Videntur namq; contra, Sacerdotes istos omnes se Diaboli, ac illorum ministri hæretici armasse, cunctaque suppliciorum, tormentorum, & pœnarum infernalium genera in hunc mundum inuexisse. Manent ergo Sacerdotes istos carceres, compedes, catenæ, vincula, fidiculę, ac omnia alia instrumenta, quibus homines flagitiosi torqueri solent & excarnificari. Hos fames, sitis, nuditas, ignis, gelu, æstus, frigus, & quælibet aliæ ærumnæ præstolantur Contra hos Reginæ ministri sæuiunt, cōcionatores ex pulpitis clamant, Episcopi exploratores

ploratores mittunt, iudices sentẽtiam ferũt, satellites exequuntur, totusque adeò populus conuitia, calumnias, & scommata iaculatur. Hi sunt illi afflicti, tribulati, excarnificati, patibulis appensi, & dum adhuc in viuis sunt tumulati. Hi in quatuor dissecti partes, turribus, portis ac locis, publicis ciuitatum imponuntur, prout ex hac nostra historia satis superque manifestum euadit.

Adeò videlicet nullum tormentorum aut mortis genus tàm atrox ac truculentum est, quod non sacerdotibus istis ac alijs qui eos recipiunt, occultant, & iuuant inferatur.

Ipsam falsitatem esse, quòd nemo in Anglia ob religionem occidatur. Edictum mendax.

CAPVT XXV.

NOn cõtenti barbari ac crudeles illi Anglicanæ sæuitiæ administri Catholicis per varia & exquisita tormenta vitam ademisse, honorem quoque & existimationem auferre illis conantur, dicentes cum Regina in edicto, eos nõ religionis, sed perduellionis ac proditionis ergo extremo supplicio affici. Et quoniã in libro secundo, parte prima huius Historiæ falsitatem ac mendacium illud, causasque propter quas Reginæ ministri hunc prętextũ adhibeant attigimus (mutando in hoc tyrannos Ethnicos & superiorum sæculorum hæreticos, qui cum Ecclesiã Catholicam persequerentur, ac quare id facerent scisciterentur, respõdebant: quòd videli-

delicet Catholici multa enormia ac horrenda flagitia patrare consueuerint) eò studiosum lectorem in præsentiarum remittimus. Quæ Tyrannis etsi omninò acerbissima sit, noua tamen non est, nec recenter in Anglia excogitata, sed ab alijs hæreticis ac barbaris Tyrannis adhibita ad Martyres pro fide Catholica morientes gloria & honore suo spoliandum. Ob hanc causam D. Hieron. Constantium Arrianum Imperatorem fraudulentum persecutorem appellat, dicens eum omnibus Decijs ac Neronibus fuisse crudeliorem. Et. S. Gregorius Nazianzenus contra Julianum Apostatam scribens hæc ait: Incæpit contra nos impius ille Imperator sæuire, & vt etiam honore nos frustraret, quo Martyres affici consueuerunt, hoc primum artificiosissimè allaborabat, vt qui pro Christo morebantur, tanquam facinorosi plecti ac puniri viderentur. Et alibi inquit: Hoc vnum Apostata studet, vim facere & feciſſe videri nolle, ac nos cruciatos & mortuos honore qui pro nomine Christi patientibus solet adhiberi, priuare. O insignem hominis delirí impudentiam? Hactenus S. Gregorius Nazianzenus. Qui eximius ac eloquentissimus etiam Ecclesiæ Doctor Iulianum Apostatam ideò stultitiæ condemnat, quia nimirùm is artificiosè negare conabatur, quod vniuerso mundo constabat: dicens se Christianos propter scelera perpetrata occidere, cum nemine lateret, eos idcircò mori quia Christianã religionem profitebantur. Idem autẽ omninò no-

Martyres palam Imperator impius Catholicos pro fide morientes priuare conatur.

Orat. 1. in Iulium.

nò nobis de huius edicti authore licet dicere. O stultitiam singularem! ô ineptiam hominis delirantis, qui in luce tàm clara & resplendente, in re quæ manu palpari, & euidentissimè potest comprobari, id te effecturum speres vt oculi nostri non videant, quod digiti palpant! Primum namque ex omnibus illis Seminaristis ac Iesuitis, qui hactenus in Anglia manus vestras cruentauerunt, vel vnum mihi nominate qui arma contra Reginam portarit? qui in campum contra illam militem deduxerit? qui subditos ad defensionem sollicitarit? Date mihi aliquem, qui de homicidio, furto, adulterio, aut alio grauiore delicto fuerit accusatus, quemadmodum vestræ sectæ ministris quotidiè contingit. Non reperietis scio vllum, nec cum veritate dicere poteritis Dei ministrorum aliquem vt facinorosum accusatum condemnatumque fuisse. Imò nunquid eo tempore quo eos torquebatis, & iam patibulo astarent, vitam, libertatem, ac alia præmia ijs obtulistis, si Reginam pro Anglicanæ Ecclesiæ capite reciperent? quo quidem ecquid aliud significare poteratis, quàm eo solum nomine iniustissimè illos contrucidare? Quot S. Martyres eodem temporis puncto coram vniuerso populo confessi sunt se innocentes & absque culpa mori, non proditiones, non delicta, quæ de illis opponebantur in se cadere; sed idcircò tantùm de medio tolli, quod Christiani essent, quodque contra suam conscientiam REGINAM Ecclesiæ caput

fateri nollent: Deum testem & iudicem faciendo? Quod vos Dei seruis cum veritatem populo qui ad spectaculum concurrerat essent iudicaturi, silentium imperauistis, ne innocentia cum qua moriebantur perspiceretur? Carceres autem vestri Catholicis laicis, opulentis, nobilibus, illustribus, Sacerdotibus venerabilibus, ac viris spectatis pleni nunquid contra vos ipsos clamant, & solo religionis nomine eos captiuos teneri vociferantur? Certè ad calumniam & mendacium illud manifestè conuincendum, sufficiet solam Reginæ instructionem legere, quam illa ad Commissarios suos, in omnibus Regni prouincijs, ciuitatibus ac oppidis constitutos misit, vt pœnas & supplicia sanguinarij sui edicti in Catholicos lati exequerentur. Porrò huius Instructionis titulus talis erat.

Instructiones & mandata quædam secretiora, Reginæ & suorum Consiliariorum ad Commissarios seu Inquisitores, quibus tradita est authoritas exequendi edictum nuper promulgatum, contra Sacerdotes, & reliquos Catholicos, in vnaquaque Angliæ Prouincia, seu comitatu. Secundum verò eiusdem Instructionis capitulum sic incipit.

Exigetis secundò, ab Episcopo Diœcesis, illius, in qua est quæq; Prouincia, ab eiusq; Cancellario, Prouisore, & Archidiacono, aliisq; ipsius Præpositi, & curatoribus publicis: nec non à Procuratoribus prouinciarum Secretarijs, Notarijs, aliisq; ministris & officialibus Regni, etiam cuiuslibet vrbis, oppidi, aut villæ præfectis, & magistratibus rationem, numerum nomina, & na-

& habitationem eorum omnium, qui ipsis fuerunt detecti, accusati, vel ad ipsorum tribunalia proximis his annis præteritis delati ob religionis negotium, quod Ecclesias publicas, adire recusauerint siue viri sint, siue fœminæ, & quinam processus iuris aut censuræ contra ipsos ab alijs iudicibus hac de causa exierint.

Hæc sunt illius secretæ instructionis formalia verba, quam ideò Deus voluit, propalari, vt veritas constaret, ac edicti Anglicani falsitas intelligeretur, quod adeò impudenter asserit, neminem Catholicorum religionis, sed proditionis tantùm & læsæ Maiestatis ergo morti adiudicari. Et quoniam hæc res Dei gloriam, Martyrum honorẽ, fidelium exemplum & ædificationem, confusionem Hæreticorum, veritatis manifestationem, & artificiorum quibus Reginæ ministri, vtuntur cognitionem concernit: immorabor paulò diutius huic puncto, ac ex ipsorum Anglorum Annalibus, Historijs & Capitulis Parlamentalibus sermonis istam vanitatem probabo.

In Annalibus itaque eius Regni, scriptis ab Holingshedo & Stou, authoribus Hæreticis, & cum publica authoritate ad perpetuam factorum Elizabethæ memoriam exaratis Anno 1559. hæc verba leguntur.

Primo Anno Reginæ mense Iulio Nicolaus Hethus Archiepiscopus Eboracensis: Episcopi autem Eliensis & Londinensis & alij tredecim vel quatuordecim, simul iussi comparere coram Reginæ Consiliarijs, eò quòd recusarent accipere iusiurandum de Maiestatis suæ primatu Eccle- *An. 1559. Ecclesiastici beneficijs exuti.*

siastico, & de alijs religionis articulis, Episcopatibus suis priuati fuerunt, quod multis etiam Decanis, Archidiaconis, Rectoribus, Vicarijs, alijsq; Ecclesiasticis factum est, qui beneficijs suis exuti diuersis carceribus traditi fuerunt.

Maynus Nelsonus & Shetodus ob Pontificiam Monarchiã occisi.

Deinde scriptum reperio apud Stoum in Annalibus Angliæ ipsius Reginæ priuilegio approbatis hæc verba. *Anno Reginæ 20. Nouemb. verò 30. Cutbertus Maynus (Sacerdos & Theologiæ Licentiatus) ad patibulum pertractus, suspensus, & in quatuor partes dissectus fuit in oppido Lancestonij Comitatus Cornubiensis, eò quòd potestatem Ecclesiasticam Romanam anteferret Reginæ*: Et eadem deinde pagina iterùm: *Tertio (inquit) Frebruarij, primo statim diluculo Ioannes Nelsonus Sacerdos ob negatũ Reginæ primatum Ecclesiasticum, & alia istiusmodi proditoria contrà suam Maiestatem verba, è carcere Neugar ad locum supplicij tractus est, suspensus, exenteratus, & in partes dissecti, & 7. die eiusdem mensis Sherodus quidam ob eiusdem læsæ Maiestatis crimen, è castro Londinensi ad patibulum pertractus eodem mortis genere vitam finijt.*

Fœminæ nobiles condẽnatæ de auditã Missã.

Aliud exemplum ex publicis Regni Annalibus desumam. Holinsedus enim hæreticus perditissimus anno 1574. suæ Chronicæ, hæc verba habet. *Anno Reginæ 16. April. 4. Dominica Palmarum Londini comprehẽsi fuerunt tres illustres fœminæ, dum in ædibus suis Missa celebrandæ interessent: Baronis nimirum Morlai vxor cũ liberis suis & multis alijs: & in altera ciuitatis parte eadem ipsa hora deprehensa est Equitis aurati vidua Guilforda, cum alijs multis fœmi-*

fœminis insignioribus: eodemq; momento capta est in parte diuersa alterius equitis vxor Brunæ nomine cum alijs item in eius domo permultis, qui omnes propter hoc idem delictum carceri tradita fuerunt, & inde accusatæ, conuictæ, & iuxta formam legis condemnatæ. Hactenus Holingshedus; nos veritatem prolixiùs astruamus. Absoluto Parlamẽto & statibus Angliæ dimissis omnes rei, quantumuis facinori ac perditi generalẽ remissionem consequũtur: à qua tamen soli Catholici excepti sunt. Hinc anno 1581. qui fuit 23. Regni Elizabethæ, in actu parlamentali, quo generalis illa venia continetur, hæc verba reperimus: Volumus tamen hanc gratiæ & veniæ generalem concessionem nullo modo ad eos extendi, qui in vltimo sessionis parlamentalis die, quod tẽpla nostra visitare ac diuinis officijs interesse noluerunt, vel propter contumaciam in negotio nostræ religionis, iam in nostro Regno stabilitæ fuerint comprehensi. Constituimus proinde omnes istiusmodi captiuos beneficio generalis nostræ gratiæ, indulgẽtiq; & remissionis nullo modo frui debere, quoad quidẽ in dicta sua pertinacia ac inobedientia persistant. Anno 1585. qui fuit 27. Regni Elisabethæ mense Martio, in Parlamento lex longè crudelissima cõtra Catholicos perlata est. In cuius Principio statim dicitur quod etiam Edictum istud continet, puta Sacerdotes Angliã ingrediẽtes, hoc tantũ agere, vt illã turbent ac Reginã occidãt. Quod cũ author pro legis suo fundamẽto accepisset, ac illas verbis acerbissimis infarciuisset, mox suijpsius

oblitus, paragrapho nono eiusdem legis inquit: Constare autem nolumus scitum illud & quod in eo continetur, ad nullum se Iesuitam, Sacerdotem, Seminaristam, aut alium Sacerdotem, Diaconum, Religiosum, aut Ecclesiasticum (quomodolibet dictum) extendere. Potest clarius, potest expressius, potest euidentius dici causam huius persecutionis esse religionem? O veritas quantam vim habes: dum videlicet hostes etiam ac inimicos tuos quod res est cogis confiteri? Sunt certè hæc formalia actorum verba, sunt scita Capitulorum Parlamentalium, sunt Leges. Sūt Chronicæ, & sunt Annales. Videamus iānunc etiam quemadmodum cum ijs Reginæ dictū conuēniat.

Edictum dicit neminem Catholicorum religionis causa mori: Annales autem clamant viros nonnullos illustres ac Sacerdotes, patibulo appensos, exēteratos, ac in quatuor partes fuisse dissectos, quia nimirum Reginam pro summo Ecclesiæ capite agnoscere noluerunt. Hanc autem Religionis causam esse, quis sanus dubitat? Annales testantur multas primarias mulieres quod Missę interfuerant, iuxta legis tenorem fuisse condemnatas. Et quærat hic quispiam vtrum Angli Catholicos ob religionem occidant? Edictū dicit, neminem ob religionem vita, bonis, facultatibus, & libertate in Anglia priuari. At perhibent Annales multos Episcopos, Archiepiscopos, Prælatos, & Ecclesiasticos in magna dignitate constitutos, Ecclesijs, reditibus & beneficijs spoliatos & in carceribus pro-

Hic mulieres interficiātur eò quod Sacro Missæ officio interfuerint.

propter religionis nonnulla puncta pessimè fuisse tractatos. Quid est hoc aliud? quam libertatem, quam bona, quam vitam amittere? Quod si etiam omnibus istis authoritatibus destitueremus, illud tamen opinor sufficeret, quod Capitula Parlamentalia quoslibet reos Hæreticos in libertatem asserentia solos Catholicos inculpatos ac innocētes carceribus, eximi non volunt. Potest ergo in Anglia adulter, potest homicida, potest latro, blasphemus, periurus, & homo quantūuis flagitiosus gratiam obtinere, dummodò hęreticus sit; valere videlicet Capitulorum Parlamentalium: solus autem Catholicus, quia talis est, ab omni gratia excluſus est. Quæ cùm ita certa ac ipsa meridiana luce clariora sint, audet adhuc Regina publicè dicere in Anglia ob religionem neminem mori, neminem bonis, facultatibus, & libertate spoliari? sed idcircò tantum quia proditores sunt, & quia legitimo suo Regi ac Domino repugnant? O impudentiam solis hæreticis propriam! videamus nunc etiam quibus rationibus barbarum illud edictum adeò manifestum mendacium confirmet.

Rationes

Rationes Edicti quibus asseritur neminem in Anglia ob religionem mori.

CAPVT XXVI.

Tribus argumẽtis Edictũ vtitur vt astruat neminem in Anglia ratione religionis interfici. Primum est, quia in processibus criminalibus contra Catholicos institutis, illi non alio titulo accusantur, condemnãtur, & occiduntur, quàm læsæ maiestatis. Secundum est, quia in Anglia multi opulenti & præstãtes viri, qui diuersam à Regina fidem tuentur nec vita, nec bonis nos aut libertate priuantur. Tertium, quia adeò blandè & modestè cum diuersæ religionis hominibus agitur, vt nihil præter mulctam pecuniariam ab ijs exigatur, qui Ecclesias Anglicanas nolunt frequentare. Examinemus nunc tres istas rationes, ac earum pondus veritatemque consideremus: Posito enim quòd conclusionis falsitatem conuicerimus, eius etiam argumenta refellenda sunt, vt illa ipsa veritatem nostrã testificentur.

Anno 1578. Londini 14. annorum puer pro fide Catholica contrucidatur.

Primam rationem, quæ ait in processibus criminalibus nullã religionis, sed læsæ Maiestatis mentionem fieri, falsissimam esse ipsi processus testantur, in quibus plerisque non alterius delicti quàm religionis mentio iniicitur. Anno 1578. decima septima Februarij die, Londini Adolescens, imò puer quatuordecim annorum, liberalis admodum formæ Thomas Scherodus, post sex mensium captiuitatem, post catenas, post inediam, post alia plura tormenta in arce Londinensi patibulo appen-

appensus est. At quare? Non egressus erat Angliam absque licentia, non fuerat Romæ, nõ vixerat in Seminarijs, non erat ordinatus à Papa, nunquam regnum turbare conatus fuerat, nõ accusabatur vt seditiosus Iesuita nec vt proditor condemnabatur. Cur ergo condemnabatur, quare accusabatur? Solũ quia diuersis quæstionibus à Iudicibus institutis satisfacere nolens, confessus fuit penes Papã supremam Ecclesiæ esse potestatem. Atque hoc ex eorundem iudicum publicis actis cõstat ac liquet. Sub idem ferè tempus ac eadẽ in Londinẽsi arce alius adolescẽs laicus Coperus dictus, non accusatus, non conuictus, sed in itinere Rhemos versus interceptus cõprehenditur ac Marchio coronatur. Marco autem Tipeto quis nescit candenti ferro aures fuisse traiectas? Quis easdem bibliopolæ Roulando Ginx, & nobili Valangero amputatas esse ignorat? ob nullam planè aliã quã ob religionis causam; Iam anno etiam 1583. Ioannem Bodæum, & Ioannem Sladum, duos doctrina ac ingenijs excellentes adolescentes, alterum Vintoniæ, alterũ Andoueri occisos constat; quod negarent Reginam in rebus Ecclesiasticis Papalem potestatem habere, quemadmodum ipsorum iudicum sentẽtia declarauit. Similiter Anno 1584. Gulielmus Canterus Londini & Richardus Vitus Valliæ post atrocia tormenta mortẽ perpessi sunt: alter quod librum Catholicum imprimi curauisset, alter quod Sacerdoti peccata sua cõfessus fuisset. Verũ satis vt opinor exemplorũ istud est, ad primã edicti rationẽ repellendam.

Plu-

Plura tamen qui scire desiderat, is ingentem copiam eo in libro reperiet, cuius titulus est: *Concertatio Ecclesiæ Catholicæ in Anglia aduersus Caluinopapistas, & Puritanos, sub Elisabetha Regina.* Prodijt hic Treuiris anno 1588. extatque in eo supplicatio nonnullorum nobilium Catholicorum, quam pro religione capti, Reginæ consilio exhibuerunt, explicantes in ea carceris miserias ac calamitates, iuxtaq; humiliter obtestãtes, quatenus pœnarum acerbitatem nonnihil mitigaret. Illi ergo inter cætera sic aiunt: Si à sua Maiestate quod petimus impetrare possemus (tametsi iã à multo tempore captiui teneamur & condemnati simus, quòd ad Caluinistarum templa & conciones accedere noluimus) vellemus equidem planè ac sincerè protestari, nos toto vitæ tempore nullam aliam ob causam quàm propter conscientiarum nostrarũ scrupulos suæ Maiestati obedire non posse: in reliquis autem illam pro nostra Domina, Principe & Regina clementissima velle agnoscere. Potestne clarius ac expressius dici, nobiles illos incarceratos ac bonis suis ob religionem fuisse priuatos? Consideranti sanè mihi aliquoties asseuerationem cum qua falsitas ista in hoc edicto affirmatur, & facilitatẽ um qua ea potest conuinci, abesse non posse videtur quin vocabula illa religio, prodi-

Supplicatio nobilium Cathol. quã pro religione captiui Reginæ tradiderunt.

tio, Catholicus, & perduellis, apud Anglos propriam rationem ac significationem habeãt, quàm alia regna & prouincię nõ agnoscant atque intelligant, siquidem in toto terrarum orbe Religio virtus est, quæ docet ho-

minem

minem cũ debito interiore ac exteriore cultu Deum reuereri, Proditio autem est conspiratio contra personam vel statum Principis, in Anglia autem vocabula ista ita confũduntur vt religio & proditio pro eodem sumantur. Hinc postea leges cõtra eos qui Catholicam Religionem profitentur rogauerunt, planè ac si eadem ratione qua Catholici sũt, etiam proditores ac perduelles debeant censeri. Ponamus exemplũ. Mandat Regina ne quis sub vitæ pœna ordines à Papa accipiat, ne Missam dicat, ne alicui confiteatur, ne bullam, Breue, & Papales litteras secum ferat, ne quenquam ab hæresi, vel Schismate absoluat, neúe se absolui aut reconciliari patiatur. Mandat ne quis res sacras Roma delatas, vt Agnos Dei, cruces, imagines, granaque indulgentiarum secũ portet. Quisquis autem horum mãdatorum aliquod præuaricatus fuerit, hunc illa pro proditore, Papæ amico, suo hoste, ac supremæ suæ spirituali potestati cõtrario habebit, ac vt talẽ persequetur, affliget, & trucidabit. Atque hinc omninò est quòd qui Missam dixerit, qui cõfessus fuerit, qui peccatorem absoluerit, qui hæreticum Ecclesiæ reconciliauerit, qui reliquias, crucem aut alia secum tulerit, proditor audiat ac nominetur. Quin cùm isthæc omnia actus sint Catholicæ religionis, dicunt eos rebellium, seditiosorum, Reginæ hostiũ ac coronæ suæ aduersariorum esse, ac vt tales tractari oportere: quia nimirum in Nomẽclatore Ministrorum Regiorum idem est religio quod proditiorem quampiam Catho-

Fœmina dementia ac rabies.

tholicorum fidem concernentem faceres idē quod rebus nouis ſtudere. Vnde ad extremū conſequitur neminem illos propter religionem, ſed tantummodo ob perfidiam rebellionemq; occidere; quippè cùm apud eos maior proditio rebellioque non ſit, quàm Catholicū eſſe, & tale aliquid facere, quo Catholicum te monſtres ac fatearis. Quod ſanè euidentiſſimum argumentum eſt odij illius, quo miſeri iſti Deum & ſanctam eius fidem proſequuntur, quòd videlicet nullum delictum enormius, & grauius putant reperiri, quàm eſſe Catholicum. Secunda ratio, quæ oſtendit multos diuites Anglię contrariæ religionis nequaquam tamen vita & bonis ſuis ſpoliari. Antea ſatis refutata eſt, cùm diceremus multos propter religionem Catholicā vitam ac libertatem amiſiſſe. Illud itaque tùm addo, ſecundam iſthanc rationem, tertiæ aduerſari, quæ Reginæ moderationem in certa pecuniæ ſumma exigenda commendat. Si enim Catholici pœnæ loco pecuniam ſoluunt, nunquid id facere coguntur, quia Catholici ſunt? Si autem illorum bona ijs adimuntur, nunquid iam ſecunda ratio corruit? Obſeruemus autem & hoc loco edictum certam mulctæ ſummam non ponere, quòd videlicet fide propemodum maior eſt. Ego ſanè non Turcam, non Tartarorum Principem, non denique vllum ſubditorum ſuorum hoſtem, tàm graue ſuis pondus ac tributū, propter religionis odium imponere exiſtimo.

Ideò perſequuntur Catholicos hæretici ſi mulctam impoſitam ſoluere recuſant.

Quilibet Catholicus, cuiuſcunque ætatis conditionis, ordinis & dignitatis, vir ac mulier,

lier, si decimum septimum annum agat, Hæreticorum Ecclesias adire, aut singulis mensibus quatuor libras Anglicas, soluere cogitur: Quæ quidē summa ad sexaginta sex scutos excurrit. Sed neque hac summa persoluta Deo in fide Catholica seruire illis permittitur, imò semper captiui detinentur & inter timores perpetuas vitam degunt. Si missæ intersunt, aliam mulctam soluunt: si peccata Sacerdoti confiteantur, vt proditores puniuntur. Atque hoc modo per singulos sanctæ religionis nostræ articulos transcurrere possemus. Iam quoties contingit, vt Catholicus quispiam mulcta persoluta, quia hæreticorum templa frequentare voluit, posteà etiam omnibus bonis exuitur; Et ita in eadem petitione, quam supradicti nobiles captiui Regio consilio exhibuerunt, dicitur: recurrimus ad maiestatis suæ clementiā, & ad misericordiam Dominationum vestrarum, supplicantes humiliter, vt considerent quantæ patrimonij nostri angustiæ sint, & quàm omninò exiguas opes terra nobis nostra suppeditet, ad soluendum pœnas pecuniarias nobis impositas; tùm vt etiam periculi recordentur, in quo constituti sumus, ne videlicet contagioso aliquo morbo inficiamur, propter aëris corruptionem, angustias carceris, multitudinem captiuorum, & multitudinē infirmorum. Quæ omnia nos impellunt & cogunt apud vos supplicare, vt pro nobis apud suam maiestatē intercedant: primò quatenus illius gratiam consequi mereamur, ac deinde vt nobis pœnas pecuniarias ita miti-

tiget, illas vt pendere possimus, remanente tantùm nobis aliqua recula, ea nos, vxores afflictas, ac filios mendicos, sustentare valeamus. ac denique, vt qui iam diu catenati ambulamus, liberiorem aliquantò & minus atrocem carcerem habeamus. Verùm finis sit huic capitulo, siquidem de materia ista, doctum & grauem librum scripsit Illustrissimus & Reuerendissimus Cardinalis Guilielmus Alanus, respondens imprudenti, & insulso cuidam hæretico, qui tractatum scribere ausus est, quem *Iustitiam Britannicam* inscribit: in quo impudentissimè astruere conatur, neminem Catholicæ religionis ergo, in Anglia plecti; prout à nobis libro secundo dictæ historiæ fuit declaratum.

Edictum istud acerbissimum, & toti Angliæ intolerabile est.

CAPVT XXVII.

EDictum istud Reginæ Elizabethæ, non modo impium est contra Deum, stolidũ & falsum cõtra Papam, oppositum Regi Catholico, crudele contra Seminaristas & Iesuitas; sed ijs etiam infame, & ignominiosum, qui regnum illud administrant.

Potestne maior infamia Reginæ aspergi, quàm si iustè ac meritò per vniuersum terrarum orbem inhumana, crudelis, & barbara, existimetur? Si enim benignitas magnis Principibus propria est, & si propter illam amantur, laudantur, & respectantur, etiam ab ijs, ad quos se clementia illorum extendit, crudeli-

delitatem certè summoperè odisse debent & execrari. Quæ autem crudelitas in vniuerso terrarum orbe, Anglicanę potest comparari? Quæ religionem, innocentiam, sanctitatem eruditionem, nobilitatem, canos, teneram ætatem, quemlibet sexũ & ordinem adeò barbarè persequitur. Quæ natio, quis Rex, quæ prouincia ita hodie ab hominũ societate & cõmunione seiuncta est? in qua Anglicanæ sęuitiæ similia possis inuenire? Turcæ Christianos in sua religione tolerant, Lutherani in Germania Catholicos patiuntur, absque vlla vi & oppressione; similiter in Gallia & Scotia Caluinistas nõ paucos inuenis, tametsi sæpè populari & militari, seditioni ansam porrexerint. Scythæ & Barbari, eos non lædunt, à quibus non offenduntur, tametsi aliam, & à sua diuersam foueant religionem. In sola autem Anglia terminus & modus cõtra Catholicam religionem sæuiendi, non inuenitur; imò quantò quis fidelior Reginę minister cupit videri, tantò crudeliùs innocentum sanguini violentas manus immergit. Et faciunt tamen ista, qui humani, politici, & populares audire volunt; quique mirabiliter sibi gratulantur: si audiant administrationes suas moderatas, faciles, legibus antiquis, & laudabilibus Angliæ consuetudinibus conformes esse, & existimari. O ignorantiam legum antiquarum, si tales illas esse creduut! O incredibilem impudentiam! si illas cognoscendo, persuadere nobis volunt, ea quæ contra Deum & sanctos illius faciunt, antiquis regni Britannici legibus esse conformia.

Sola Anglia sanguine Catholicorũ expleri nequit.

Istæ enim leges, quas edictum commemorat Anno vigesimo quinto Regni sui à Rege Eduardo tertio contra Iesæ Maiestatis reos rogatæ sunt: in quibus casus illius criminis assignantur, inter quos sunt contra Principis vitam coniurasse, aut exercitum contra illum ducere, quēadmodum manifestè potest cōfirmari. Hinc omnes temporis nostri politici, qui ad gubernacula Regni Anglicani sedent, dicunt, tot illustrium ac innocentum hominum cædes in Eduardi tertij legibus esse fundatas, propter eandem planè consequentiam, quam supra retulimus. Sacerdos est, ergo & proditor: supremam potestatem penes Papam esse confitetur, ergo Reginæ hostis est: Missam legit, ergo Consiliarios sustollere vult: Confitetur & reconciliat, ergo exercitum contra regnum ducit; *quia* nimirum in Anglicis Nomenclatoribus Catholicus proditori æquiualet, & quia sub synonimis vna ac eadem res latet.

Desolatum Angliæ regnum ac deflebile.

Quod si etiam miserias & ærumnas intueamur, quæ ex hoc edicto consecutæ sunt, cōstituemus reuera illud longè grauissimum, ac intolerabile planè debere videri. Quæ enim maior seruitus, quæ grauior miseria potest reperiri, quàm omnes Patresfamilias, regni vniuersi adeò rigidum examen, putidam diligentiam, & puerilem curiositatem, in domesticis suis examinandis debere adhibere? Quam graue istud onus, & quā vasta moles pro regno vniuerso istud est? Quàm difficile inquisitoribus, quàm acerbum inquisitis, quàm ingratum examinantibus, & quàm atrox

atrox examinatis? Si vnus explorator integrum populum potest affligere, quid innumeri exploratores ac persecutores in quolibet regno facere non audebunt? Quantum tu illorum esse putas? qui vel senectute, vel infirmitate, vel alio infortunio impediti, nõ scribunt, scripta non conseruant, & conseruata Commissarijs exhibere non possunt? Quantas occasiones edictum istud vindictæ, cupiditati, inuidiæ, crudelitati, & perfidiæ, putas patefacere? Quot inculpatos, omnibus suis bonis spoliari, vt inobedientes, ac edicti transgressores, propter Commissarij morositatem, hostis maleuolentiam, exploratorum falsam accusationem, scribarum cupiditatem, & omnium reliquorum iustitiæ ministrorum impietatem, crudelissimè tractari, plecti, & excarnificari? grauis omninò res est, neminem Anglię regnũ ingredi posse qui non millies interrogetur, & ad mille iuramenta adigatur, grauiùs autem est, quòd vniuersum istud regnum tanquã carcer claudatur, extra quem sine expressa Reginæ licẽtia pedem efferre non potes: Vnde ad extremum consequitur, neque eos qui intrant, neque eos qui exeunt, ab istis se molestijs posse liberare.

Quæ verò miseria illa est viatorem ad hospitium, ad tabernam, & ad diuersorium cõcidentem, dum edit, dum bibit, toties nomine suo, de vita, de religione, interrogari? Quæ agendi ratio quemlibet domus suę Dominum in ea securum esse non posse, sed cõtinuò debere expectare vt aliquis Reginæ

authoritate armatus se inuadat, ac bonis omnibus euertat? Idque in omnibus ciuitatibus, oppidis, pagis, Prouincijs, & totius Regni Parochijs? Cui isthoc non intolerabile pondus, non insupportabile iugum, non res omnium miserrima esse videatur? Quis Consiliarios talia constituentes sapere iudicet, si quidem quod faciunt, & periculum quod ipsos subsequi potest melius non perpendunt? Maneat proinde eos non tantùm impios contra Deum à bonis omnibus, non modò crudeles à quibuslibet ratione præditis, sed imprudentes etiam ab vniuersis Rerumpub. ac Regnorum peritis existimari. Quis neget solam illam barbariem & immanitatem cum qua Catholici Anglicani tractantur, defectionis & tumultus posse esse causam? Cùm enim tantus diuitum ac potentum Catholicorum numerus in Anglia reperiatur, si videant propter eam se religionem affligi & molestari in qua ipsi nati, maiores autē sui mortui sunt; si cogitent terribilem illam persecutionem, à tot iam annis inceptam, indies crescere & augeri, quòd quidem aliqui supersint qui illam foueant, regnumque illud destruere euertereque satagant: Quid mirū foret, si patientia in desperationem, ac longanimitate in furorem conuersa, non veri tantùm Catholici, sed etiam hæretici, eorum agnati tot ex suis indies occidi mactariq; conspicientes defectionem molirentur? nunquam à periculo caruit nimium subditos opprimere. Pleni sunt Historicorum libri, ex quibus perspicimus sæpenumerò violenti-

lentiam regni turbasse, imò euertisse: vniusque Principis crudelitatem exacerbatis subditis, respectum, obedientiam, ac vitam etiam perdidisse. Quod si iam Catholicorum afflictioni, Hæreticorum oppressio, & intolerabile iugum, quod edicti seueritas illis imponit addatur, quid amabo sperari; quid expectari potest? Considerent mihi hæc edicti illius authores, cogitent nullam totius orbis nationem toties in regimine mutasse, quoties sua cogitent contemptum Religionis plerumque istas mutationes fuisse subsecutas, prout ex eo colligere est, quod Gildas sapiens, & venerabilis Beda, ac alij prudentes Anglicarum rerum scriptores obseruauerunt.

Cùm Edicta hæc tàm falsa sint, cur publicentur.

CAPVT XXVIII.

SCiscitabitur fortassis non nemo hoc loco cur edicta tàm acerba, crudelia, ac terribilia, à Regina, quæ sicut mulier est, ita plus pacis quàm belli, plus lenitatis quàm crudelitatis, plus blanditiarum quàm tormnētorū amica esse deberet? Considerato præsertim periculo quod illa sibi creat, rogentur, perferantur, ac publicentur? Scilcitabitur inquam, non nemo, & iustè sanè nec immeritò: verùm vt interrogationi isti satisfaciamus, antè videndum est, quis hodie in Anglia status, quod regimen, & quis denique illius gubernator sit: Quorūlibet.n. regnorū administratio

stratio à Regijs ministris & Consiliarijs dependet, vt quales ipsi sunt tales, deinde etiã actiones in regno administrando deprehendantur. A multis hactenus viris prudentibus dubitatum fuit vtrum minus malum sit, Regem bonum malos Consiliarios, quàm Regẽ malum bonos Consiliarios habere: Si enim bonorum Consiliariorum monitis acquiescat, etsi pessimi ingenij sit, subditos tamen nolet opprimere. Sin verò optimæ etiam intentionis ipse, ambitiosis, sordidis, ac illiberalibus pareat, illi quo aquam ad suum molendinum deriuent, res ijs tali colore pingẽt, & habitu iustitiæ, pietatis, ac vtilitatis ita vestiẽt, ipse vt Rex quantumuis iniustas, pernicioſas & abominabiles illas amplectatur, nec ante damnum suum agnoscat, quàm vbi propria authoritate tetrogradi amplius non potest: Quotiesverò contingit mali vt Consiliarij ne malè suasisse videãtur, quotide noua excogitent ac illa Regi suo, tanquam Regni sui commodum spectantia representent? Hæc certè omnia ex nostra historia intelligi, & exemplis Cardinalis Volsæi, Cromueli, ac aliorum quos diximus possunt confirmari vt constet quæ edicta & quis hodiernus status regni istius sit. Assumpsit Elisabetha pro principibus regni suæ Maiestatis, circa initiũ regni sui, homines aliquot humiles, auaros, hæreticos, Caluinistas qui ei suaserunt vt Regni stabiliendi causa religionem Catholicã mutaret, nec S. Apostolicã sedẽ agnosceret. Paruit illa: isti verò totã regni nobilitaté adeò illo suo quo Cathol. religionẽ persequuntur,

Controuersia vtrum præstet malos Consiliarios quam bonos habere.

tur,& crudelitate sibi innata(etsi falsò mansuetudinis prætextu velata) ita peruerterũt, illud vt iã vnũ spectarẽt,quomodoReligionẽ Catholicam toto Regno eradicare,innocentumque se sanguine saturare, auaritiamque suam illustrium hominum spolijs, ac fortunis possent explere. Atque si deinde negotium suum amplius promoturi,soli regnaturi, ac in suo tantùm Regno pacẽ habituri , cum aliorum bello ac turbatione, causa fuerunt quod Regina in vicinos Reges rapinis, assultibus, & incendijs grassari non dubitauit. Hi mare infestarunt, & nostris spolijs diuitias & fortunas sibi pepererunt. Hi cùm ante viles,abiecti,ac ignoti essent,tandem authoritate qua pollent,thesauros cumularunt , superba palatia ædificarunt,& Dominorum titulum proprium sibi effecerunt. Cum ecce omnibus istis non contenti (auaritia namque modum ac terminum non habet) videntesq; expleri se non posse,nouos cuniculos ac vias plura possidendi excogitant. Et sicut ipsi Hæretici sunt,ita Catholicos vita ac opibus indignos esse credunt, ac è vestigio illis spoliandos existimant : illa, ne sibi astent in abominabili sua secta propaganda : istic, vt ipsi ditescant & rem familiarem augeant. Quoniam autem id ipsum absque offensione facere non possunt,quod videlicet nullam iustam facti causam adducunt,quodque mitioribus , nonnullis Hæreticis Religionis illa ratio sufficere non videtur : præter rebelliones, ac coniurationes contra Reginam excitatas (quibus etiam illum ad se sustentan-

Aperta Elizabethæ crudelitas, auaritia, rapinæ.

dum cogunt ac impellunt) maiorem adhuc veritatis apparentiam mendacijs suis conciliaturi, publicè proclamant, Sacerdotes & Catholicos sua cum Papa & Rege Catholico pacta habere, ac illorum iussu in Angliam proficiscì, quò illic subditorum animis corruptis, facilius exercitus hostiles in Regnum possint induci. Hic fons, hæc origo, hæc scaturigo est illius mẽdacij, hæc radix tanti mali, hoc filum, ex quo adeò lamentabilem glomerem efficiunt, hoc exordium tanti & tàm subtilis artificij. Hinc illæ contra Regem Catholicum iræ, hinc calumniæ contra summũ Pontificem, hinc tyrannis vniuersa contra Dei Sacerdotes, hinc denique edicta tàm crudelia & acerba proficiscuntur; quo videlicet mendacio color & gratia aliqua concilietur, miser Angliæ populus circumueniatur, nouis continuò tributis & oneribus emungatur, ipsíque etiam non minimam illorum partem adipiscantur. Dum ergo illi adeò crudelia & acerba ipse edicta suggerunt, illa in tantis se angustijs cõstitutam ac tàm potentibus Principibus circumseptam videns, ijs rerum summam permittit, quæ nauim suam ingrediens nouarchos sibi delegit.

Nonnulla

Nonnulla huius persecutionis authoribus considerandа.

CAPVT XXVIIII.

OBtestor itaque omnes ac singulos edictorũ istiusmodi authores, vt homines & Cahristianos esse se cogitẽt, humanitatẽ nõ exuant, & crudelitatẽ quæ bestijs propria est non induant. Meminerint Sacerdotes & Catholicos, quorum sanguinem profundunt, similiter homines Christianos, suos gentiles conterraneos, nonnunquam agnatos consanguineosque esse. Et quoniam ipsa quantumuis ferocia animalia naturæ ductu intelligũt sibi in eiusdem specie bestias non esse seruiendum, quomodo illi homines cùm sint, alios homines fratres suos ad macellum & carnificem trahere non verentur? Et siquidem Christiani sunt, cogitent mihi mansuetudinem ac benignitatem illam, quam Christus verbis ac operibus nobis commendauit. Cogitent illum Euangelium suum, non armis, non cum barbarie, non cum immanitate, sed cum comitate, ac sanguine concionatorum voluisse prædicari: quo videlicet eiusdem veritas intelligeretur, pro qua illius concionatores vitam profundere nõ dubitauerũt: Cogitent illustres ac hæroicas illas Dei seruorum in tormentis ac morte elucentes actiones humanas non esse, sed à solo Deo proficisci, qui vires athletis suis sufficit, vt constantiùs pro veritate moriantur. Cogitent persecutores Tyrannos simul ac Neronum

Oratio inuectiua in Romana Ecclesia hostes & Catholicorum persecutores.

ronum, Diocletianorum, Maximinorũ & aliorũ Principum crudeliſſimorum imitatores eſſe: qui idipſum aliquando fecerũt, quod vos noſtra hac ætate contra Catholicos maiore etiam cum immanitate deſignare non dubitatis. Et ſi quidem prudentes haberi cenſerique volunt, conſiderent mihi quæſo parumper à quot iam annis Angliæ Catholicos, Seminariſtas ac Ieſuitas affligere & perſequi incœperint. Cogitẽt modos quibus viſi ſunt adillos capiendum, cogitent examina quibus captos vrſerunt, cogitent calumnias, & proditiones quas illis falsò impoſuerunt, ſupplicia denique ac mortes cogitent, quibus eis afficere non dubitauerunt. Cogitent nihil ſe vnquam prætermiſiſſe quo eos ab ingreſſo Angliæ prohiberent, nihil denique nõ tentauiſſe quo eos, qui iam intrarant vita bonisque omnibus ſpoliarent. Quid autem mabo tot iam annis, cum tã acerbis legibus, cum carceribus, cum catenis, tormentis, inedia, ignominia, falſa infamia? imò cum omnibus armis effecerunt? quæ per innumeros Regiæ crudelitatis adminiſtros comprehenderunt, vt Dei ſeruos ac Sacerdotes à Regno ſuo ſubmouerent? Nunquid veſtra crudelitas fidẽ Catholicã in Anglia ſuppreſſit? Eius radicẽ extirpauit? Nunquid edictorũ veſtrorũ malum Ieſuitas & Seminariſtas arcere potuiſtis, ne in Reginam veſtram ingreſſu fidem Catholicam annunciarent, ac erroneas animas in veritatis viam reducerent? non certè: ipſi enim vos in edicto veſtro confitemini, intra breue temporis ſpatium plures quàm

vnquam

vnquam antèhac Catholicos in Angliã peruenisse. Itane verò? Ergo Dei manum hic non videtis? & quis pro Catholicis pugnet non intelligitis? An non aduertitis Catholicorũ illum sanguinem, quem profunditis eorundem semen esse? quodque Deus pro vno à vobis occiso mille Hæreticis vitam elargiatur: qui Catholicorum constantia ac suorum barbarie perspecta, hanc veram Religionem esse oportere intelligunt? quæ tàm eximia operatur? Quod sanè si ita non esset, quomodo tot nobiles, delicati & diuites adolescẽtes mortem adeò auidè expeterent? quæ robustissimos ac fortissimos etiam homines perterrefacit? quomodo cum gaudio tolerarent? inter quæ validissimi homines deficiunt? Quomodo ita certatim in Angliam morituri conuolarent? nisi à Dei spiritu mouerentur? & sicut alij Martyres aliquando pro eadem fide mortui confuntarentur? Si autem Deus pro illis pugnat, quæ malum dementia illa est? sperare eos te posse vincere? Si à Deo mittuntur, quomodo vos illos submouebitis? Si à Deo multiplicantur quomodo vos illos eradicabitis? Si à Deo confortantur, quomodo fore arbitramini vestræ vt illas leges perterrefaciant atque exaniment? *a* Cogitate gigantes Babylonicam turrim incæpisse, perficere autem non potuisse. *b* Cogitate Deum Achitophetis consiliũ ita subuertisse, ipsum vt se ille suspenderit? Cogitate Herodem infantes occidisse: Christum autem consequi non potuisse. Cogitate impium Apostatam Iulianũ denique agnouisse, quod Deo reluctari non posset,

a *Genes.* 19.

b 2. *Reg.* 17. *Matt.* 2. *Theodoret. lib.* 3. *ca.* 20.

posset, cùm exclamaret: *Vicisti Galilæe*, ita cùm ille per contemptum, Seruatorem nostrum appellabat. Non est namque sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum; inquit Sapiens. Cogitate difficile esse contra stimulum calcitrare, quemadmodum Saulus ante conuersionem fuit expertus. Cogitate, Pharaonem populum Israeliticum eradicare cupiẽtem ab ipso Deo fuisse euersum, quod videlicet illud B. Iob fallere non potest: *Quis resistit ei, & pacem habuit.* Cùm Seminarium Duaci excitaretur, id continuò ne quidquam pessundare voluistis. Transplantatum fuit Rhemos & nihil non ad id subuertendum tentauistis; verùm id non modò vobis non successit, sed aliud etiã Romæ mox ædificatũ fuit. Hæc deinde duo propugnacula vestræ perfidiæ ac furori opposita conspicati, omnes machinas contra eadem collocauistis: resultante ex eisdem tertio Seminario in Valladolid. Cui cùm mox quoque vos opponeretis, edictum crudelissimum contra Sacerdotes promulgaretis, & in eodem contentas pœnas barbarè exequeremini: quid aliud consecuti estis quàm quòd modò per totam Angliam constat, extra illam Seminaria quædam esse, ad quæ multi docti & virtute præditi adolescẽtes confugerunt? quid aliud quàm quod liquet Rhemensi, Romano, Valladolidano quarum Seuillarum accessisse, & alia deinceps accessura, si opus fuerit; quia videlicet diuinæ *Maiestatis* consilium vinci non potest, prout Gamaliel dixit. Reuocate vobis in memoriam exempla simili-

Theodoret. lib. 3. ca. 20.

Act. 9.

S. Iob.

similium tyrannorum ac Ecclesiæ persecutorum; cogitate quem plerique finem habuerint; quas victorias, triumphos, & coronas, Deus fortibus suis athletis contulerit; quodque eorum memoria apud nos perennam ab vniuersis Catholicis colitur ac honoratur; cùm qui eos Martyrio affecerunt è contra sub æterna ignominiæ ac ignorãtiæ nocte sepulti, in sempiterno inferni barathro ardeant & consumantur. Imò persuadete vobis idem vobis euenturum, Deumque eadem via qua vos illius seruos occidere, & velut proditores diffamare satagitis, eos honoraturum ac per vniuersum terrarum orbem glorificaturum; vidi ego Beati Patris Edmundi Campiani è societate Iesu, quem vos Lundini Deo barbarè de medio sustuliſtis imaginem in India subtilissimè affectam: scio eundem eodẽ tempore quo vos illum excarnificabatis vt Iesu Christi martyrem fuisse honoraturum; vos autem velut Dei Ecclesiæque suæ hostes & tyrannos, maledictos. Quod si vetera exempla vos non terrent, moueant saltem recentia ac moderna. Vbi nunc sodes Dacon vester est? vbi Vvalsingamus? vbi Robertus Dudlæus Comes Leceſtriæ? Vbi Hatton Cancellarius Regius? Nunquid omnes mortui sunt, & plerique terribiliter, vti & vobis accidere potest? Cõuertimini proinde aliquãdo ad Deum: non estote adeò crudeles erga illius seruos; cogitate dum illos vt hostes tractatis à Deo eos honorari: mitigate & reuocate edicta vestra; imitamini mihi antiquos Ecclesiæ persecutores qui

Imago Patris Societatis Iesu Londini ab hæreticis martyrio affecti colitur ab Indis.

qui videntes nihil se agere & Catholicos in. ter|tormenta crescere, leges quas cõtra illos rogauerãt abolere rursus coacti sunt. Imperator Traianus Plinio suadente suam contra Christianos persecutionem mitigauit. Adrianus eius successor pro illis ad Minucium Tundanum Proconsulem scripsit, ac Hierosolymas pro habitatione ijs assignauit. Antonius Pius Achiaticis illos commendauit, cõfessus coram Deum immortalem illos adorare. Marcus Antonius neminem accusari idcircò voluit quod Christianus |esset. Galienus ne quis eos persequeretur prohibuit. Denique vt breue faciam, Maximinus postquam crudelissimè Christianos fuisset |persecutos post barbara edicta etiam æri incisa vt perpetua essent publicata, videns frustrà se esse & Deo reluctari non posse, eadem reuocare coactus est.

Quæ Seminariorum Sacerdotes ac alios Catholicos ad hoc certamen animare debeant.

CAPVT XXX.

VErùm quoniam futurum scio vt obstinati & occæcati isti me non audiant, conuertam tamen orationem meam ad vos charissimos Fratres & Patres Societatis *Iesu*, imò ad omnes dictorum Seminariorum Sacerdotes, quos Seruator Noster ad tàm illustre facinus delegit & sub vexillum suum assumpsit. Et quamuis ego potius in pœnis, periculis, certaminibus, & coronis vobis optarem

rem associari; attamen quia tantam felicitatem non mereor, illud saltem me recreat & afficit quòd animo vos comitari ac certaminibus vestris mihi licet interesse. Nihil opus est vt ego vos animem, quippè qui pro Duce & confortatore ipsum Deum habetis: potiùs ergò me ipsum animaturus & tàm inæstimabilis beneficij memoria, quo Deus vos affecit, mentem meam consolaturus, vos rogo & obtestor tantùm vt bonum assiduè memoriæ vestræ infigatis, illud vti par est ponderetis, ac quo decet affectu amplectamini. Mementote mihi quòd Angliæ vestræ regno sub profunda & Aegyptiaca nocte sepulto, Deus in vestra corda non aliter quàm in terrã Gessen lucem claritatemque suam infuderit. Cõsiderate cum attentione ad quam dignitatem vocati, quemadmodum errantium duces, cæcorũ rectores, sacramentorum dispẽsatores, fidei Catholicæ prædicatores, Dei militesq; & Capitanei sitis constituti. Instruite proinde mihi corda vestra orationibus, pœnitẽtiæ exercitijs, bonis operibus, & præcipuè ardenti desiderio ac zelo gloriæ Dominicæ ac salutis proximorum. Armate vos scuto fidei, galea salutis, & Tromphæa verbi diuini: Non cadatis animo, propter vestrorum paucitatem & hostium multitudinem: Non abijcite hastam, quia vos debiles, infirmi pauperes, & inermes, isti verò fortes, bellicosi ac robusti sunt. Cogitate Deum honoris sui admirabilem zelatorem esse, & non rarò gloriam suam (ne videlicet homines sibi illam arrogarent) magnis exercitibus detractam debili

Non in fortitudine brachij tui sperandum.

In altissimi Dei manu & potentia habendã esse fiduciam.

bili ac infirmo populo contuliſſe. Cogitate Abraham qui cum ſeruis tantùm ſuis Philiſtæorum exercitum cecidit: Cogitate Ionatam, qui eorundem caſtra ope vnius militis perterrefecit: Cogitate Samſonem qui aſinæ mandibula mille hoſtium occidit: Cogitate Dauidem qui ſuperbum Goliath funda tantũ & lapidibus ſuis proſtrauit. Cogitate Prophetam Eliam, qui ſolus ac inermis quadringentos & quinquaginta Sacerdotes Baalis interfecit. Cogitate Sanctam Iudith quæ ebriũ Holofernem & Aſſyrios ſimul vniuerſos deleuit. Reuocate vobis in memoriam Gedeonem cui Deus trecentos tantùm milites aſſignauit, ne victoriam à Madianitis relatã ſuis viribus poſſet aſcribere. Confidite in Domino & firmiter credite eum trecentis alijs qui hodie in Anglia exiſtunt victoriam de hoſtibus eſſe conceſſurum; vt videlicet ſicut trecenti illi Gedeonis milites, tubas veritatis & lampades Charitatis vobiſcum portantes nõ timeatis vaſa teſtacea, hoc eſt, corpora veſtra confringere, & pugnando pro Domino vitã profundere. Non terreat vos hoſtis furor & crudelitas, non frangant exquiſita tormenta vobis præparata; Dominus namque vos ſeruabit, quemadmodum & Danielem de lacu leonum, & tres pueros ex fornace Babiloni-ca, & Ionam ex ventre ceti liberauit. Hic vobis inter tormẽta vries ſufficiet; ita vt pœnis veſtris fortiores, in carcere liberiores, quàm qui vos incarcerant, lapſi vos proſternentibus firmiores, ligati vos, vincientibus ſolu-

solutiores, & iudicati vos condemnantibus altiores sitis. Vestra vulnera rosæ ac flores erunt, sanguis autem qui ex corporibus vestris promanabit regia purpura: corpus vestrum laceratum & excarnificatum, spiritu integrũ existet. Consumptis carnibus virtus non minuetur; dempta substantia, patientia non subtrahetur; mors autem vestra gratissimum Dei Sacrificium est futurum. Pulchrè certè Sanctus Cyprianus in exhortatione ad Sanctos Episcopos, Sacerdotes, ac plures alios pro Christo captos ait:

Imposuerunt quoque compedes pedibus vestris, & membra felicia ac Dei templa infamibus vinculis ligauerunt, quasi cum corpore ligetur & spiritus, aut aurũ vestrum ferri contagione maculetur. Dicatis Deo, hominibus & vitã suam religiosa virtute testantibus, ornamenta sunt ista, non vincula, nec Christianorum pedes ad infamiam copulant, sed clarificant ad coronam. O pedes feliciter vincti, qui itinere salutari ad paradisum diriguntur. O pedes in seculo ad præsens ligati, vt sint semper apud Dominum liberi! O pedes compedibus & transuersarijs interim cunctabundi, sed celeriter ad Christum glorioso itinere cursuri. Quantum vult hic, vel inuida crudelitas, vel maligna, nexibus vos suis & vinculis teneat, citò à terris & pœnis istis ad cœlorum regna venietis. Non fouetur in metallis, lecto & culcitris corpus, sed refrigerio, & solatio Christi fouetur. Humi iacent fessa laboribus viscera; sed pœna non est cum Christo iacere. Squallet sine balnei-

is membra situ & sorde deformia, sed spiritaliter intus abluitur, quod foris carnaliter sordidatur. Panis illic exiguus; At non in solo pane viuit homo, sed in sermone Dei. Vestis algentibus deest, sed qui Christum induit, est vestitus abundanter & cultus est. Semitonsi capitis capillus horrescit; sed cùm sit caput viri Christus; qualecunque illud caput deceat necesse est, quòd ob Domini nomen insigne est. Omnis ista deformitas detestabilis & terra gentilibus, quali splendore pensabitur? Sæcularis hæc & breuis pœna, quam clari & æterni honoris mercede mutabitur, cùm secundum B. Apostoli vocem transformauerit Dominus corpus humilitatis nostræ cõformatum corpori claritatis suæ?

Hactenus D. Cyprianus. Et quæ omninò maior felicitas potest reperiri, quàm eo pro Domino mori, qui antè pro nobis mortẽ oppetere non dubitauit? pro eo tormentis subijci, qui eadem pro nobis tolerauit? quam mortem naturæ debitam in sacrificium vitæ authori offerre. Quæ melior versura potest excogitari, quàm cœlum & vitam sempiternam pro fragili ac momentanea accipere? Quæ maior felicitas potest exspectari, quàm glorioſissimorum Martyrum cohortibus annumerari, quæ cœlum venustant & exornãt? Quot serui pro Dominis suis moriuntur, qui tamen hanc ijs gratiam & fidelitatem recompensare non possunt? Quot milites fortiter pro Regibus suis dimicaturi & nomen illustre reportaturi, lanceis transfodiuntur, & glandibus ferreis de medio tolluntur? Agite pro-

Sanguinem & vitam pro Christo profundere honestum & gloriosum est.

proinde ô fortes Christi milites & fideles Domini nostr serui, non percellant vos tormenta: quæ si læuia sunt tolerate, si acerba & grauia non duratura cogitate. Ad hoc vos euocati estis, ad hoc delecti, ad hoc deputati. Sunt hîc certamina, sunt conflictus, sunt vulnera; at sunt etiam victoriæ, coronæ, & triumphi: Verũ cum insigni inæqualitate, quippè cùm certamina leuia & breuia, pręmia autem & coronæ immarcessibiles immortalesque sint.

Continuatio præcedentis Capitis, & trium causarum, quæ Martyribus animum addere debent, explicatio.

CAPVT XXXI.

TRia potissimum sunt quæ vobis ad bellum istud proficiscentibus animum addere debent. Primum est causa quam defenditis. Secundum, modus quo patimini. Tertiũ certa victoriæ referendæ spes. Ac primũ quidem causa, quæ martyrem facit, & quæ vos ante omnia mouere ac animare debet, hoc est quòd videlicet in Angliam proficiscimini, nõ vt regnum istud turbetis, non vt Reginæ vitã eripiatis, non vt politicum regimen curetis (ista enim sublimibus vestris cogitationibus humiliora sunt, nec à vobis fieri debent, ne iustam calumniandi causam aduersarijs vestris præbeatis) sicut Ecclesiæ panem & vnionem defendatis, vt vestras animas, parentũ, amicorum, & familiarium animas saluetis;

Rationes 3. quibus Christi miles solet animari.

vt dignitatem Sacerdotij, Maiestatem æterni & sancti Sacrificij, sacramentorum vsum, incorruptam verbi diuini doctrinam, genuinâ sacrarum literarum explicationem atque à Sanctis Doctoribus receptam expositionem conseruetis. Si pro minimo fidei nostræ articulo mori, si pro vnius sacramenti defensione vitam contemnere, si denique pro animæ salute spiritum profundere, res summæ honorifica ac glorioſa est, quantæ glorię ac laudis futurum existimetis pro tot Sacramentis, pro tota lege Dei, & pro saluatione animarum integri alicuius regni mortem oppetere. Sanctus Ioannes Baptista tanti faciebat veritatem dicere, & Herodis turpitudines reprehendere, vt caput suum deponere pro hoc facinore non vereretur. Sanctus Matthæus mori maluit quàm Iphigeniæ quæ virginitatem vouerat, matrimonium suadere. Sanctus Petrus & Sanctus Paulus veriti non fuerunt, Neronis impudicas mulieres ad sanctam nostram religionem conuertere, ac ob eá deinde causã ceruices porrigere. S. autẽ Thomas fortissimus Anglię martyr, nũquid pro libertate Ecclesię sanguinẽ suũ profudit? Nunquid Episcopus Roffensis, & Thomas Morus, gloria Imperij Anglicani, ac nostri seculi ornamenta, & plures alij religiosi Doctores, Sacerdotes, & Laici, crudelissimis tormentis excarnificari, quàm Regis Henrici connubium approbare maluerunt?

Illustres fidei Catholicæ testes.

Quæ verò nunc in Anglia tractantur quãtò obsecro maiora & excellentiora sunt? Impium Caluini Euangelium, & ab eo inferna-

le exci-

le excitatum incendium à nobis restringendum est; tametsi id sanguinis vestri riuis fieri debeat ac profusione.

Secundum quod vos in hoc certamine animare debet, modus est quo hodie Anglia Catholicos persequitur, ac religionem nostram funditus extirpare conatur. Quemadmodum namque ex historia nostra colligere est, non tractatur negotium religionis in Anglia cum insultibus, tumultibus, & seditionibus popularibus, sed in tribunalibus, in iudicijs & cum falsæ iustitiæ inani quadam representatione. Legimus superioribus sæculis Arrianos, Donatistas, & Circuncelliones Hæreticos aliquoties in Italia & Africa fuisse tumultuatos, armatosque impietate & furore in Catholicos inuolasse, ac multò quàm crudelissimè omnes interfeciſſe. Nostro autem sæculo scimus in Gallia, Zelandia, & Hollãdia, Caluinistas (qui quinta hæreseos essentia & inferni quidam titiones sunt) maiore adhuc cum rabie & barbarie innumerabiles Catholicos, religiosos, Sacerdotes, Ecclesiasticos, sæculares viros & mulieres, nulla accusatione, aut processu, vel deliberationis spatio præuio, ad carnificinam rapuisse. Sufficiebat.n Catholicę religionis illos esse, quã isti tãtoperè oderũt & execrãtur. Et quãuis omnib⁹ qui isthoc modo mortui sũt Martyriũ nomẽ ac titulũ attribuam⁹, quia nimirũ causa mortis ab illis toleratę fides Catholica erat; attamẽ nescio quo pacto illustriùs Martyriũ illud est quod Anglia confert, vbi præter infinitos carceres, custodias, tormenta, pœnas,

& seueriſſima examina Catholici interrogãtur, vtrum ſacerdotio fungantur, vtrum Miſſam legerint, confeſſi fuerint, confitẽtes abſoluerint, Papæ ſupremam poteſtatem credant, & Reginam Anglicanæ Eccleſiæ caput eſſe confiteantur: vbi amici & agnati ſanctos Dei ſeruos peruertere, iudices falſis promiſſionibus decipere, minis perterrefacere, & tormentis expugnare contendunt. Vbi martyribus vita, incolumitas, ſalus, libertas, & præmia promittuntur, ſi ad Hæreticorum ſe Eccleſias ituros promitant, aut veniam à Regina petant. Dico ergo modum iſtum excitare vos debere, vt cum maiore animo illud negotium aggrediamini, quippè cùm vt diximus, per id perfectum quoddam Martyrij genus ac ſuperiorum temporum perſecutionibus, neſcio quo pacto ſimilius conferatur.

Hîc Catholici varijs in rebus examinandi ſiſtunt,

Quid autẽ etiam hoc loco dicã de ſecuritate victoriæ ac illius certitudine? Fortiſſimi quiq; milites vrbem cùm aliquã adoriuntur, vel cùm bellum aggrediuntur, nõ poſſunt nõ dubitare de victoria, propter incertos præliorum exitus ac ſucceſſus. In hac autem ſpirituali noſtra pugna, de illa dubitare nõ poſſumus, non modò quòd ſcimus, ſi non moriamur, nos vincere, aut ſi moriamur, multò magis victoriam reportare: ſed quia etiam ineffabiliter cognoſcimus nullam crudelitatem Tyrannorum, nullam malitiam hæreticorum, nullum furorem perſecutorum, imò nec ipſas inferni portas ac poteſtates contra Eccleſiam fidemque illam poſſe prævalere, quæ

quæ supra Petram & cõfessionem Sancti Petri fundata est; imò quin intelligimus quaslibet vndas & tempestates rupi huic impactas frangi ac resilire. Quantum Deus bone, vsque in hodiernum diem passa fuit Ecclesia Catholica à Iudæis, Gentilibus, Mauris, Imperatoribus Romanis, Regibus barbaris Gothorum, Vandalorum, Hunnorum, Longobardorum, ab Hæreticis Nouatianis, Arrianis, Donatistis, Eutychianis, Iconoclastis, Albigensibus, Husitis, Caluinistis, ac innumeris alijs perditionis sectis? Omnes autem istos veritas vicit, Ecclesia superauit, rigataq; propugnatorum suorum sanguine succreuit, & quantò plures de medio tollebantur, tantò copiosior ac maior subnascentiũ erat multitudo. Finem dicendi non faciam, si omnes victorias ac triumphos Ecclesiæ Catholicæ explicare contendam: imò si crudelitatem tormentorum, sæuitiam tormentorum, patientiam & constantiam Martyrum, & denique glorioſum finem, victoriam & pacem quam post sanguinolenta illa pro fide Catholica gesta bella acceperunt, exponere & declarare aggrediar. Solùm hîc Sulpitij Seueri verba referam, qui de Diocletiani & Maximiniani crudelissima persecutione loquens, inter cætera ait: *Qua tempestate omnis ferè sacro Martyrum cruore orbis infectus est: quippè certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoq; auidius tum martyria glorioſis mortibus quærebãtur, quàm nunc Episcopatus prauis ambitionibus appetuntur. Nullius vnquam magis bellis mun-*

Olim Ecclesiæ persecutores infinitè quoq;

lib. 2. sacræ Historiæ,

mundus exhaustus est : neque maiore vnquam triumpho vicimus, quàm cum decem Annorum stragibus vinci non potuimus. Et Tertullianus ait: *Plures efficimur, quoties metimur à vobis, semen est, sanguis Christianorum.* Et S. Hieronymus: *Persecutionibus Ecclesia creuit, Martyrijs coronata est.* Eleganter autẽ & Prudentius scribit:

S. Hieronymus commodè cecinit in hunc modum.

Nec furor quisque sine laude nostra
Cessit, aut clari vacuus cruoris,
Martyrium semper numerus sub omni
Grandine crescit:

Adeò vt, sicut D. Augustinus inquit, ipsi illi eius sæculi Principes, qui Christianos propter falsos suos Deos persequi solebantur mox ab ijsdem Christianis victi & superati, folium verterint, & contra idola leges tulerint, propter quæ ante Christianos mactabãt. Imò ipsum Romani Imperij culmen, deposito suo diademate, ad sepulchrum Petri Piscatoris semel prostrauit. Quid itaque de Hæreticis illis dicam qui æquali cum crudelitate, imò maiore cum periculo Ecclesiam fuerunt persecuti? Certæ victoriæ illæ quas Deus Martyribus de Hæresi triumphantibus contulit, adeò illustres fuerunt, vt tametsi alio testimonio destitueremur ad probandam solam Ecclesiam Catholicam legitimam Dei sponsam, cæteras verò vniuersas spurias & Sathanæ ancillas esse, hoc solum argumentum ad veritatem istam declarandam sufficere non posset. Nam vt breue faciam, nunquid vel vnius Arrij Hæresis sufficienter ostendit Ecclesiam Catholicam inuincibilem

esse

esse ac inexpugnabilem? Docebat illa Filium Dei Patri consubstantialem non esse, hoc est, illi non æqualem, nec verum Deum, sed tantum creaturam. Atque hac illi opinione fundamentum totius Christianæ religionis euertebant. Docebant hanc falsitatem multi Philosophi, homines literati, magni & subtilis ingenij, non pauci Episcopi, Pastores & Magistri: Defendebant illam Imperatores, Principes & Monarchæ totius mundi, summa cum barbarie, sæuitia & crudelitate; ita vt nullius sexus aut ætatis ratione habita in omnes promiscuè debaccharentur: Occupauit Prouincias plurimas, Orientem, Occidentem, Septentrionem, & Meridiem: Durauit diu, ac finijt tamen, triumphante Ecclesia, eius authore Arrio subitanea morte pereunte; & Constantio, Valenteque Imperatoribus, Theodorico Ostroghorum Rege in Italia, vt Hunnerico Vandalorum in Africa (qui acerrimi & primarij eius fuerant propugnatores, miserabiles exitus sortientibus. Vnde. S. Pater Augustinus Psalmi 57. versum hunc exponens; inquit: *Non vos terreant Fratres quidam fluuij, qui dicuntur torrentes, hyemalibus aquis: nolite timere post paululum transit, decurrit aqua, ad tempus perstrepit, mox cessabit, diu stare non possunt. Multæ hæreses iam emortuæ sunt, cucurrerunt in riuis suis quantum potuerunt, decurrerunt, siccati sunt riui, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerint.* Et in alio loco: *Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia vna, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes hæreses pugnãs.*

D. August. Psal. 57.

Pugna-

Pugnari potest, expugnari tamen non potest.

D. Aug. lib. 1. de symb. cap. 5.

Hæreses omnes de illa exierunt tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa: ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua; portæ inferorum non vincent eam.

Idem planè Deus in Anglicana illa persecutione faciet, si animo nõ contrahimus, si fortiter nos gerimus, & (ô Patres & fratres in Christo Iesu charissimi) viriliter dimicamus. Et dubitare sanè de hoc omninò nõ debemus, siquidem ipse Dominus nobis id promisit, ipsa experientia docet, ipsi nostri persecutores edictis suis confirmant & significant se metuere frustra esse, ac artificiosa sua crudelitate efficere nihil posse, siquidẽ intra paucos menses maiore numero Catholici Angliam intrauerunt, quàm antea intra multos annos. Quod si hostes nostri timent ac tremunt, cur amâbo nos metuamus? Aut quomodo fortissimo illi nostro Capitaneo non confidemus qui ait: *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, quia ego vici mundum.* Hic ille est qui in Ecclesia sua Tyrannos, Reges, Imperatores, & mundi Monarchas superauit. Hic ille est, qui sponsæ suæ sedibus omnes hæreticos & infernales magistros, eam inficere conantes subiecit. Hic idem ille est, qui iam in nobis & pro nobis pugnat, quem dùm ad latus habemus, cur quæso metuimus? *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Non potest dubium esse de victoria, sub tali duce, tali feudo, & capitaneo.

Deum in tribulatione sua habeto refugium.

Pugnat a nostra parte veritas cõtra mendacium

cium, fides contra infidelitatem, Religio cõtra impietatem, iustitia contra iniustitiam, patientia contra crudelitatem, & deniq; Ecclesia Dei contra Sathanæ Synagogam. Pro nobis stat Euangelium Iesu Christi in illius cruce fundatum, tot Martyrum sanguine rigatum, innumeris miraculis confirmatum, à multis sanctis & illustribus Doctoribus explicatum, ac denique mille & sexcentis annis non violatum: Sanctum in doctrina quam docet, efficax in animabus conuertendis, vnum in omnibus locis, temporibus & nationibus, quæ cùm tot ac tàm distantes sint, huius Euangelij vinculo ac nudo colligantur, & visibili suo capiti vniuntur, quod est Pontifex Romanus, se amplexantium benignus Pater, & omnium suorum hostium victor ac triumphator. Pro nobis stat Potentia Patris, sapientia Filij, & fauor Spiritus Sancti; omnes Angelorum Hierarchiæ, Sanctorum exercitus ac eorum præcipuè qui in Angliæ ob Caluinianum Euangelion mortui fuerunt: quod sicut diximus cum incæstu plantatum sanguine rigatur, non eorum qui id prædicant, sed qui illud impugnant.

Causæ propter quas Deus Anglicanam illam persecutionem permittit.

CAPVT XXXII

COnclusuri Historiam istam de Schismate Anglicano, operæ pretium feciſſe videbimur, si causas aliquas inuestigemur, propter

pter quas ineffabilis & secreta Dei prouidentia tàm barbaram persecutionem in Regno illo permittat. Timeo namq; ne non tantùm ex populo, sed ex prudentioribus etiam nonnulli inueniantur, qui statum Angliæ & hostium Dei potentiam carnis oculis intuiti dicere possint Deum causam suam deserere, honoremque suum ac seruorum suorum non vlciscì. Hic ego assistente Domino in præsentiarum aliqua saltem ex parte satisfacere constitui. Et quoniam in libro de Tribulatione superioribus annis à nobis scripto copiosè ostendimus cur Deus hæreses esse, ac illas nonnunquam contra fideles suos prævalere patiatur, eo beneuolo Lectore remisso, nunc tantùm ea attingemus quæ Anglicanã persecutionem non cernunt.

Admirabilis Dei prouidentia.

Quantum ergo ego debili ac infirmo meõ iudicio assequi valeo', dico in terribili illa Angliæ persecutione mirabiliter Dei misericordiam elucere, qui nauem suæ Ecclesiæ paterna prouidentia gubernans, eam tandem in securo & desiderato æternitatis portu cõstituit. Etsi enim ille in omnibus suis operibus duo hæc spectet, gloriam suam & nostram salutem: ea tamen ambo amplius multo in Anglicana illa persecutione elucent. Nam quomodo homo maius Deo seruitium præstare potest, quàm si pro illo moriatur? Et quomodo sibijpsi melius consulere, quàm si pro eo Domino vitam deponat, qui antè pro se illam deposuit? In Martyrium certaminibus & victorijs, gloria Dei & vtilitas ipso-

ipsorum Martyrum ita vt sibi connexæ erant, altera vt absque altera non crescerent, sed ex Domini honore maior corona martyri resultaret.

Et quoniam Deus tantus gloriæ suæ zelator, ac nostræ vtilitatis amicus est, mirum videri non debet, quod certamina illa permittit ex quibus ipse tantùm honoris, homo autem tantùm fructus consequitur & emolumenti? Considerabimus ab vna parte arma quibus dæmon contra beatos Angliæ Martyres pugnat: ab altera autem eorundem robur ac fortitudinem, per quam vincunt ac resistunt examinemus; intelligemusque è vestigio quàm admirabilis diuinæ gratiæ & potestas sit. Pugnant ergo contra illos Dæmones, & homines Dæmonum ministri, pugnant fames, sitis, ruditas, infamia, blanditiæ, spes, timores, & vanæ promissiones; pugnant tormenta carcerum, catenæ, fidiculæ, rotæ, ignis, furca, & gladius; pugnant carnis nostræ infirmitas, hominũ complexio, & amor proprius. Quamuis autem tantam hostium multitudo illis oppugnet, ea tamen gratiæ diuinæ vi contingit vt viri, mulieres, pueri ac puellæ, tanta fortitudine eosdem debellent, vt iudices confundant, Tyrannos fatigent, Catholicos confirment, & Angelos ipsos exhilarent.

Quot ærũnas & calamitates Martyres habeant.

Hinc nonnulli qui nec Angli erant, nec in Anglia vnquam vixerant, tot glorioſorum Anglicanorum Martyrum exemplo commoti, in id se Regnum contulerunt, & eos-

& eosdem in supplicijs ac sanguinis pro Domino effusione imitari comitarique noluerunt. Et spectant inprimis huc quæ Cæsar Baronius Ecclesiasticæ Historiæ scriptor dignissimus dicit, vbi dicit de S. Thoma Cantuariensi loquitur: *Videre meruit seculum nostrũ hac ex parte fœliciſsimum quamplurimas Thomas, sanctiſsimos sacerdotes, aliosq; nobiliſsimos viros Anglicanos ampliori (liceat dicere) martyrio coronatos, duplicisq; tituli coronis auctos; cùm non solùm (vt Thomas) pro Ecclesiastica libertate, sed pro fide Catholica tuenda, restituenda, ac conseruanda nobiliſsimo martyrio occubuerint; vt inter alios, quos nuper S. Societas Iesu velut agnos innoxios in sacris septis, sanctis eruditionibus ad martyrium, acceptiſsimas Deo hostias, saginauit; quos Romanum, quos Rhemẽse, sacra collegia, quæ dixerim celsas turres à facie Aquilonis. & fortiſsima propugnacula fidei, emiserunt ad triumphos, prouexerunt ad coronas. Macte animo, macta virtute Anglicana iuuentus, quæ tàm illustri militiæ nomen dedisti, ac sacramento sanguinem spopondisti: æmulor sanè vos Dei æmulatione, cùm vos martyrij candidatos, ac nobiliſsimos purpuræ martyres designatos, aspicio, compellor & dicere: Moriatur anima mea morte iustorum, & fiat nouiſsima mea horum similia.* Hactenus Cæsar. Baronius.

In Annot. Martyrolog. Rom. 29. Decemb.

Quod si iam fortitudo illa quam Deus pro se morientibus, & desiderium pati pro se cupientibus multis seruorum suorum indidit, argumento certiſsimo est quid diuina gratia possit & valeat: quantò luculentiùs id victoria

ctoria confirmabit, quam eodem modo Ecclesia de omnibus suis hostibus reportat? Nō enim tantummodò Martyr moriens viuit, cadens vincit, & prostratus erigitur; sed etiā ipsa S. Ecclesia, cuius miles est, in illo vincit, & per hanc mortem de omnibus illius hostibus, persecutoribus, ac inferni potestatibus triumphat. Iam eadem persecutio maximam planè Anglicanis Catholicis adfert vtilitatē: quippè qui per eam probantur, examinantur, à terrenis affectibus repurgantur, & quotidie Deo se sacrificant. Vnde existimo Sanctiores nunc in Anglia homines reperiri, quàm tempore quietis & tranquillitatis potuerint inueniri: Prosperitas enim plerumque hominem eneruat, frāgit, ac effœminat; tribulatio verò feruidos, & constantes Martyres facit. Qui ergo persecutionibus succumbentes fidē deserunt; ij ostendunt dissolutè hactenus se vixisse, nec fortes satis ac firmos in fide extitisse. Qui verò non super arenam, sed in fundamento Iesu Christi consistunt, hi inter tribulationes non aliter crescūt, quàm arbor aliqua inter gelu ac pluuias. Quantum verò gloriæ Ecclesia Catholica ex hac suorū martyrum fortitudine consequitur? Quantum ædificationis, quantum exempli ab illa promanat? Quàm honorificum hoc est, Ecclesiæ habere filios tàm illustres, tàm magnanimos tàm bellicosos? Quid autem nunc de alio etiam huius persecutionis fructu dicam: quod videlicet omnes Prouincias & regna Catholica vniuersa docet, quēadmodum cū hæreticis habere se debeant. Erat olim An-

glia Regnum longè florentissimum, ita vt in eo virtutem, religionem, humanitatem, pacé concordiam libertatem, & dulcem communicationem admirari potuisses; Nunc autem Babylon quædam effectum est, propter varietatem, contrarietatem & confusionem hæresium; est spelunca latronum propter iniustitias, est macellum seruorum Dei, bellum ciuile, seruitus & miseranda captiuitas; imò incendium, quod ex infernali scintilla cæci amoris exortum, postea à Caluini secta fuit dilatatum. Quæ cùm ita sint quanta vigilantia & diligentia omnibus Regibus, Principibus, & Rebuspub. Catholicis necessaria est, ne infernalis iste ignis etiam illorum regna inuadat? Quidni Catholici vsque ad mortem pro fide sua dimicent, videntes dulcissimos fratres suos adeò, crudeliter trucidari? Quid hodie de regno Franciæ sciremus, nisi Anglię exemplo considerato Catholici Galli sapere didicissent? Præter hos autem iam enarratos fructus docet similiter persecutio illa Anglicana, si à Deo protegi & cõseruari cupiamus, ab omnibus nos peccatis corda nostra repurgare oportere, maximè verò illa quæ portam & feneſtram ad Hæresin patefaciunt. Homo namque non subitò in malitiam deuoluitur, sed paulatim ac sensim in illam dilabitur, & virtutum, quas antè possidebat, iacturam facit. Et docet posthæc etiam eadem illa Anglicana persecutio, quemad modum illis compati debeamus: videntes eos è patria proscriptos, domibus eiectos, fortunis priuatos honore spoliatos, vt proditores habitos, & vt

seditiosos perduellosque tractatos. Omnes enim nos Catholici fratres sumus, & vnius mystici corporis membra, quod est Ecclesia, cuius caput Iesus Christus est, ac illius in terris Vicarius, Pontifex Romanus. Quamuis autē inter Christianos laudabile semper habitum fuit ijs succurrere, & subuenire qui pro Christo patiuntur: nobis tamen maximè allaborandum est, vt fortium illorum militum exempla imitaturi, eorum memoriam nostram socordiam, & teporem excitemus, sicque magno animo quaslibet aduersitates exanthlemus. Quis non de cætero paupertatem patiēter toleret, videns hodie in Anglia tot diuites ac illustres viros omnibus suis bonis spoliatos & in carcerē retrusos, nec stragulam habere qua se tegant, nec panem quo famem sedent? Quis æger aliâs desperaturus, non erigatur ac animetur, cogitans innumeros sacerdotes delicatissimasque matronas hodie in Anglia crudelissimis tormentis excarnificari? Cùm labor nos exhaurit, ieiunia conficiunt, ac aliæ huius vitæ miseriæ nos affligunt, erigi continuò ac terreri debemus, cùm persecutionem illam Anglicanam cogitamus: qua Deus non aliam ob causam permittit nisi vt fides nostra confirmetur, spes solidetur, charitas accendatur, diuina gratia intelligatur, patientia roboretur, deuotio excitetur, voluptates abijciātur, pigritia valere iubeatur, & negligentia ac pusillanimitas denique nostra confundatur. Accedunt eisdem fructibus aliæ adhuc vtilitates, hæreticos ac persecutores nostros concernentes,

quibus Deus ad tempus scuticam permittit, vt suorũ fidelium patientiam exerceãt, à peccatorum scoria illos repurgent, virtutemque ac illius merita & coronas in ijs augeant. Omnia autem ista ineffabilem Dei misericordiam bonitatemque testantur; quippè qui ex maximis mundi huius malis maxima bona elicit, qui tyrannos tolerat, vt martyres habeat, & hominibus peruersis bonos affligere permittit, quo illorum patientia manifestetur. Nam simili omninò ratio concedit vt Hæretici Ecclesiam Catholicam affligant, vexẽt, ac tribulẽt, quò ita in persecutionis cribro agitata purior, sanctior, ac perfectior euadat: & quò hominibus vniuersis constet, eam subinde ad instar Lunæ Ecclypsin pati & obscurari, nunquam verò sicut D. Ambrosius docet, deficere virtuteque sua priuari.

August. l. 18. de ciuitate Dei.

Lib. Exam. in opere quarta diei.

FINIS.

Sor.is Jesv Paderb.

Psal. 128.

Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANDE

RVS DE

Schism

Th
4963

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN